avec signature
de J. Raepsaet
à Audenaerde

Part I.

Loc: 23. n: 6.

E 271.92
J 499
S4

72-3544


SELECTÆ
PP. SOC. IESV
TRAGOEDIÆ
ANTVERPIÆ
Apud IOAN CNOBBARVM
M.D C.XXXIV.
Cum gratia et Priuilegio

STVDIOSÆ IVVENTVTI TYPOGRAPHVS.

DOctissimorum virorum Tragœdias è variis Poëtarum voluminibus in unius, alteriúsve libelli angustias cogo; ut quemadmodùm eæ multis olim voluptati fuere spectantibus, ita legentibus vobis sint utilitati. Et quamquam non dubitabam fore quosdam, qui laborem hunc meum nō probarent; qui unum Senecam volvi volunt à Tragœdiæ studiosis, præterea à neminem: operæ tamen pretium facturum me existimavi, si non tam

Woodstock College

faſtidioſorum hominum, novaque omnia improbantium judicio, quàm commodis veſtris ſervirem. Et verò etſi *L. Annæus Seneca*, uti Latinorum Tragicorum fons eſt ac princeps, ita præcipuo quodam ſtudio legi debet ab omnibus; non tamen continuò negari debet pronis in varietatem adoleſcentibus, ut non etiam eruditis recentiorum Poëtarum lucubrationibus cupidũ multarũ rerum animum paſcant, illudque conſequantur, ut eruditiſſimorum virorum exemplo, quos totos in veterum lectione fuiſſe conſpiciunt, ad eorundem imitationem alacri ſe ſtudio accingant; cùm multi ſint, qui aut unius

unius tædio libri planè deficiunt à literarum ſtudio, aut certè ducum defectu à rectâ imitandi viâ aberrant. Quos autem ſibi potiſſimùm Adoleſcentes deligent, niſi eos, quos communi omnium judicio haberi intelligũt eximios? Quis enim eſt politioris literaturæ amans, qui Carthaginenſes non laudet, Criſpos non extollat, Sedecias non admiretur? profectò mihi dubium non eſt, quin ſi Tragœdos recentiores Annæus legeret, multa reperturus eſſet in Malapertio, multa in Stephonio, multa in aliis, quæ judicaret eſſe ſe digna. Ita eſt. Admiremur ſanè veteres, multos verò è noſtris non deſpi-

ciamus, qui si aureis fortè temporibus vixissent, & ab antiquis Poëtis auditi cum voluptate fuissent, & à nobis legerentur majori cum admiratione. Interim utere & fruere labore meo, studiosa Iuventus, auctoresque majori à variis ob alia adjuncta poëmata sumptu emendos à me simul omnes accipe, non alio ordine quàm alphabetico, quo eos maximè proponere placuit, ne quis ex iis aut prælatus alteri, aut etiam postpositus à nobis fuisse videatur.

ALEXANDRI DONATI

E SOCIETATE IESV,

SVEVIA.

ACTA LVDIS LIBERALIBVS
IN SEMINARIO ROMANO,
EGERE NOBILISSIMI ADOLESCENTES
QVINQVIES; DATA
SEMPER PLACITA.

ARGVMENTVM TRAGOEDIÆ.

IOrdanus Federici II. Imperatoris ex Isabellâ Angliæ Regis sorore filius, Siciliæ, ac Hierosolymorum Rex, Conradi IV. Cæsaris frater, ex gente Suevâ, id ætatis regnatrice, & Augustâ, ad Cæsarem invisendum venit, cùm felicẽ Campaniam, urbemque Neapolim subegisset. Erat Iordano copiarũ Dux Ioannes Afer cognomento Maurus vir præstanti fortitudine, sed Punicâ fide. Hunc Manfredus Federici & ipse filius nobili pellice natus, obviam fratri à Conrado præmissus, clam subornat in cædem Cæsaris, per speciẽ regni Iordano asserendi. Sperabat enim illo sublato, se, facilius oppresso Iordano, solum, quod posteà evenit, regnaturum. At Iordanus, & Cæsar se mutuò complexi, triumphantium more Neapolim invecti sunt. Ibi post equestre certamen

men militari tumultu Mauri fraude concitato, Conradus cùm vix periculum evasisset, factas sibi à fratre insidias, necemque instructam ratus confestim ad ulciscendam injuriam & suâ sponte, & aliorum impulsu inflammatus est. Manfredus enim spe frustratus, Conradianæ cædis sese ad opprimendum Iordanũ ipso Cæsare adnitente convertit, secretiore veneno usurus ad Conradum extinguendũ. Ideò Maurum denuò adortus, immanique mercede proditionem pactus ad Cæsaris partes adjunxit; nec multò pòst detectâ Mauri conjuratione, Iordanus, quamvis defensus à militibus Rodulphi Hausspurgensis Comitis, capitur; tum Conradi jussu, quem nec civium, neque Isabellæ preces, ac lacrymæ mitigare potuerant, obtruncatur. Cujus mortem Conradus ipse, propinato per Manfredi servum veneno miserè prosecutus est.

PERSONÆ.

IVSTITIA DE CÆLO DELAPSA.

CÆLITES MELICI.

IORDANVS HIEROSOLYMORVM, AC SICILIÆ REX, QVEM ALII HENRICVM NOMINANT.

CONRADVS CÆSAR.

MANFREDVS TARENTI PRINCEPS.

ISABELLA IORDANI MATER, VIRILI HABITV.

S. PETRVS MORONVS EREMITA, QVI POSTEA CÆLESTINVS V.

RODVLPHVS HAVSPVRGI COMES, QVI POSTEA IMPERATOR, ET DVX AVSTRIÆ.

PRÆTOR VRBIS NEAPOLIS.

SENATORES.

IOANNES MAVRVS DVX COPIARVM IORDANI.

PRÆFECTVS MILITVM CONRADI.

TRIBVNVS MILITVM.

MILITES.

CONRADI CONSILIARIVS.

IORDANI CONSILIARIVS.

SERVVS IORDANI.

SERVVS MANFREDI.

NVNCIVS.

VMBRÆ. FVRIA.

CHORVS CIVIVM NEAPOLITANORVM.

Fabula agitur Neapoli.

Res gesta dicitur anno sal. 1557.

SVE-

Caepisset

SVEVIÆ TRAGOEDIÆ

ACTVS PRIMVS.

SCENA PRIMA.

Qua planicies, & cæli nocturna facies exprimitur.

Divina Iustitia S. Petro Morono imminentem Suevicæ domus cladem ostendit.

S. PETRVS MORONVS EREMITA ITER FACIENS. IVSTITIA E COELO DELAPSA. CÆLITES MELICI.

S. PET. TEnuis ad urbem superat, & lucem labor.
Ast ægra viridi membra declinans thoro
Fessus quiescam, noctis exsolvat quies
Evincta curis pectora. O quales agis,
Volubiliqúe pandis è cælo faces
Nox lumine interstincta nigrantem sinum!
Hinc noctilucæ pubis argento nitens
Regina vehitur: inde radiatus comam
Ducit minores populus astrorum choros:
Hæc illa sedes, nostræ ubi toto fluens
Felicitatis ubere exundat domus.
Vbi semper explet, atque inexpletam sitim
Irrigua largo flumine voluptas alit.
Ideoque curas divitum, & fluxas opes,
Vrbisque fugi gaudia; ut solus gemam
Inhospitalis montium cultor jugi,
Spretorque rerum: major at regni arbiter,
Quod animus alto corde tranquillum regit.
Nunc cara fugi, fugio quæ nunquam sola,
Miseratus animos civium, lapsus ducum.
Imis cavernis ire furiarum truces
Longè incubantes mœnibus vidi globos,

Neapo-

Neapoliſque tecta nutantis quari
Phlegetónte ab imo ? monſtra Tænarei ſpecus
Audere non impunè permiſit Deus.
Tumeicit aliquod fraude compreſſum nefas
Stygiaſ ue opimum cædibus paſcet feras.
Sed cur trementes percutit cæli plagas,
Et fulguranti tonuit impulſu fragor ?
Aut cur dehiſcunt ſidera ? allabens cohors
Quæ nube vehitur ? diva quæ ſolio nitens
Obarmat ære pectus, ardentes face
Crines triſulcâ veſtit, & frontem minis ?
Túne imperatrix nota Cælicolum choris
Iuſtitia, vindex criminum terris ades ?
Mundumque terres ? lauream, ſceptrum manu,
Auri coronam frangis ? heu ſtrictum procul
Averte fulmen. fragile num folium petis,
Tenuemque calamum cuſpide tremendâ feris ?
An hæ canentûm temperant iram fides ?

S. Petrus genibus flexis Ecſtaſim patitur.

Cælites Phonaſci concinunt.

Vindicis iras, oraque Divæ
Obvia ſceleri, devia Cælo
Suſpice pubes, fuge flagrantem
Cuſpidis ictum.
Hoc infeſto numine fulmen
Stridet ab aſtris ; ardet in auris,
Certo meritos corripit igne.
Quiſquis iniquo pectore condis
Improbe crimen, reditura tibi
Fulmina fingis. Placet his mentem
Vrere flammis ? an cæleſtes
Ducere flammas ? quas vibrat amor,
Divinus amor : rigor ardentûm,
Ardor amantûm ; rigor impuros
Cordis ad ignes : animæ puros
Ardor ad æſtus.

Deſcendit Iuſtitia è nube cum comitibus.

IVST. Non ira vindex, dextra nec telo rubens
Semper quieſcit : exerit quondam faces,
Libratque, torto fulmine in pœnas flagrat.
Cæleſtis at quæ vulnerat, ſanat manus.
Niſi pervicaces munere expugnat Deus,
Meliùs flagellis erudit ; amores patris
Curæque providentis humanos regunt
Hac lege fines, mentium ut conſtet ſalus.
Magna eſt ſceleſto pœna permiſſum ſcelus.
Delere ſed nunc crimina, & ſontes placet ;

Etiam

Etiam innocentes ; pendat ut pœnam innocens,
Culpâ nocentûm, ſcelere ſit fratrum nocens.
Auditum in altis orbibus clamat vetus
Avis, parentibuſque cognatum nefas,
Placitumque natis. Tuque populorum preces
Conrade, nec dum cælitum ſentis minas
Tibi timendas ? Occides : noſtri ut vacent
Operoſa tela fulminis, cæcis fluet
Frater venenis : cæde Manfredus furens
Aureo natantem poculo infundet necem ;
Poſtquam cruentis ante Iordanum dolis,
Conrade per te ſtraverit : gemini reus
Fit parricida Regis, ut ſolus regat.
Malè ominata ſceptra, quæ ſignat cruor !
Ceu mitis olim victima, occumbet puer
Iordanus, aræ quam vaporatis focis
Statuit Sacerdos. Candidum florem metis
Conrade, vix quem ruptus emiſit calyx ;
Gratus ſed illo cælitum in ſummas odor
Expirat oras, colla ſucciſus rubet,
Vt purpurato pulcer exſurgat ſinu,
Et nivea roſeis membra Iordanus notis,
Velut pyropis ornet. Hoc cæſo pudor,
Pietaſque juveni ſervat, hoc rerum ſator,
Qui facta juſtis lancibus librans Deus
Fœlicibus lamenta commutat bonis.
Longè his remotus occidis Cæſar ; tamen
Non pœnitendo funere immerſus peris.
Propera, ſceleſtum pœna torquebit minor ;
Dilata creſcet : ſemper augetur ſcelus.
Nec tu necatis ſpolia germanis feres
Dira ô ! tuorum peſtis, ô ! ſæcli lues
Manfrede : poſt cruore fœdatam domum,
Poſt gemina fratrum funera, aggeſtis ſuper
Compoſta feretris corpora, ultricis manus
Sera documenta truncus infelix dabis.
Quæ regna turpas ſanguine, notabis tuo.
Et pace rector impius, bello tremens
Iacebis inſepultus, ignotus, litus
Cruore, pulvere, militum ludibrio.
I, pœna gravior antecedentem premet.
Nec ſera, ſæviore quæ telo ferit.
At grate ſuperis Petre, ſupremis juva
In rebus innocentis adverſam diem.
Nos patria rurſum ſidera, & cælum vocat.

Aſcendit in nubem cum comitibus canentibus.

Diva nocentes desine terras
Iracundis figere telis,
Succede tuis mitior astris.
Satis heu miseros rotat humanæ
Orbita vitæ, semita certi
Prisca doloris.
Quid mors fluviis mergit Avernis
Quos vita suo gurgite volvit?
At vos sceleri parcite gentes;
Parcent justis numina pœnis.
S.PET. Cælum minatur, ni perit tellus, labat.

Conversa Scena obsessam urbem castris circumpositis repræsentat.

SCENA SECVNDA.

Præfectus milites suos ad bellum animat.

PRÆFECTVS MILITVM CONRADIANORVM. LEGIONARII MILITES.

PRÆF. NOndum sepultâ nocte, funeream vigil
Accendit atro Lucifer cælo facem,
Altusque pugnæ nunciũ tollit jubar.
Arma expedite: fortium somnos fugat
Metum increpantis Martius clangor tubæ;
Oritura condet ultimos belli sonos,
Vrbisque tristi clade, ceu nimbo minax,
Cum cive pariter occidet cæso dies.
Hic limes esto Martis: hunc multâ nece
Commilitones, hostiumque sanguine,
Faustâque designabitis lauro diem.
MIL.1. Vincere; cruento cadere vel bello juvat;
Nullus salutem credit infami fugæ.
MIL.2. Vitam fugâ quis emit, ut laudem fuget.
PRÆF. Nihil hîc timendum: restat exiguus labor
Finis laborum: frangite occlusas fores,
Hostem latebris sternite trementem suis.
Parthenope ab undis flagret: extinctam, obrutam
Superstes olim parvus ostendat cinis.
MIL.1. Peracta credas; tutus in tenebris latet,
Et clausus hostis mœnibus condit metum?
His obruatur. Quantus in cladem ultimam
Paratur ignis? Quantus ardentem cruor
Restinguet ignem? flamma ceu nemoris vorax
Agitata cauris roborum victrix furit:
Et æstuosas implicans fumo faces,
Minaciores ructat in cælum globos;
Sic urbis altâ clade defastus furor

Fugna-

Pugnaciores coget in cædem manus:
Sitim cruoris pascet exundans cruor.
Longè coruscans arma vel totis ruet
Ordinibus acies, densa vel cuneis phalanx
Propiore franget urbicas ferro domos,
Vbique vincet. Hostico accedet lucro
Hesterna vitæ summa, fatalis tubæ
Iam rupta signo, vixit; ac victam sequens
Patriæ ruinis hostis extremis cadet.
PRÆF. Agnosco Martialis ora sanguinis,
Germana Regum signa; virtuti pares
Dabit coronas ductor, & vestro comes
Datus periclo Cæsarum Cæsar decus.
Nostis, rebelles quantus herculeâ manu
Prosternat Imperator, adversas eques
Pedésve turmas dissipans: idem breves
Accinctus alis fulminis, rumpat moras:
Acies inire primus, ac ferum ultimus
Clausisse Martem: sanguine & largo fluens,
Neque indecorus pulvere sequaces ferat
In castra lauros, militem par est, Ducis
Intaminato gloriam sequi gradu.
MIL. Vetusta narras; ista nec nostris latent
Solùm reposta cordibus; famæ aureis
Geminum sed aucta personant orbem tubis.
Quod pandet hodie murus hostilis fores,
Campis quod albent ossa: quod multâ nece
Fluviale toties sanguis infecit vadum,
Calidoque spumeus amne præcipites trahens
Sebetus undas Italo evolvit freto,
Facere Imperator unus in cunctis potest,
Nec milites te Cæsare indignas manus
Conrade gerimus. Gloriæ monstratum iter.
Semper juvabit. PRÆF. Placet hic ardor, integrâ
Laudem daturus. Prima mens forti est viro,
Amare, velle fortia: decorus labor,
Victoriæque palma tum vivax subit.
Sed cur morantur, cetera neque adsunt ducum
Vexilla? tumulis sparsa cogantur suis;
Hodierna pugnæ munera ut miles ferat.

SCENA TERTIA.

Consiliarius malè ominatur Conradæ, Manfrediq; ingenium describit.

CONRADI CONSILIARIVS.

FVlgens in auro, bellico ac ferro potens
Quid non secundis machinis vistus movet?

Con-

Conrade, juſtus Itali terror ſoli,
Glaciali ab Arcto notus, & Rheni vadis
Ad Gangis uſque fonte gemmantes aquas,
His regna victor artibus tandem premes.
Cunctis timendus Regibus, nullum times.
Vis nempe puero culta ſuccreſcit viro,
Ævique pariles firma ſortitur dies.
Tener ille duras obſidens cunas puer
Crevit per arma: clarus inſignes patris
Crevit per artes. indoles illi fuit
Meritis paciſci gloriam. Primus rudi
Tener lacerto ſpicula, & certi ſciens
Nervi, ſagittas torſit, aut dorſo infidens
Pati coëgit frena ſpumantes equos,
Formidoloſus miles, ac bello ferox
Quæſitus imperator, hoſtiles fores
Primus refregit; aggere adverſo ſtetit:
Idemque dubiæ fortè ſi vires labant,
Subit expeditus arte, conſilio domat.
Nimis at beatos vitia deformant dies.
Mortalitatis rarus in bonis apex.
Qualis paternis Hannibal votus ſacris
Boream, niveſque rupit Alpinis jugis:
Et cùm Latinas cingeret caſtris domos,
Inordinatam corde virtutem ferus
Compoſuit Afer punicis miſtam dolis,
Crudelitatis artifex, juſti rapax.
Sic Cæſar atrox, ſanguine effuſo tepens
Violentus, implacatus, irarum abdito
Vivaciores ventilans odio faces,
Aviduſque regni; ſceptra vel calido petat
Immerſa fratris ſanguine, aut animo tumens,
(Quæ Federicus forſan edocuit pater
Exempla natos) vanus, & faſtu improbo
Divina temnat: non ſuperbificum domat
Qui Vaticanos cultus attollit Patres,
At ſola pietas culta mortales regit.
Vis ſolida neſcit impium, & ſtantem ruet,
Ni fortiori numine obfirmet Deus.
Quam timeo, luctuoſa ne ſurgat dies;
Aut ſibi cupreſſos Cæſar è bello legat:
Mutet feretrum ne triumphales rotas.
Vates, recordor, nobilis (tenuit ſenex
Qui ſolus Iſtrum propter, horrentem ſpeeum
Potentibuſque ſidera emovit ſonis,
Votiſque ſupplex) lauream poſtquam imperi,
Et Cæſari Auſtriana Conrado tulit
Vienna faſces; fervido affiatus ſinu,

Cur,

Cur, inquit, istas, Iuvenis ô! præceps mori,
Geris coronas? Itali ad muros freti
Geminis triumphum spectο permistum rogis?
Placidoque Siren subdola absorbet mari.
Has cecinit actus numine ambages pater.
Littorea cerno mœnia, & claram suis
Vrbem superbâ mole regnantem fretis
Hæc illa Siren domina, concentu rapax,
Pelagusque fallax. Cæsar exitium vides?
Iordanus aderit: geminus hinc prodit rogus;
Super occidentis ora germanus cadet?
At quis periclum conjicit? Civis? pavet.
Miles? tuetur. Frater? hic nutat fides;
Vbi hanc removit conjugi infidus pater.
Manfredus odiis fœtus occultis furit,
Inhiansque regno, Regis observat latus.
Nunc servitutem pronus indignam pati,
Vt imperare discat. Ah! docilem manum
Ne faciat ensis. Educas anguem sinu,
Et pestilentis Gorgonis virus bibis
Conrade. Quoties imminens vidi malum,
Superque cecini regna luctificas vices!
Surdoque dixi: Crescet hinc flammæ vigor,
Cui præbet audax pabulum felicitas.
Quot faustitatis gaudia incautum obruent.
Reciprocat fors læta: propositi levis
Datum reposcit: rarus inventam tenes:
Fede obsequentem quisquis immoto putat
Fixisse, spernit cuncta, desperat nihil;
Quà feriat, hostis interim tutus videt.

SCENA QVARTA.

Consiliarius Conradũ belli successu elatum ingestis de Manfredo suspicionibus terrere frustrà conatur.

CONRADVS. CÆSAR. CONSILIARIVS.

TAndem rebellis virtus imbelles manus
Conradiano colla supponet jugo.
Deseruit urbem miles, & justam necem,
Adesse quam timebat, excussit fugâ.
Agnovit, ingens bella quæ victis ferat
Conradus, atrox, sævus, implacabilis,
Conferre pugnas Marte si certant pares:
Humaniorque nunciam pacis gerens,
At supplicanti dexteram. Par est mihi,
Sterni rebellem, suppliçem attolli, decus.

Eveniet (auſis aſtra quod cedunt meis)
Aut hoſtis urbem dederet, aut ipſe eruam,
Et æqua ponam tecta fumanti ſolo.
Hodie invidenda videat, & diſcat novum
Sol æmulatus luce, victoris jubar.
Adeſſet utinam frater, ut viſu auream,
Mihi antè numquam viſus, expleret diem.
Iordane quid moraris? adventus tuos
Belli repoſcunt exitus. Huc tandem ades:
Fratrem videbis æquus Auguſtum, Italis
Natum triumphis: gloriam belli vetus
Cui cedat ætas, Cæſarum lauro minor.
CONS. At te nimis fecunda ne efferant, cave;
Dux inſolenti tempera victoriæ.
Attollit, & mox deprimit, fiſtit, movet,
Et ſpiritum aufert Principum Princeps Deus.
CONR. Quid jam timendũ præcipis? ſtratos duces,
Et vinciendas metuis hoſtiles manus?
Amentius nil Rege, qui ſemper timet.
CONS. Amentius nil Rege, qui numquam timet.
CONR. Quẽ ſceptra pœnis eximunt, ſolvunt metu.
CONS. Supplicia paucos eximunt, nullos metus.
Conſilia pavidus verſat, incumbens malum
Si quà repellat: ferreos nexus terit,
Clauſaſque fractis poſtibus pandit fores.
Timeas, timenſque conſulas; acres dabunt.
Conſulta vires, impares audax movet.
CONR. Vbi nullus hoſtis, habeo quod metuã nihil.
CONS. Vbi nullus hoſtis, proditor ſervus vacat.
Hic & venena miſcet, & feſtæ dapis
Iucundiorem poculo inſtillat necem.
CONR. Nimis ſecunda crimine vacabit dies.
CONS. Nimis ſerena nunciat nimbos dies;
Eademque ſubitò fulmine interdum tonat.
Rubicunda nimius ora ſi mutat color,
Morbis propinquant corpora. Recedunt retrò,
Quæ ſumma nequeunt progredi. Numquam altior,
Humana vinces, turbo quin vitam rotet.
Timere cùm nil incipis, idipſum time.
CONR. Funeſta ſed cur bella decernunt duces?
Nutat tumultu Martis, & quaſſus tremit,
Vt pacis almas orbis immutet vices.
Exhauſta cernis bella, quid pacem times?
CONS. Quem bella ſervant, tuta pax ſæpe obruit:
Et cui pepercit hoſtis, hunc civis ferit,
Aperta cernis odia, ſi Martem cies:
Operta nutris odia, ſi pacem foves.
Hoſtilis evitare vim potentiæ

Potes

Potes Imperator, nota, quæ bello furit:
Nec proditores fugere, nec cæcis vales
Adacta telis vulnera: occultè subit
Variumque pectus perfuga involvit dolis
Rarò explicatis. Sæpè quem nondum caves,
Imminet, & ictu gravior orditur necem.
CONR. Vt nemo vulnus inferat, hic ensis dabit.
Bellum removi, contudi obstantes minas,
Feliciorque patre Parthenopen premo.
Hæc me tuentur regna, quem solum timent.
CONS. Non hæc tuentur regna, si solum timent.
Quisquis timetur, timeat; utrimque est nocens:
Vires nocendo quisque non segnes habet.
CONR. Metuendus ensis fuerat, incerto exitu
Dum valida contra bella Campanus tulit:
Dum castra verberaret horrendum tonans
Hiems onusta turbine: allatrans canis
Super æstuosis cùm flagraret ignibus:
Patriamque fessus posceret, caræ domus
Expostulatam miles objurgans moram.
Vicimus; & urbi victor imponam jugum.
Felicitatem nemo non auget meam.
CONS. Felicitatem falsa conturbat fides,
Adversa rarò sequitur: at sæpè impius
Tutam secundis proditor fraudem struit.
CONR. Manfredus omnes cautus eludet dolos.
CONS. Tibi innocens Manfredus? CONR. Vt fratrem decet.
CONS. Vt fraudulentum. Funera ingessit patri.
CONR. Iam funerando scilicet. CONS. Nondum tenes
Quod clamat Italus omnis? CONR. Assutam canis
Generi Suëvo fabulam: lecto incubans
Magni ut parentis strinxerit vitam ferus
Pulvino adacto frater? O sævus pudor!
O! facinus ementita, nec levi probro
Apulia nostræ gentis in labem seris
Inexpiandi sceleris infames notas?
Quam frangere audax gloriam bello nequis,
Maculare tentas. Contulit fortes manus,
Subitòque frena injecit, asseruit meis
Sceptris rebellem frater: hinc vanus strepit
Vulgi per aures rumor. At vulgus loquax,
Spreviſſe Regum est. Populus incassùm fremat:
Viles tumultus laudis evincet nitor.

SCENA QVINTA.

Conradus instructam aciem ad pugnam hortatur.

PRÆFECTVS MILITVM. CONRADVS. CONSILIARIVS. MILITES.

PRÆF. SAlve Imperator, cui secunda prosperis
Eventibus consilia fortunet Deus.
Quiete fessos miles, & justâ dape
Curavit artus: jamque densatis calent
Iræ maniplis, inserit capulis manus,
Aut gravibus hastis onerat impatiens furor.
Accendit æreus undique ad pugnam fragor.
Ipsi fatigant frena, & hinnitu aspero
Equi insidentum pondere irarum truces
Minantur urbi: signa at incertis globis,
Nec ordinatas digerunt turmas Duces.
Instrue volentes: nutibus pendent tuis,
Quibus obsequendo crescit adstrictus vigor:
Pars est quibus victoriæ obsequium Ducis.
CONR. Hic ordinari militem nostrum placet.
Lunentur acies, fluctuet ferro solum,
Discreta signis ordines ducant suos,
Totâque tempestate Martis agmina
Campis inundent: militum civis procul
Minas pavescat: postea Encelado pares
Videat tremendâ tecta vellentes manu.
Tales in arma milites Cæsar lego:
Alii rapaces, scelere venales emunt:
Victoria decus, dedecus nec habet fuga.
PRÆF. Tuos notabis Cæsar, haud fallunt Duces.
Huc explicatas omnis è castris agat
Legio cohortes, fusa quæ circum viris
Coronet urbem: saxa quæ fundis rotans
Caterva longè missilem spargat necem:
Quæ surgat alto propior in muros gradu:
Portans ruinam mœnibus, tectis facem:
Et quæ catenis claustra diffractis terat
Quicum que in hostem funus extremum gerit.

Instruitur ad oppugnandum acies.

CONR. Placuit hic ordo militum: ærati micans
Hæc Martis acies. Vince: non hostem petis
Duce me subactum: miles invictus petis
Cives inermes. Fama sed quales feret
Titulos merenti? pulsa jam Phœbi rotis

Cælum

Cælum coëgit aſtra, ne properent tuis
Sibi invidendum ducere è factis jubar.
Nec, ſuetus arvo legere florenti roſas,
Tua ſuſtinebit arma Campanus: viros
Obrue volentes: claſſica ingeminant tubis
At ſolita pugnam canere, jam lauros canunt.

SCENA SEXTA.

Conradus urbem in deditionem accipit.

TRIBVNVS MIL. SENATOR NEAPOLIT. CONRADVS. CONSILIARIVS. PRÆFECTVS MILITVM. MILITES.

TRIB. SEnator urbe miſſus affatus tuos
Petit Imperator. SEN. Fulmen O Cæſar Ducum
Depone bella, Marte jam miles vacet.
Neapolis ſubacta Conrado auſpice
Victoris audit juſſa: jamque urbis fores
Prætor recludet: aureum ſceptri decus
In ſæcla Cæſar accipe, ac regno altior
Tentoria ſuper Gangis, & Nili caput
Diſperſa cunctis fige terrarum plagis.
CONR. Ducíſque civiumque conſilium placet,
Vrbis ne acerbâ ſtrage tempeſtas ruat.
Procella martialis armorum vides,
Quibus obruebat fluctibus? ſæva, horrida
Excidia ceu ferebat extremus dies?
PRÆF. Feret: Suëvi turbinis preſſus fragor
Nondum reſedit, miles infeſtis adhuc
Stragem minatur mœnibus, prædam vocat;
Poſtrema merces poſcitur: Cæſar dabis.
SEN. Hoſtilia perimat enſis, aut ignis voret.
Cives, opeſque Cæſar immergat ſuas?
Quam dedimus urbem, poſſidet: Regi rapis?
TRIB. Iuſtum repoſcit miles. SEN. Injuſtè feret.
TRIB. Quod ferro adeptus. SEN. Spontè quod civis dedit.
PRÆF. Extorſit armis victor; oblatum tenet?
O perduelles! reddidit fortis manus
Quod proditoris abſtulit mendax, iners.
CONR. Delere facinus urbis excidio paras?
Ignava morbos dextra ſic letho fugat:
Qui curat, haud extinguat. TRIB. Exurat, ſecet:
Raptor rapinas perferat, pœnas luat.
SEN. Quem pœnitet feciſſe, non pœnas luit;
CONR. Supplicia pendit juſta, quem ferrũ fodit.

SEN. Supplicia pendit justa, quem facti pudet:
Vetus voluntas angit, ac turbat metus:
Si torquet animus, altior vexat dolor.
CONR. Si civis istâ lege punitur scelus,
Impune fiet: ultimas belli faces
Meruit rebellis. SEN. Iam tuus. Nihil dabis
Clementioris nomini Regis, patris?
Tuum est peræquâ lance damnare impios,
Servare miseros. Ignis, obsidio, fames
Delevit urbem; miles invadet super?
Cæsorum acervos strage vivorum teget?
Quibus imperabis? CON. Supplices adhuc negas
Audire voces? CONR. Audio: cesset furor,
Nec ullus arma Cæsaris turpet cruor.
Subjectus ultrò populus avertit luem
Sibi imminentem. Tuque securus tuos
Revise cives senior, & pacem refer:
Ego mox in arces aureis vectus rotis
Subibo: largo tecta Sidonias opes
Ornare luxu, & obvios Regi jube
Adesse cives. Miles at tandem meus
Cruenta Martis arma, pugnandi efferas
Depone curas; vincere minando potens
Fruere triumphis: dona pòst belli feres.

SCENA SEPTIMA.

Manfredi Servus interea dum nuntium præmittit, qui Conradum de fratrum adventu moneat, occultam domini sui machinationem enarrat.

SERVVS MANFREDI. NVNCIVS.

SER. HÆc castra Regis: hîc ego fessus viæ
Paulùm morabor: perge, Cõrado refer,
Abit. Adesse fratres: ipse præeuntem sequar
Fessus; trahendò textiles longùm dolos
Nec dum quiesco scilicet: animus sibi
Ni pertinax luctatur, obnitens malo,
Consilia rerum turbido haud falo reget.
Vt magna parvus acta convellit labor?
Aurâque vectum prosperâ adversus freto
Resorbet æstus? littori adnantem vorat.
At qui periclis horret objectum caput,
Inglorius, iners, immemor laudis jacet.
Per ausa fortis invenit rebus viam,
Et fraudulentus, Quisquis obstantem acrior

Loco

Loco movere deſtinat, ſibi admovet
Immane curis pondus, & caſu prior,
Simúlve lapſus fortè labentem premet.
Quæ palma fraudibus aderit forſan meis.
Sed tamen agendum eſt: animus illectus bonis
Pòſt affuturis ſpernit intentam necem.
Spes una domino junxit, hoc ſervi ſalus
Agitatur aſtro. Fratribus ſortem invidens
Fremenſque ſecum regna Manfredus coquit.
Cæſar Suëvos Italis faſces novat:
Solymamque Trinacrimque Iordanus regit.
At ille adoret regium longè decus?
O fauſta, quàm Conrade, Iordano ſalus,
Miſiſti! acerbis rebus impoſuit modum,
Mihi ſalutem reddidit. Fratri obvius
Manfredus umbræ fida per ſilentia.
Viſit Ioannem, Libya quem belli Ducem
Sicula regentem caſtra Iordano dedit.
Invicta in armis dextera, incerta eſt fides;
Italum nec afris moribus nudat ſolum.
Oblata vidi tempora. Medentis manus
Obſervat horas: hora ſi fallit manum,
Fomenta peccant. Capio quod dabat dies.
Dubiumque verto cardinem: huc monitis meis
Manfredus auro machinas multo vehit
Mauri ut revellat corda; tum certans dolis.
Ille imperatum Cæſarem dedat neci.
Cætera ſequentur. Maure non aurum potes
Ludere. Libyſſa ſtabit hîc tandem fides

SCENA OCTAVA.

Nuntius Conrado exponit Iordani & Iſabellæ adventum.

CONRADVS. NVNCIVS. MILITES. SERVVS MANFREDI.

CONR. OCcurre miles ocior; caſtris meus
Iordanus aderit, feſtus it fratri dies.
Tibi æra in auro fulgurent, oſtro chlamys:
Et diſcolores ventilet caſſis jubas.
Mox explicata per renidentes agros
Auguſta Martis pompa me ſignet ducem.
At tu viarum nuncius cauſam refer
Iterque fratris. NVN. Frater amplexus tuos,
Nec viſa quærit ora: ſecretum jacis
Nexum in volentem Cæſar; adeuntem rapit
Famæ iſte claris emicans armis nitor.

Fruiturus ore Cæſaris, regni ſimul
Ille auſpicatos gratulaturus dies,
Latrata canibus cærula, & Scyllæ rapax
Vectus ſecundâ puppe tranſmiſit fretum;
Tum ſoſpitarunt ſidera & tellus iter.
Aderitque mox ſecuta Iordanum parens
Iſabella: Siculo claſſe quam vectam ſolo
Deducit Hauſpurgenſis Auguſtas regens
Rodulphus alnos: mœnibus viſat ſemel
Siren ut orbis lumina illabi ſuis.
CONR. Exaggerata pectore undanti premens,
Quis non refundat gaudia? haud tantæ pares
Felicitati corde laxantur ſinus.
Erumpat, eluctetur; ô dulci ambitu
Mihi reditura gaudia! Impulſus cadit
Terrore noſtro civis: huc omnis novo
Suëviæ ſpectaculo accedit domus
Struens honores Cæſari, palmam Ducî.
Et poſt Olympo culmen erectum labet?
Non ſuperat alta nubium turbo minax.
SER. Quodcumque noceat, dextra Manfredi teret.

SCENA NONA.

Manfredus & Iordanus à Conrado benevolè excipiuntur. Neapolitani cives ſolvuntur.

MANFREDVS. CONRADVS. IORDANVS. CONRADI CONSILIARIVS. IOANNES MAVRVS. MILITES.

MANF. AVguſte, terror Principum, Regũ decus,
Tibi famulantem dedico frater fidem.
Iubes? recedo. Redeo? Iordanus jubet:
Duco & ſequentem. Caſtra prô qualem tibi
Fratrem videbunt paribus auguſtæ Ducem
Pugnare titulis gloriæ? quamquam ſubit
Ætate, ſceptris, laude germanus minor.
CONR. Tandem rediſti carior, & auctum novo
Sic dono amicas Cæſarem: adverſos dies
Trahere videbar, caſtra cùm rector diù
Solus tenerem. MANF. Sola non Cæſar tenes;
Fortuna tecum, Martis indomitus furor,
Minæque & Iræ dimicant: prudens vigor,
Fortiſque mentis Impetus ſtipant Ducem.
Exempla terris nota virtutum dabis,
Vbi bella domitam ſtraverint Neapolim.

CONR.

CONR. Mittatur iſthæc cura; jam captam tenes.
Dedere cives ſpòntè; ne cunctis foret
Hodie rogali lapſus è flammâ cinis.

Ad Iordanum exeuntem Mil.

Ecce opperitur Cæſar adventus tuos.
IORD. Spectate numquam, ſemper ô ſalve mihi
Venerate Cæſar. CONR. Altior noſtris ades
Iordane votis, fratribus major tuis:
Minor quod ætas abſtulit, virtus dedit.
Tandem vocatus advenis. IORD. Tandem licet
Mihi Cæſarem videre: complexu ſinum
Tenere primo. Video quas cordi intimas
Ignotus ante vultus accendat faces.
Accipio meritis antecedentem, ſequor.
An me experiri bella miſcentem placet?
Sociumque laudis? ſigna Trinacriæ manus
Tibi explicantur: pectus hoc animat cruor
Tuæ ſaluti, gloriæ: vitam, necem,
Commune facio fratribus ſceptrum, geras,
Fratrem perenni jure qui Regem reges,
CONR. Tu poteris orbem regere, qui mavis regi.
Nec, digna ſi te munera daturus geris,
Minora referes; poſſides quidquid meis
Frenatur armis, addita & donis reges,
Quæ mors ſubactæ regna Sirenis dedit.
MANF. Fraterna pietas, lege prô quantâ premis
Mortale pectus! ô vetuſtos Caſtores!
Poſt bella victor Cæſar in fratrem pius
Germana vincere decora officio ſtudes.
Numquam triumphas clarior: certas minor
Iordane vinci neſcius: numquam tuis
Impar futurus laudibus fratrem cies.
CONS. Sic eſſe caris ſtudia germanis decet.
Quibus una generis gloria eſt, præceps cadet
Si dividatur: ſciſſa ſcindentem obruet.
At ubi coërcet mutuos nexus fides,
Vis nulla ſolvet; vincula implexu tegent;
Replicata duplici vincla quis nodo explicat?
IORD. Cuncta ominare proſpera: æternam fidem
Armiſque faſcibuſque fraternis Deus,
Lætumque fauſtitatis impertit jubar.
Hæc gaudiorum fidere occulto ſeges
Fœcunda creſcet. CONR. Creſcet. Haud quiſquam (meis
Obſtare votis audeat: vires, dolos
Rex, Cæſar, armis victor invictus teram.
Habet timendum, cuncta qui ſuperat, nihil.
IORD. Habet timendũ, cuncta, qui ſuperat, Deum.

Humana pendet omnis hinc felicitas.
CONR. Felicitas incerta, ni ſummum tenet,
Cùm ſumma tenuit tuta, nil infrà pavet.
Indulget hoc & numen, & votis adeſt
Noſtris vocatum : ſtudia dum Cæli favent,
Nos & fovemur : aureis vectos rotis
Hodie triumphus nobilis in urbem vehat :
Veniſſe te victoriæ in partem decet.
Manfredus arcem militum inducet globos :
Dux obſidebit regias turmâ fores.
IORD. Maurum futuræ poſcit & pompæ labor,
Operiſque pondus ; acer, indomitus manu
Quod imperaris Cæſar, actutùm geret.
CONR. Sat notus Italis Maurus ; Europæ vagum
Quem fama in omnes diffita evexit plagas.
Invicte perge ; condis æqualem tuæ
Fronti coronam : præmia & quondam feret,
Sæcliſque lingua poſtera æternis canet.
Hæc magna merces. MAV. Major eſt laudum ſeges,
Tua juſſa capere Cæſar, & calle arduo
Sub te labores Hercule ingentes pati.
Quis potior imperare ? vel regni arduos
Tractare faſces ? ſi placet Maurus, jube
Non hac jubentem dexterâ fallo Ducem.
CONR. Nec fallit animum dextra : par illi comes,
Magnumque magna ſequitur : agnoſco tuæ
Virtutis alta decora : victrices ſimul
Si ad bella curas ferre Iordanus jubet,
Legione densâ militum undantes vias,
Mox & propinqua littori implebis fora,
Vndique rebellis videat æratas manus.
Cent. Quos imperaſti Cæſar adduci viros,
Heſterna cives pugna captivos dedit.
CONR. Ahena civis vincla dediſcat meus ;
Nodis levate ferreis artus graves.

Exeunt cives Neapolitani captivi.

CHORVS.

Liberi cives poſt belli incommoda reſpirant.

OCcluſas aperi fores
O dilecta tuis patria civibus.
Belli vincula ſolvimus ;
Et paſſi tenebras carceris horridas,
Cæli ſolibus aureis,
Sirenum liquidis reddimur otiis.

At quæ ferrea geſſimus
Obſtricti miſero vincula pectore,
Vrbs non antè domabilis,
Nunc frenata tuis inſere mœnibus.
Triſte: at fulmine bellico
Eſt pacis niveæ gratia pulcrior.
Vernis cincta leporibus,
Hæc terris melior munera dividit.
Quem non claſſica terreant
Martis ſanguineis aucta furoribus?
Nec tu blandâ per æquora
Siren vitiferis vecta curulibus
Flebas ſola rigentibus
Adveniſſe tibi bella trionibus.
Ponti ab littore duplicis
Iam pridem fugiens Italus ingemit,
Armatos Aquilonibus
Hîc ſedem populos quærere civicam.
Quis Cimbros memoret truces?
Et merſo profugos littore Theutonas?
Mundi regia nobilis
Heu frenos Geticos diruta pertulit,
Et ſævos pereuntia
Senſit regna duces figere Vandalos.
Terræ proſpera patriæ
At miti venient tempora ſidere:
Magnis cum dominis regi
Gaudebit placidis obvia legibus.

ACTVS SECVNDVS.

SCENA PRIMA.

Conſiliarius Iordanum monet, ut ab occultis Manfredi odiis ſibi caveat.

IORDANVS. CONSILIARIVS.

IORD. ADhuc moratur Cæſar. Affatus rogas
Tu ſæpe noſtros: fare, quod fatum imminens?
Super latentis tela quæ dextræ vides?
CONS. Serena vultus ſigna, fucatus color
Fratriſque lætos ſpondet eventus amor;
Metus at recurſat, dubia quod ſceptris venit
Geminis poteſtas: regna non capiunt duos.
Diviſa quæ legavit emoriens pater,
Diſſolvit una. Turbido ſcindens vado
Abrupit Italis Sicula ceu pontus ſola:

Sic ille ſceptris abſcidit : nutat, perit.
Ob regna geminis Regibus nulla eſt fides.
IORD. Nam quod periclo reris objectum caput ?
CONS. Infirmior qui vulneri exponit latus.
IORD. Inerme nullus vulneri exponit latus,
Quem nomen armat regium CONS. Haud ſemper
Nomen regentis : inſtat à tergo altior, (tegit
Et fortiore dexterâ interdum necat.
Sic enſis enſem frangit, & ſilicem ſilex ;
Percuſſus impar viribus cedet, cadet.
IORD. Cur iſta nobis præcinis ? nullus cadet.
Si fortè lapſus incidat, miles, Duces
Placidum cadenti ſponte ſupponent ſinum,
Meliorque ſurget ; undique obvallat ſalus.
CONS. Sic corda ſcelere liberas ? nondum vides,
Cupido cuncta ut impotens vertit, ruit ?
Nondum quid animæ livor, aut quò devius
Iordane noſti mentis erumpat furor ?
Quid vel potentes nolle, vel ſceptro pares ?
Aurâ minore vectus imperio ſubis ?
Cæſar favebit. Imparem vincis notam ?
Sublimiorque gloriâ tangis gradum ?
Dejiciet idem, vique dejectum premet.
Novi ego, quod altè condat ingenium vafer ;
Præceps ad iram, ſubdolus, fallax, ferus,
Et pejerati juris, & mentis tenax
Spe cuncta devorantis, obſtantes ſibi
Si fortè faſces credat, effringet tuos :
Caroque ſanguine myſta crudelis litans
Te te hoſtiam atris imperî ſacris dabit.
Omnia putat licere, qui regnum petit :
Nec regna credit eſſe, ni ſolus regat.
IORD. Fraternus odia franget, & furias amor.
CONS. Vel nulla fratrum, ſumma vel odia exeunt.
IORD. Non unus odia ſumma progignit dies.
Parit ira, tempus nutrit, attollunt minæ,
Mora firmat, animus roborat probri memor,
Tum rabida ſerus arma diſtringit furor.
CONS. Iræ imperabis ordinem ? fervet, furit
Indomita, & exlex ; evomit cæci truces
Cordis tumultus, victa non cedet, novo
Rurſum æſtuabit impetu : abducens moras
Non vulnerabit ocior ni vulneret.
IORD. Involvet unde turbo tam ſubitus duces ?
Inopina ſic procella non undas movet.
CONS. Procella nautis, antequam ſurgat, fremit :
Ante & fatiſcens nunciat lapſum domus :
Monſtratque fulmen, antequam feriat, facem ;

Ab homine ſubitum naſcitur, nullis malum
Notis prehenſum : tegitur occultum magis,
Quo mage propinquat. Ira diſſimulans ferit.
IORD. At non repreſſit victor irarum faces
Conradus, animum temperans auguſtior
Quàm regna? CONS. Regna poſſidet, qui ſic regit,
Diuturna terris ſceptra ſecurus ferens.
Intemperatis ille ſed regitur malis,
Secretiore verberatus impiam
Mentem procellâ : diligit ; verſo die
Exercet odia. IORD. Iuſta ſi fuerint tamen.
Haud exprobari regibus vulgò decet
Conſilia mentis ; oderint, metuant, ament
Hæc judicandus judicet ? Clavum regit
Quicumque puppis, aura quo ducit, movet ;
Arbitria neſcit inſtitor, nautam probat.
Vbi malefacta corrigis, non corriges
Malè arguendo : conſulas, ſi quid boni
Eſt conſulendum : reliqua componet Deus.
Malè ominaris, nulla ſi apparent mala.
Tamen cavebo. Fratris excutiam ſinus,
Occulta retegam vota, fallaces modos ;
Vitare nunc, haud regiæ mentis reor.

SCENA SECVNDA.

Gratulantur ſibi pacem.

PRÆFECTVS VRBIS NEAPOLIS, SENATORES.

PRÆF. CEſſare pulſo Marte, lethalem tubam,
Cædemque volui : ceſſit. O pacis quies!
O ſoſpitatrix gaudiorum nuncia,
Fœcundæ amica Cereris, & frugum ferax,
Altrix pudoris, ſobolis ingenuæ parens
Pax arva longè triſtia, & miſeras diu
Campaniæ feracis odiſti domos.
Nec licuit altis populos uvis graves,
Culmoſque latis ſtringere albentes agris
Defenſa qualis Roma ſacrorum Patri
Meſſes acervat ; frugibus campi nitent,
Et longa civibus otia effundit Tybris.
SEN. Offerre dum licebat inſani caput
Martis periclis, vita ſanguineo ſtetit
Obvia duello ; patria nec metuit minas,
Et hoſtis arma contudit. Pacis nitor
Iam pulcer elucebit ; ancipiti ſalus
Verſata ludo ſerta jam figet gradum.

SEN.

SEN. 2. Agnoſco pacis munera, ô tandem meis
Potiora votis! Principem victis dedit,
Cui terra gemino ab axe non æquum daret.
Servire juſto, pulcra libertas Duci eſt.

SCENA TERTIA.

Conradus triumphans in urbẽ invehitur.

CONRADVS, IORDANVS CVRRV VECTI. DVCES. MILITES. PRÆFECTVS VRBIS. SENATORES.

PRÆF. SVa quiſque miles ſigna proceſſu pari
MIL. Servet: manipulos, ordines ductor regat:
Numeriſq; militaribus turmæ ſonent;
Æterna meritos carmina Heroas decent.
MIL. CHOR. Age laureata pubes.
Cane Cæſaris coronas.
Age deſtinata Marti
Cane victa pertinacis
Malè tuta civis arma.
Age jam ſoluta bello
Cane bellicos honores:
Italoſque per triumphos
Redimita fronde pubes
Ducis ante læta currus,
Parileſque Regis axes
Cane Io, Io triumphe.
PRÆF. VRB. Hodierna Cęſar ſupplices, proni tuos
Et ante currus gratulamur gaudia,
Fratremque juſto proſequi obſequio juvat;
At deprecantes patriæ infauſtos dies.
Afflicta bello venit in veſtros ſinus
Alumna Charitum, blanda dominatrix freti:
Ex ore gemino videat allapſum jubar;
Numquam obligatam populus abrumpet fidem.
CONR. Quæ cogitaſtis bella perituri meo
Sub Marte cives? populus infrenis ſui
Iuſtas habenas Cæſaris, currum Ducis,
Domitoris ora Principis victus vocat?
Adſum, videbunt. Gnara vincendi manus,
Sed novit eadem parcere: auguſtâ premo
Gentes, ſubinde ſupplices dextrâ levo.
Vos fauſta pompæ vota victrici date.
MIL. CHOR. Age laureata pubes, &c.
ITE ſublimi pariles triumpho,
Frontis auguſtæ glomerate lucem
Æmulam Phœbi, geminumque Reges
Ducite currum.

Vidimus

Vidimus nexis domitam catenis
Floream ponti trepidantis urbem;
Frena victoris docili dediſtis
Ferrea collo.
Audiat longè, meritoſque honores
Augeat tellus, paveatque forti
Sic in extremos populos iturum
Cæſare Martem.
Aridam qualis ſtipulam voracis
Corripit flammæ violentus ardor:
Nec valent ſilvæ teneras tueri
Arbore frondes.
Cæſar occluſam metuendus urbem
Aere ſic ardens quatit, & minaci
Diruit muros, rapit occidentes
Fulmine cives.
Subdola ignavos meditata cantus
Luſerat Siren, placidique fluctus
Blandâ vocali fide murmurantes
Moverat undas.
Sed nec audaces in amica bella
Abſtulit ſenſus canor, aut doloſis
Vocibus vinci facilis retorſit
Prælia victor.
Non capit linguæ, citharæque cantus,
Quem tubæ clangunt lituique circum,
Et cient pulſu tepidi cruoris
Tympana rivos.
Hunc movet magno ſonitu per auras
Fama decurrens: movet imperantes
Quæ regit faſces, ſtabilemque ſervat
Gloria laudem.
Vincitis bello, reditura ſæcla
Laudibus juſtis ſuperate Reges:
Cedet, & veſtris minùs invidebit
Laudibus ævum.
Age laureata pubes, &c.

In fine huius ſcenæ urbs interior oſtenditur.

SCENA QVARTA.

Manfredus invidiâ æſtuans fratribus exitium machinatur.

MANFREDVS.

ABite. Pendet animus arcanis vacans.
Vt tota ſe profudit in fratrum ſinus
Felicitatis ſumma? Nec miſero ſatis

Mihi

Mihi ſemel horrida ferre, probroſa, aſpera?
Acerbitatis vulnera exſuperant modum.
Adverſa quiſquis ingemit, nuſquam dolet
Semel eſſe miſerum: ſemper inveniet miſer,
Quod doleat iterum. Memet infelix gemo
Regni paterni tangere extremos gradus
Parvi Tarenti Principem. Haud ſiſtit malum:
Honore fratrum creſcit. Hic claros manu
Frenans Suëvos Italo rector ſolo,
Super evocatus imperat terris, aquis.
Et Trinacrim adigit alter, & Solymam premit.
Ego ſolus expers imperî, regni inſcius
Turpis repellor ſcilicet; demens, iners,
Fratrum flagellis verberandus aſperis,
Igni notandum vile mancipium. O pater!
O Federicē liberis monſtrum tuis,
Parentibuſque turbo, quam legas luem
Meliora merito? tardiùs preſſi ferum
Ego quidem amaris ultus inventis caput,
Multâque morti veſte morientem dedi,
Pejus merentem; ſceptra natorum optimo
Mihi rapta repetens. Iamque tollebam meos
Duplices ad oras Itali faſces maris,
Cùm tonuit improviſus, immitis, rapax
Aquilone ab alto lapſus, & triſti gelu
Cæſar Trionum: qualis hibernas ſuper
Repente Boreas mugit invectus nives.
Mox imperantem dejicit, ſceptrum vorat
Mihi deſtinatum. Fruere; dum per me licet,
Potire ſpoliis raptor: at furta ocius
Extorta reddes, barbare; ô reddes; meis
Non latro ſentit fulmen expreſſum dolis?
Quid Maure ceſſas? intona; arctoam feram
Malè laureata ſerta geſtantem comis
Novus ſicano fulmine abſumes gigas.
Bis obligatam cæde feſtinâ fidem
Servabis Afer: dona non dabis ſemel
Cùm propera dederis. Forſan extinguam duos:
Iordanus illo forſan impulſu cadet:
Mihi regna duplicans. Gentis at dicar ferum
Monſtrum Suëvæ? dicar Italiæ probrum?
Et criminum ardens Hydra pullulantium;
Qui jungo funus funeri, & necem neci?
Quid hoc? Chimæra gentium, latrans fame
Harpya, Gorgon anguibus ſtridens vocer.
Curabo tenues ſcilicet frondis ſonos,
Sceleruмque, fraudis inſcius, quæram modum,
Notus parentis carnifex? Vltra modum

Ex-

Exaggerentur. Omne non moveat nefas
Patris cruentus sanguine? ô nefas, nefas!
O quis paventes verberat visus? Quis ò!
Furiat recussam squalidâ mentem face?

SCENA QVINTA.

Ab Vmbris scelerum vindicibus exagitatus Manfredus furorem remittit.

VMBRÆ. MANFREDVS.

HVc silentis vulgus orbis,
Incolæque noctis atræ,
Huc adeste lucis hostes;
Parricidam, fratricidam
Vulnerate, cædite.
MANF. Quid huc refractus orbe pallenti specus
Immurmurantes vomuit umbrarum greges?
Quis vestra, manes, limina illapsus, nigras
Pulsat cavernas? cedite, profundo sinu
Tellus fugaces incolas noctis vocat.
VMB.1. Tu cuncta Ditis monstra, tu pœnas cies:
Huc verte, quo declinat obtutum pavor;
Cœtus tuorum criminum vindex adest.
MANF. Emissum inani ab ore mentiris sonum:
O! umbra mortis filia hinc vitam petis?
VMB.1. O! prædo vitæ, generis eversor tui,
Quæ busta fratrum condis? extinctam domum
Quanto sequeris igne? quo ferro cades?
Nisi expiatum refugis, abrumpis nefas:
Et tu necatis spolia germanis feres?
MANF. Pater necavit filium. VMB.2. Natū pater.
Stravit merentē. MANF. Cæsar occumbet merens,
Cui sceptra cædes, purpuram fecit cruor.
VMB.3. Tibi vindicandum particeps sumis scelus?
Rursusque regnum sanguinis fluctu obruens
Contaminatum strage fraternâ premes?
MANF. Pater ante nato sceptra quæ rapuit, peto.
VMB.4. O! Scylla clari generis, ignotum genus,
Stirpis Suëvæ dedecus, crimen patris!
Tu ne inquinatâ polluas sceptrum manu,
Humanitate devius, ferus feris?
MANF. Humanitatem gnara nunc umbra admoner.
VMB.1. Humanitatis umbra plus habet, ferus
Quàm raptor hominū. MA. Larva sed palā loquax.
Nil hominis, umbræ quæ fuit, præfert nihil.
VMB.2. O turbo fidei! MANF. Solis ô nubes, abi.
VMB.3. Vorago patrii sanguinis. MA. Sed non tui.

VMB.4. Procella pacis, Regibus triſtis lues.
MANF. Pax ſtabit uno Rege; quam plures fugant.
Quid tres creantur Principes? unus regat.
VMB.4. Melior in omnes unus at regnum ferat.
MANF. Eſt ille melior, regna qui fecit ſibi,
Quàm qui paterna ſuſcipit? VMB.2. Si non rapit.
MANF. Non rapit, abacta regna, qui juſtè capit.
VMB.2. Quæſita crimine regna quærentẽ obruent.
MANF. Quæſita regna crimine tuebor pius.
VMB. Adhuc coactus incubat menti furor?
Nec dum venena corde lymphato vomis?
Aperite campi viſcera: obſcuro fragor
Emiſſus infremat orbe: colliſa intimo
Profunda tellus murmure abſorbe, arduis
Mundi ruinis obrue infelix caput.
Vos agite in altum pectus immanes metus
Vmbræ ſequaces: ſtirpis antiquæ luem
Eripite cælo. Patriam vertat domum?
Quam fraudulentus deſtinat, mortem ferat.
Meditaris inique ſatelles,
Fera vulnera, funera Regum?
Tibi triſtia funera duces.
Tumet alta cruoribus unda,
Vbi vortice merſa voraci
Lita crimine membra recondes?
MANF. Heu! crucior, agitor, ardeo: agnoſco nefas,
Ignoſcite duces noctis. An culpæ inſcius
Has cogitati funeris pœnas luam?
Terris quis ultor punit infectum ſcelus?
VMB. Qui ſolus hominum corda ſcrutatur Deus,
Eſt ille vindex. Pergis? in pœnam ruis.
MANF. Abite furiæ mentis: haud tanto placet
Regnum periclo: ſubitus heu mortis rigor
Obſedit artus. Media quid cælo dies,

Labitur in terram.

Quid Sol receſſit? morior; ô dolor, dolor!
VMB. Sat perfidus habet, corde ſubſidit furor;
Semianimus aliò cædis avertet minas.

SCENA SEXTA.

Manfredus à Furiâ rurſus in ſcelus inſtigatur.

FVRIA. MANFREDVS.

FVR. QVid machinatur profugus umbrarum globus?
Cædem retardat? iſte ſopitum ſcelus

Nondum

Nondum peregit? odia non fervent satis.
Hoc incalescent igne: furialis rogi
Versata circum tæda vivacem sitim
Indet cruoris: pectori invertam truces
Furoris æstus, cædis ardores feros.
Bibe jam cruenta flumina: insanæ sitis
Nullo domabis flumine accensas faces.
Benè est: calescent funera; hic strages coquit.

SCENA SEPTIMA.

Extrema rursum fratribus minatur.

SERVVS IORDANI. MANFREDVS.

SER. JAcet; nec ulla signa moriturus, gerit
Animæ latentis. At quis est ausus meos
Necare cives? video? prô rerum fidem!
Manfredus hic est. Spirat? exsangues solo
An posuit artus? ô truces urbis dolos!
Respirat: alto vita paulatim redit
Incluſa corde. MANF. Morior: at solùm fugit
Me vita? geminus antè germanus cadens
Num me ruinâ condet? hic tumulus placet.
SER. Tumulos, ruinas narrat, & fratrum neces.
MANF. Quodnam venenum viscera exurit? vorat
Heu! corda missus ore larvarum vapor.
O quis receptas sanguine extinguat faces!
Non cædis ultrà vota fraternæ bibam.
Nec, si cruoris flumina Suëvi fluant,
Sanguineus ima fulmina extinquet liquor,
Quæ cincta flammis pectus Ætneis vomit.
Exsuperet ille maria, quem posco, cruor,
Et maria cordis ebibent nostri sinus.
At Maure sanguine temperas fortes manus?
SER. Quas Maurus atro sanguini spondet manus.
MANF. An igne vivax ipse consumam feros?
surgit. Potensque surgam? Flamma dat vires, me-
Populata cordis. Ensis, ô! ensis mane. (tum
Elatè serpentigenâ, amicâ fulmini,
Semper tonante. Qualis erectus jugis
Alto Typhœus sidera avellit polo,
Horrendus, ingens: qualis Orion fremit
Clavâ tremendus, nocte cùm Taurum quatit:
Sic intonabo crispisulcantes faces,
Magis ense formidandus; hoc scindes duos
Manfrede nodos, claustra regnorum teres.
Fundes cruores avidus, implacabilis,
Quod gerere nolis, Cæsaris lictor geres.
Mersate pateris viperas, hydros mero:

Afflate dirum ſæva in ora toxicum ;
Non ſurdus alter ſibilis ſerpentium
Regnat meorum. pereat, occidens cadat.
SER. Tibi fulgurat Iordane, ni telum caves.
MANF. Heu ! quid recurſat cædis infandæ furor ?
Cupido mentis, ira conſultrix abi.
At vertit animum, melior aſpectus rapit.
Quis me coronâ cingit ? auratos dedit
Quis ferre faſces ? terra Campanis vocat
Num verberata fluctibus memet Ducem ?
Sed clauſa finibus Italis non eſt fatis.
Europa Domino pande ſubjectos ſinus,
Et Libya, & Aſia dives, & ſi quam freto
Inviſa gentem condit extremo Thetis.
Obtemperare deſinis ? fratrum nece
Regnum paciſcor : ſceptra mercatus feram
SER. Redis eòdem. Sanus hic ſapit furor.
MANF. Adhuc reſiſtunt ? arma torquebo efferus ;
Trabale mortis eminus telum vibrans :
Vtrumque frangam pectus. Hoc auſo patrem
Dedi indolentem funeri : ſævit manus
Hæc officina vulnerum, ſtragis comes,
Ardenſque fulmen civium, fratrum, omnium,

Rurſus decedit.

Mei occidentis ; ô triumphalem diem !

SCENA OCTAVA.

S. Petrus Manfredum furiis agitatum ad ſaniora conſilia hortatur, malè interim ominatur Conrado.

S. PETRVS MORONVS. SERVVS IORDANI. MANFREDVS.

S. PET. Vtum periclo mœnibus aprici finus
Deſideratis intulit tandem Deus.
Vt Marte clauſas urbis aperiret foreis,
Removit arma. Gliſcit occultis tamen
Fuſum venenum peſtibus : video imminens
At involutum cladibus cæcis malum ;
Nec certa video funera. Abſiſtat quies
Grati receſſus : avio educit ſpecu.
Periclitantum dulcis animarum ſalus.
SER. O ſpes cadentis ſæculi, ô Italum decus,
Nunc Petre tempeſtivus ut regi advenis !
S. PET. Satis ne ducibus vota fortunat Deus ?
SER. Deus omnia domi proſperat : victam duos

Vrbem

Vrbem triumpho currus invexit duces:
Plausuque cuncta personant. Hic solùm agens
Emotus altâ mente Manfredus furit.
MANF. Mihi unde pulsis nubibus cælum redit?
O pater, acerbis vexor heu monstris, potens
Succurre misero. S.PET. Cautus observa tuos
Animæ furores, fonte quo lapsi fluant.
Si crimen agitas, peste jam certâ furis;
Non ulla scelere certior tactum lues
Depascit animum; conscium culpæ metus,
Stridorque stygiâ percutit tortum face.
MANF. Me culpa sceleris dira patrati fugit.
S.PET. Sat cogitati. Prima fit noxæ parens
Placitæ voluntas: odia, vesanos ferax
Gignens amores, fraude contextas neces.
At qui scelesta vetuit, illapsu intimo
Scrutatus animum numine arcano Deus,
Adest futurus ultor. Ignotum paras
Si mente facinus, cerne præsenti manum,
Ictus minantem fulmine: ardebit, ruet,
(Ne dubita) aduret ignis. absumet vorax.
MANF. Vitandi amorem sceleris oppressit metus.
S.PET. Vitandi amorem sceleris injiciet metus,
Si averna mente pavidus, & Ditem vides.
Qui criminum audet turbido infames salo
Tentare syrtes; naufragus, raptus vadis
Intrabit altos Tænari ardentis lacus,
Stygiæ profundis innatans noctis rogis.
MANF. Reposta sunt hæc corde; S.PET. Fac idem (precor
Servata vivant; excidet mentis furor.
Abi, nocendi at immemor; pœnæ memor.
SER. Quæ dira narras Ducibus infelix pater
Averte vates omen. S.PET. Avertat Deus.
Vrbs victa Regem fortè victorem premet.
Precabor equidem Numen, at video super
Cæleste fulgur, & coruscantes faces.

CHORVS

Monet non peritura sed æterna regna esse quærenda.

O Parva magnis orbibus ætheris
Collata tellus! quam tamen impio
Martis laborantem tumultu
Scindimus, horribilique ferro.
Hic & sub antris aurea pondera,
Quisque & sub undis gemmea lumina

Rimatur, ingenteſque condit
Semper inops, populatque prædas.
Hic & fluenti perlita ſanguine
Raptis gravatur dextera faſcibus,
Perque arma, per cædes fugaci
Fronte viret peritura laurus.
Quid inquieto quæritis integrum
Sub ſole gentes? decidit, occidit,
Quodcumque lethales ad horas
Præcipiti properat ruinâ.
Fruſtrà parantur gaudia, triſtiùs
Quæ poſſidentem ſubdola deſerunt:
Aut antè probroſam cruento
Dant ſceleri, furiiſque mentem.
Eſt quod ſupernis arcibus inſidens
Nobis perennat fidere pulcrius:
Nec tela ſentit, nec procellas,
Aut cariem pereuntis ævi.
At quis bonorum ſedulus artifex
Æterna curat? quis fugientibus
Sublarus oris, regna felix
Per ſuperos meditatur axes?
Princeps Suëvo ſtemmate nobilis
Si regna in aſtris ardua conderes,
Non monſtra, pro ſceptris teneres,
Non animæ furiale crimen.

ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

Manfredi Servus irrita Moroni monita irridens, Maurum ad fidem Manfredo præſtandam animat.

SERVVS MANFREDI.

QVis hoſpes hodie regiam invaſit ferus?
Et luſtra fugiens aureum limen ſubit?
Montanus auceps urbe venatur dapes?
Diviſa moribus aula quàm diſtat tuis
Monticola, agreſtis, hiſpide, hirſute, horride.
Malè deſeruntur tecta cognatæ domus,
Si cœnobita Principum obſideat fores.
Tractare dociles arbiter frenos Ducum,
Verſare corda ruſticus Regum putat?
Perge, admonebis, callidus, doctus Reges:
In antra mox redibis, ut longè domes

Exſibi-

Exſibilatus civibus, rector feras.
Mihi cuncta jam proviſa diſponet dolus.
Trunco velut favilla ſurgentes parit
Relicta flammas ; virus ita Mauri latens
Majora poſt incendia evolvet ſinu.
Ludicra nunc per arma decurrat jocus.
Mihi proſper hilarem finiet ludus diem.
At ecce Maurus. Noſter ô Mavors, tuæ
Lybiæ tremendus Hannibal, nondum tonat
Terrifica ferro dextera ? aut ſtragem vomens
Criſtatus altis fulminat flammis apex ?
Impunè volitat Cæſar, & domitam ferox
Vrbem triumphat ; arma tu oblitus jaces ?
Necdum potitum ſceptra Iordanum colis ?
Num periit obligata Manfredo fides ?
MAVR. Antè ipſe peream. Facta ſed tēpus movet.
Manus in agendo propera molitur moras
Non ſera dices, veſper ut ſerus vehat.
Atrox tumultus Cæſari, & cædes tumet.
Nunc eſt ſilendum. SER. Mutus elinguem mones.

SCENA SECVNDA.

Exhibentur ludi triumphales.

CONRADVS. IORDANVS. MILITES. EXTERNI EQVITES.

CONR. Corona meritis æqua victores manet,
Pretiumque palmæ : fulguret victrix cohors
Enſibus, & haſtis : miſſilis currat ſeges.
Victor ſuperbis laureas frondes comis,
Auriquetorques pendulos collo gerat.
Merces placet Iordane? IORD. Plus æquo datur,
Quæcumque magno Cæſari merces placet.

Externi Equites exeunt.

EQ. ROM. Nos Roma miſit fortibus in armis pa-
O Rex paratos dimicare Martio (res,
Formidoloſi pulveris certamine.

Haſtiludium. Nuncius exit.

NVNC. Valens valere conjugem conjux jubet,
Epiſtolamque nunciam arcani dedit ;
Cæſar legas ut illico acceptam rogat.
CONR. Hodierna cumulas gaudia, & nimiū placet
Quod poſtulatur. Itali rurſus Duces
In fine. Simulacra belli pergite, aſpirat Deus.
Satis eſt : coronas victor at dignas ferat.

SCENA TERTIA.

Manfredum hærentem Servus in cædem instigat, totumq́ coniurationis instituendæ ordinem edocet.

MANFREDVS. SERVVS.

MANF. MIhi vera Petrus nũciat; dãnat scelus,
Stridens & animos populus umbrarum meos
Adhuc flagellat, verbera intentat mihi.
SER. Telam retexit iste, ni filum regam.
Dubitas & in rem consulis? factam tenes.
Consulta rebus, antequam faciat, petit;
Exinde prudens, strenuè invictus, studet
Deliberatis. Cœpta consiliis novis
Quicumque miscet, exitum rarò videt.
MANF. Consulta quæ postrema, nescis optima?
SER. Nisi inchoata facta matures, reor.
Desperat opibus quisquis incertis, recens
Malè auspicato in opere consilium capit.
Eventa rerum diligens versat manus.
MANF. Cælestibus si humana neglectis placet
Consulta facere, funditus cuncta occident.
SER. Humana pro cælestibus lucro incubans
Non nemo vendit improbus; fidum nihil.
Libido quo præcipitat, interdum comes
It falsa pietas. Vacua dum sceptro manus,
Tristia canuntur: regna metuendus capis?
Tum cuncta capies; ante qui cælum negat,
Mox ille pleno sidera effundet sinu.
Ambitio nil non insolens Regi sacrat.
MANF. Corona crines obtegat numquam meos,
Nisi ante geminâ clade germanus iacet.
Vter superstes fuerit, expendam scelus.
Geminata sed quis funera immanis probet?
SER. Quis ausit improbare, cui trahitur tuis
Suspensa vita nutibus? cunctos ligat
Regis voluntas, rapere mortales potens
Quocumque vergat; pondus hoc sequitur leuis
Populus, Senatus, Principes; unum vide,
Qui regna teneas, reliqua cum regno tenes.
MANF. Quid dicet orbis? vel quis infamẽ probris
Rumor sequetur? oderit populus minax?
Rapaciorem tigre Manfredum canat
Alto cruoris innatantem flumine?

SER.

SER. Id turba curat ſcilicet, pecorum vorax
Quæ more, paſtus uberes Regem rogat;
Condonat ultrò cætera, At mendax times
Si fortè vulgus; horreis totam ſuis
Effunde Cererem: divite è cornu fluens
Exuberantes impleat meſſis domos.
Tum populus acta provehet; Regi, patri
Laudeſque patriæ liberatori dabit:
Qui dona reperit, compedes auctor tulit,
Animoſque & ora nexuit. Vitium tacet
Aſtricta munere lingua dediſcens loqui:
Aut obligata præmio laudem ſonat.
MANF. Vt odia frangas; ſtabile non regnũ paris.
In lubrico ſunt regna, cùm ſanguis fluit.
Quì fecit, idem ſceptra, non gladius ferit?
SER. Ferit, ſed hoſtes: regna ſi gladius tulit,
Hoſtem antè cæſum ſuſtulit. Cæſar cadet;
Natum jue regnum fratris occaſu feres.
MANF. O te doloſum, fraudibus merſum tuis?
Futura nondum prævides? gemino gravis
Regno ſit alter: ſceptra Iordano paris,
Cui Maurus, ardor militum, cives favent.
Cum fratre raptus concidat frater ſimul
Oportet, ipſe ut imperem. Quid huc moves?
Vis nulla Regem frangere obſeptum poteſt.
Provehere quem non valeo, jam ſiſto gradum.
SER. Reſiſte; ſi provectus in curſum, potes.
Tibi jacta ludit alea: nec ultra vacat
Eripere dubio creditam ludo manum.
At me ſecundis vela tendentem notis
Quid hîc moraris? mente ſive imâ furor,
Seu deſtinatis animus occurrens bonis
Molitur audax, inclytum, ignotum, arduum,
Sublime, majus & gigantæis opus.
Tu pavide frangis traditam ſervo fidem,
Iam jam tumultus audies, Regi minax
Iam dextra Mauri fulminat: civem undique
In arma conjurata collectum movens,
Vt ſimulet iras, vulnera in Regem rotet.
Victor peremptо Cæſare, ad faſces novos
Iordanum inertem rapere, ſed falſus putat:
Me cœpta promovente, Manfredum vocat.
Quod ſi fugaci tela Conradus gradu
Eludit; aliis texitur ſtamen dolis.
Nam ſcelere Mauri furere Iordanum ratus,
Huc Cæſar omnes fundet irarum faces.
Et ſuſpicaces litterâ intendet minas
Mihi exaratâ: vera mentitam dedit

Quam falsus antè nuncius : sæva ingruet
Vtrimque rabies ; reliqua disponet dies.
Hæres ? agendi tempus oblatum fugis ?
Serò volentem fugiet : innectis moras ?
Occasio moritur, orta quæ morabitur.
MANF. Vincis : pavores decutis : semel impium
Iuvat fuisse, fuero si regno pius.
Quocumque me vocaris, haud tardus sequor.
SER. Audin ? tumultus ille pugnantes notat :
Iam dextra capulis hæret, i, mentem abjice.

SCENA QVARTA.

Conradus à Mauro appetitus, in Iordanum, ut proditionis auctorem, vindictam parat.

CONRADVS. MANFREDVS. SERVVS. MILITES. PRÆFECTVS VRBIS.

CONR. ACcurre miles, civis extinctũ frequens
Defende Regẽ. Siccine in nostrũ ferus
Intenta jugulum tela germanus gerit?
O Parricidam ! MANF. Quispiam Regi nocet ?
Et fraudulentos Marte componit dolos ?
SER. Distringe gladios miles, addensa globum.
CONR. Quàm pœnè cecidi frater occideram feros
Inter latrones : muneri debes fugæ
Quod vivo penitus vita ni periit tamen,
Videorque vivens. Petiit infestus latro,
Seu rapere quam non potuit, hanc vitam dedit.
MANF. Tantum urbe domitâ civis aggressus nefas.
CONR. Quod nemo tentet, perfidus frater movens
Nostris venenat Mauricos angues malis.
Dum civica armis arma simulatis ciet,
In me volantem Maurus intorquens necem
Nudum petebat ferreo nimbo caput.
Iordane proditoris impellis manum.
MANF. Hæc frater ausus ? impium ferro latus
Scrutabor, animo conditum tetro scelus
In vulnus evocabo, & ipso proluens
Mox expiabo sanguine. CONR. Haud opus, prior
Pœnas reposcam. Vana sunt frena imperi,
Ni Rex timendus vindices pœnas capit.
MANF. Timendus Imperator, ultores habet.
CONR. Qui petitur, ultor ipse supplicium petat.
MANF. At fortè geminos ille germanos petit,
Et me ruinis opprimit inermem tuis ;

Necan-

Necandus antè prædo, qui fratres necat.
SER. Sed nulla cædis ſigna violentus dedit?
Index futuri turbinis nubes præit.
CONR. Sua fulminatrix tela ſed nubes tegit.
SERV. Propiora tangunt fulmina; at longè micant
Sollicita miſit litteras conjux; tenes
Quid ab Suëvis uſque reſcribat plagis?
CONR. Secreta poſcunt; legere ſed tempus jubet.
Furentis arma fratris ut caveam monent.
O dira ſimulantis odia, doloſam fidem!
Adeòne certo deſtinata vulneri
Nos arma fallunt? Implet Europam vagus
Rumor nefandi criminis, Mauros Duces
In funus iſte adornat, & noſtram diù
Indormientem ſcilicet ad ictus feros
Aurem refugit? faxo, non fugiet manum.
Hac tecta & urbes dirui, ardenti ſolo:
Hac intonatis fulmen incuſſi plagis;
Non frangam inermis ora, non corda eruam?
NVNC. Armatus ô Rex territat cives globus,
Minatur urbi Maurus. CONR. Importat faces?
Excidia tectis conjicit? ſolves ſcelus
Tu quoque Libyſſæ partus informis feræ:
Portenta, diſces, afra quid diſtent viris.
I caſtra; noſtrum militem armari jube.
Huc mixtus equiti properet æratus pedes.
MANF. Ne pœna ſero claudicet greſſu cave.
CONR. Non ſera veniet pœna, quam Cæſar movet
Iratus ultor; tela, quæ fundam, necant;
Non uſitatus illa diſtringet furor.

SCENA QVINTA.

Maurus Iordanum tueri parat.

MAVRVS. MANFREDVS. CONRADVS. MILITES.

MAV. HVc arma miles, arma. MANF. Rex, Maurus furit:
Moraris hîc inermis? CONR. Haud tuta eſt mora,
Dum miles adſit. Arma reſpondent dolis.
MAV. Ne fortè nutet dubia Iordani ſalus,
Denſare, propera miles, & toto vagos
Cogi maniplos littore actutùm jube.
Regem ergo noſtrum cædis inſanæ reum
Mentitur urbi Cæſar? indignè ferum
Iordano acerbus frater objectat ſcelus?
Suborta fortè pugna ſic iras movet?

At ſi quid unquam fuimus : infracti malis
Si ſtetimus, armis ſemper adverſis graves,
Hodierna laudem priſtinam attollet dies.
Per hoc retorta pectus infiget duci,
Qui capiet arma. MIL. Stratus occumbet prius
Et ille telis membra diſcerptus meis.
MIL. 2. Voveo : ante acervos corporum cadentium
Et inſolentes hoſtium ſtrages paro.

SCENA SEXTA.

Iordano adversùs Conradum ſe armanti Servus occulta Manfredi conſilia aperit. Moronus eum ſolatur.

IORDANVS. SERVVS IORDANI. S. PETRVS.

IORD. O Gaudiorum vulnera, ô riſus breves!
Vt læta triſtes parturit luctus dies!
Medio coorta militum ardentum ſoro
Innocua fortè pugna Conradum procul
Fugâ removit : timuit, aut ſimulat ferox
Timuiſſe Cæſar funera incaſſum meis
Inſtructa turmis. Animus at noxæ integer
Mihi longè aberrat. Quid ſi adortus occupet
Incogitantem ? Damna, qui metuit, facit :
Et optat alios ruere qui caſum timet,
Vt ſtet ruinis. Hocce ne malum inferat
Iam providebo : Milites regem tegant :
Nec Maurus abſit, muniat noſtrum latus.

Servus exit.

SER. Rex ſalve, acerba nuncio. Vidi aſperas
Iras frementem, tela Manfredum manu
Rotare, rabidum corda : ſed longè furens
Gladiator artus fodere clamabat tuos.
IORD. Cur vulnerabat frater abſentem ferus ?
SER. Humi jacebat mutus, exanimis, fremens
Propinqua ſed mox funera ; elato irruit
Repentè ferro, Cæſarem, te te petens,
Cui devovebat tela fraternæ manus.
IORD. Vnum timebam; geminus at tergo imminet.
Magis hic timendus, rabida quem regno ſuper
Abitura nec libido Manfredum rapit.
Sed antevertam damna, vincetur dolus.

Exit S. Petrus.

SER. Et hic remoti cultor adveniens jugi
Spectator aderat, priſca quo Patrum fides,

Re-

Reduxque pietas Italum visit solum,
Et fortè Petrus, cuncta quò vergant, videt
IORD. Laturus adfis rebus adversis opem,
Integritatis fidus, & vitæ pater.
S.PET. Tranquillet omnia temperans nutu Deus.
IORD. Vnde hi repentè turbines ? primùm dies
Serena risit, nubibus densa occidit ?
S.PET. Vt atra pluvius nubila agglomerat Notus,
Adversa sic & parturit mentis scelus ;
Amant secunda nescium noxæ virum.
IORD. Haud mordet animos noxa lethalis meos.
Non aliter unda vortices flammæ vorat :
Vt cælo amores inter afflatos, dolor
Rivo intepente criminum lavit notas.
S.PET. Nec, liberatus crimine adversis diu
Vacabit animus. dura constantem probant :
Tumidum coërcent : asperis pressum levant,
Confiniisque provehunt mortalibus
Cæli ad vocantem gaudia : ut dubiis ferat
Auxilia rebus, pugnet invictus malis.
At qualis ora sideris nubes tegit :
Subinde motus turbo sic vitæ comes
Nobis beatæ lumina obvelat domus.
Excæcat auri fulgor : excruciat dolor :
Metus rigores versat, & furias amor ;
Libido & iræ ventilant junctas faces,
Fervensque adusto corde nutritur vapor.
Vitæ recurrit æstus ; at quisquis sedet
Fido quietus littore, undarum vices,
Ac præliantes fluctibus ridet notos ;
Quem summa lætum morte componet quies.
IORD. Hæc sæpe volvit animus, at fractus malis
Subinde acerbis quærit ex alto modum.
S.PET. Non alia restat rebus infidis salus.
Qui pressit, allevabit oratus Pater.
IORD. Vtinam pericla, tristis & nimbum necis,
Nostro incubantem pectori avertat Deus.
S.PET. Non veniet immatura mors annos metens,
Cæli beatas propera quæ pandit fores.
Diuturna vitæ sæcula incassum trahit,
Qui post avernis mutat immersam rogis.
IORD. Sunt hæc reposta corde; tu numen prece
Inflecte ; tutos sospita hæc servat duces.
S.PET. Non deero precibus; adsit ô votis Deus !

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Conradi Præfectus Iordanum insequitur.

PRÆFECTVS MILITVM CONRADI. IORDANVS. MILITES.

PRÆF. IN tecta Regis miles accelera gradum.
IORD. Adhuc moratur Maurus? & castris furit
Excitus ecce miles? abscessum monet.
PRÆF. In pace natus hostis: & belli inscius
Mediam triumpho Cæsaris cladem ferit?
Antè obruatur; telam dextra excidunt,
Iugulabitur; adornatur hæc serò meis
Mactanda manibus hostia: piabit calens
Hic impiorum funerum auctores cruor.
Eamus.
MIL. Arma fortium stragem sonant.

SCENA OCTAVA.

Iordani Consiliarius Maurum ad fidelitatem hortatur.

IORDANI CONSILIARIVS. MAVRVS. MILITES.

CONS. VAtes malorum falsus haud umquã sibi
Præsagit animus: corda nec torquent satis
Turmæ dolorum: prævidens crebrò malis
Mens cogitatis angitur; dura, horrida
Vt gnara longè præsciat, duris tamen
Pejora venient. Strider in fratris necem,
Conradus, armis Cæsar arctois furit.
Ecquis resistat, Maura si nutet fides?
Quò, regni ab alto culmine impulsus, cadet?
Altè cadenti nemo supponit manum.
MAVR. Hinc & recessit? quò recedentem amplius
exit. Regem sequemur? CONS. Proximè armorũ
Hausi, & tumultus militum: vires, minas (tubas
Forsan refugit Cæsaris, tergo imminet.
MAVR. Molitur aliquid Cæsar? CONS. Occultas (adhuc
Haud promit iras, virus immanis tegit.
Non miles illum, crede, non turbat foro
Exorta pugna. Sanguinem fratris vocat,
Ex quo Sicana regna Iordanus regit.
Hoc est latentum semen irarum ferax:

Sed

Sed hoc ſiletur: nempe ſic agitur; ſubeſt
Quæ cauſa facti, clauſa ſeu mentem fovet,
Sive alia prodit: illitus voci color
Arcana fucat, cordis immutat notas.
Audiſſet utinam fida Iordanus ſenis
Conſilia: non hoc littus infidi maris,
Non caſtra noſſet fratris. MAVR. Aſt aderit manus
Hæc juncta Regi: ſpiritus vitam regens,
Ni profugus artus deſerit; vivet ſalus;
Secura Regem deſeret numquam dies.
CONS. At tu irretorto creditam cordi fidem
Tuere cuſtos. Sæpè vel nutat fides:
Aut inſolenti pondere argenti gravis
Imperia mentis audit: aut nexus ferens
Captiva proditoris arbitrio jacet.
MAVR. Indomita fraudi pectora incaſsùm mones.
Non ſurdiora ſaxa colliſum mare,
Et murmurante fluctus obtundit ſalo:
Ceu fraudulentas admovere machinas
Tentabit animis quiſpiam fallax meis,
Sibi faxo machinetur exitium, nocens.
Hic dona gladius perſecat, ſcindit dolos.
CONS. Sic nempe fortis decora virtutum feres,
Sic Maure titulos clarus æternas tuos.

SCENA NONA.

Maurus in Præfectum Conradi ſibi inſultantem Milites immittit, ſed Iordanus eos ſiſtit.

PRÆFECTVS MILITVM CONRADIANORVM. MAVRVS. MILITES. IORDANVS.

PRÆF. SAtis paratus Cæſarem miles tegit.
Iordanus, explorabo, quo Marte obſitus
Nobis minetur. MAVR. Imminet pluſquam voles
Cunctis timendus, PRÆF. Scilicet curat tuas
Conradus acies! arma depones fugax,
Fugace levior deſeres miles Ducem.
MAVR. O fuſtibus, loriſque fugitivum caput
Mihi verberandum. Loquere quam meditor fugam;
Incurre miles, vulnera, ſterne, obrue.

Iordanus exit.

IORD. Quæ cauſa pugnæ milites? Regi novas
Adhuc furenti fertis irarum faces?
MAVR. Sine Imperator, enſe perfoſſus cadat
Quicumque fatis imminet ferro tuis.
IORD. Agnoſco Martis dexteram, pacem peto.

SCE-

SCENA X.

Tentat Iordanus cum Conrado redire in gratiam.

CONRADVS. IORDANVS. MANFREDVS. MAVRVS. PRÆFECTVS MIL. MILITES.

CONR. QVis tentat audax milites bello meos?
Hic frater etiam pugnat? & noſtram impius,
Adhuc meorum cæde, maturat necem?
Diſtringe ferrum miles. IORD. At contra meus
Reſiſte: liceat ante germanum alloqui.
Conrade, quis cor ſubitus oppreſſit furor,
Teque intumentem turbat? Hæc tanto manus
Sceleri videtur apta, quod ſolum pavet?
A fratre frater metuis? CONR. Nõ fratrẽ horreo,
Sed fratricidam. IORD. Sanguinem infami putas
Quæſiſſe dextrâ? tela quæ geſſi ferus?
CONR. Miles gerebat; omnium ferro latus
Hoc tu petiſti; memet eripui fugâ,
Neque indecoris greſſibus venit ſalus.
Tu quæ volebas, enſium impulſor, facis
Infecta quamvis vulnera, incaſsùm necas.
IORD. Humana teſtor corda ſcrutantem Deum
Regumque ſuperos præſides, nuſquam dolo
Egiſſe mentes militum in fœdum neſas.
Antè redituro fulmine incenſum caput
Continuet imas Dite ſub nigro faces,
Quàm me Suëvi generis aſpergat cruor;
Antè hoc refigam vulnere haud uno patens
Mucrone pectus. Cariùs quidquam mihi
Te Rege, fratre, Cæſare adjunxit pater?
Nec moror: ad ima corda ſi lapſum ſcelus
Me me occupavit, vindicem poſco manum
Huc ſtringe ferrum; præbeo jugulum, tenes
Vltro ſecandum. Vota vel fratrum Deus
Si jam duorum ſoſpitat, domus novos
Vterque collo penduli amplexus: cadat
Suſpecta nubes pectorum: irarum recens
His diſſoluta nexibus moles ruat.
CONR. Abſis: latentes timeo in amplexu dolos.
IORD. Qui vulneri ſe objectat, abjecit dolos.
CONR. Nunquã innocẽtes anguis amplexus dedit.
IORD. Amplexu in angues innocens anguis venit.
CONR. Tu pejor illo ſcilicet fratrem necas.

IORD.

IORD. Non ferit inermis. CONR. Vulneris ſtructor ſemel,
Iterum refiget. IORD. Vulneri objectans latus
Non vulnerabit, ipſe mucronem timet.
CONR. Aperire ſimulas, condit at ſicam femur.
Rarò ſceleſtus aperit inſtructum ſcelus.
IORD. Rarò ſceleſtus ſceleris abducit notas.
Eſt animus index, ora ſi fraudem premunt:
Oculi loquaces, lingua ſi fallax filet.
Quónam colore criminis videor nocens?
CONR. Si teneo facinus, criminis quæram notas?
IORD. Verbum tenes amantis. Auguſto pius
A fratre pacem poſco: cur hoſtem geris?
CONR. Trucem, aſperũ, implacabilẽ, infeſtũ, ferũ.
Sed corde lateat ira, dum tempus finit.
Erumpet eadem in tempore. Hoc fratri datur
Quod dimicantes militum freno manus
Abs te petitus antè quod ferro, tui
Non repeto latebras cordis, & ſcelus extraho.
IORD. Si facere poſſis ſcilicet; vitæ meus
Et enſis arcem pulſat, & vulnus gerit.
MAV. Necem ſed hic molitur. MANF. Averſas diu
Cohibere mentes, aleâ plenum reor
Vtrique pondus; Ira ſive abſit furens,
Seu nunc merentis crimen expendat cruor.
Malè puniuntur ſcelera, quæ minuit dies.
IORD. Vis ergo fratres mutuam in cædem tuos
Conſerere? MANF. Pugnent, pugna ſi crimẽ luit.
Sic tu petebas. IORD. Poſteà ut regnum occupes,
Labes paterni ſanguinis, fratrum lues.
CONR. At pendet hic ſupplicia cùm tempus ferat.
IORD. At non meorum deſeret Regem fides.

CHORVS
Fraternas inimicitias plangit.

QVi ſit, ut fervens odiis, furentes
Ira germanos agat? & cruentos
Vulneri, inſano truculenta motu
Deſtinet enſes?
Ira Cadmæas inimica Thebas
Irruit quondam, geminoſque bello
Impulit fratres furiale cordi
Figere ferrum.
Non genus paſcunt volucres paternum,
Nullus aut gentem pelagi; vel Indas
Audiit tigres temerare fratrum
Sanguine fauces.

Num magis sævit rabies, & ignem
Nutrit humani violenta cordis ?
Audet ac justos animæ regentis
Solvere frenos ?
Ah ! datus rector generosus orbi,
Belluas irâ furibundus omnes,
Monstraque immanis, rigidoque saxa
Pectore vincet ?
Quadrupes cursu, celerique pennâ
Ales exultat levior : timendus
Taurus & cornu magis, & feroci
Dente leones
Tu bonus cordis tumidi frementes
Legibus justis cohibere fluctus,
Imperas rector tibi temperata
Pectoris aula.
Hoc cave Princeps furiis subactus
Excidas regno : domitor ferarum
Quin potens cordis, rabiem, tuosque
Frange furores.

ACTVS QVARTVS.

SCENA PRIMA.

Manfredus placatiorem esse Conradum dolet, Servus Mauri fidem auro tentandam esse suadet.

MANFREDVS. SERVVS.

MANF. Mihi una pœnè dederat imperiũ dies ;
Eripuit una nam quis in cędem duos
Vltrò irruentes mutuâ fratres manu
Avertit ? utriusque morte, duplicis
Meas corona texerat regni comas,
Et digniores : pœnè cingebat caput,
Evanidumque fronte discessit jubar
Regalis auri : penitus haud omnis tamen
Spes abiit. Homini crastina parabit dies
Hodierna quod detraxit. SER. Incassum times ;
Consilia referent, invida quod aufert manus.
Vterque metuit alterum frater, suis
Nec obruendus viribus. Cæsar minus
Patet parenti, castra quem belli tegunt.
Iordanus offert vulneri pectus patens,

Si cedat auro miles evictus, coles
Si Maure cultam lege Pœnorum fidem.
MANF. Incerta texis plaga non lædit satis;
Datam Sicanus miles haud franget fidem.
SER. Sed pugnat unà Lybicus & nescit fidem.
Tentabo mentes militum: notis ferar
Comes maniplis, egeram largas opes,
Paciscar urbes, maria, montes, omnia.
Hæc tela bello militem indomitum domant.
Vbi fulget auri, deficit ferri nitor;
Hic aut retundit, frangit aut ensem silex;
Nec tuta clausis arcibus rupes riget,
Rimosa quæ fatiscit, ut missum manu
Accipiat aurum: lapsus & cautem super
Pretiosus auri saxa perrumpit liquor.
Tenere credas militem Ductor? MANF. Mei
Hic diruatur machinis; Cæsar furens,
Via si qua detur, annuet; novi altius
Qua jussa condam spicula; accedet volens
Secutus ictum Maurus: excutiet duos
Patria tyrannos? tu feres meritis parem
Manfrediano proximum solio gradum.
Periclitaris interim, casum petis
Meo periclo? tela transadigent priùs,
Meumque pectus diluet fossum cruor.
Non parvo emuntur regna: sed pretium juvat
Quodcumq;. SER. Nomẽ regium Princeps sequor.

SCENA SECVNDA.

Manfredus Maurum promissis oppugnat, & expugnat.

MANFREDVS. MAVRVS.

MANF. FOrtuna cœptũ prosperat, Maurus subit.
Fides corona Martis, armorum jubar,
Defensa vitæ dona Iordanus duci
Cui debet, & debere non Regem pudet.
MAVR. Meliora Princeps; agere jucundos dies,
Pugnare fausta prælia, armorum decus
Iordanus altâ dexterâ Mauro dedit.
Illi obligata, muneri ast impar, diu
Hæc militari dimicat ludo manus.
Tamen usque depugnabit, hoc poscit fides.
MANF. Fortuna poscat Regis, hæc fidos alit,
Spes donec adsit lætior, duret fides:
Meliora subeunt? utile expendas, licet

His ponderare lancibus recti modum.
MAVR. Inutile eſt, honeſta quod virtus vetat.
Quodcumque honeſtas imperat, factum juvat.
MANF. Multos nocentes innocens virtus facit.
Tu ſequere rebus triſtibus merſum ducem,
Et te ſequetur pœna; jactabis tuæ
Inane fidei nomen, alieno cades.
Vis ceu volutum ſolis ad curſum rapit
Cognata florem: verſa ſic rerum trahit
Conditio mentes. Navita imprudens perit
Qui tendit, unde vela depellit Notus.
Quò te ſecunda vexerint, navim vehas.
MAVR. Quæ prædicas arcana? quis cupidam novus
Felicitatis pellicit mentem nitor?
MANF. Eſt illa pluſquam rere, fugienti comes
Propinqua Mauro. MAVR. Proſpera ut fugiam miſer?
Non tantus animum vexat abjectum ſtupor.
Magnanimus alta poſcit; indignus feret,
Felicitatem ſi quis oblatam fugit.
MANF. Hæc Maure te bearet æternùm dies,
Si clarus auſis ludis imbellem ducem.
MAVR. Luſiſſe non ſat Cæſarē? haud videor ſatis
Agitaſſe pugnas? cæſus, effoſſus meos
Evaſit enſes. MANF. Alia ſuccedet tuis
Quæſita meritis palma; mittatur necis
Iſthæc nefandæ cura: cuſtodes viri,
Divûm cohortes Cæſarem cædi negant.
Nunc age, quod inſtat, pejor eſt Mauro duci
Dux deſerendus. Trinacris facti datur
Perampla merces, regna Iordani geres;
Quod ille inermi temperat ſceptrum manu
Mauri regendum Cæſar arbitrio dicat,
Et plura mox daturus, Italiam tuis
Cùm verti adactam legibus, tremere invidum
Videbis orbem, cuncta quæ placeant feres.
MAVR. Dat magna Cæſar munera, at major fides.
Ego ſim ſatelles? ferreis nodis gravis
Per me ſecuri colla Iordanus dabit?
MANF. Haud tanta Cæſar poſtulet; ductor ſuas
Fulminea in acies tela ne vertas, jubet;
Si fortè in hoſtem conſerat fratrem manus.
Corona at ingens tantulæ accedet rei.
MAVR. Res parva magnum ſubjicit facto ſcelus,
Iuratus uni, deſeram ductor ducem?
MANF. E crimine datur facilis ad crimen gradus.
Iugulum petiſti Cæſaris, ſolum tuo
Pactus periclo vulnera, & pretium necis;

Imperia

Imperia jam Rex accipis sceptro potens,
Onustus auro, jura populorum regens,
Vni nec impar Cæsari; & facti pudet?
Non facere sæva, turpia; at tenuem domi
Habere censum, solus est terris pudor.
Cùm regna crimen parturit, honores, opes,
Cunctis probatur. Scelera damnantur palàm,
Cùm pœna sequitur; quisque nam pœnas timet.
Testis suorum criminum, judex, reus.
Si regna, & aurum possides, crimen times?
MAVR. Quid sit coëmptam Cæsar eludat fidem?
MANF. Prædem Tarenti Principem fidum capis.
MAVR. Adhuc repugnat insitus menti rigor;
Et fortis animus persequi fraudem negat.
MANF. Adhuc refringis Maurici legem soli?
Moremque gentis degener patriæ teris?
Laus inter Afros quemlibet ductu vago
Ambire Regem. Castra servitio placent,
Vbi vena latiùs aurea hostiles fluit
Inter cruores. Asperum Regis jugum
Depone, ditior implet Augusti manus.
Rex salve, utramque Trinacrim sceptro regens.
MAVR. Fortis probabo Cæsari emeritam fidem.

SCENA TERTIA.

Præfectus frustrà suadet Iordano de Mauri fide confidenti, ut cum Conrado pacem ineat.

PRÆFECTVS VRBIS. CONSILIARIVS IORD. IORDANVS.

PRÆF. IAm non refugit plaga curantis manum.
Et jam recedit, antè qui nimbo tumens
Adnubilarat candido Soli Notus.
Conradianis ira quæ fibris minor
Nunc detumescit, Cæsarem serò monet
Ne mitiores asperet sensus; faces
Ne provocato combibat frater sinu.
Dat, quam sequestra civitas pacem rogat.
Fulgebit iterum solibus lætis quies.
Si pacis acta in fœdera, & monitus pios
Iuvenile nostrâ pectus acclinet prece
Iordanus. CONS. Æquus Cæsari, & æqui tenax
Facilis moveri verba suadentûm audiet.
PRÆF. En prodit. O Rex Cæsari haud impar, placet

Audire cives, urbis & Patres ? IORD. Placet.
Consilia profutura dant Regi Patres.
PRÆF. Sollicita pendet civitas gemini ducis
Divisa studiis, odia nequidquam gemens.
Sed temperat odia Cæsar, & paci obvius
Preces Senatus audit, auditis precor
Idem obsecundes : genibus affusus tuis,
Tranquillitatem populus amissam rogat.
Vnum hoc tributum gentibus pendunt duces ;
Studet saluti civium, quisquis regit.
IORD. Quod facere nolim, populus, & Patres rogãt
CONS. Quid postulata Patribus, fratri negas ?
IORD. Arma inferebat Cæsar, ego pacem tuli
Velut arma metuens, victus, abjectus, fugax
Tenui ruentem militem, amplexus dedi ;
Toties rogantem reppulit, memet furens
Dira imprecatus funera injecit rogis.
A fratre Regem proteri, illudi decet ?
Ecquid nocebam ? vilis, ignarus foro
Denudat ensem miles : hic ensem rotans
Fratrem refigit ? militis jugulum petat,
Qui meruit ; artus ille quid nostros ferit ?
At nosco mentis perfidæ motus truces.
Hæc petere membra simulat, & regnum petit
Quod duplicabit sceptra : deformat tuos
Conrade fines ilicet limes freto
Latrantis undæ : maria transvectus placet
At esca rabidam nostra non pellet famem ;
Frustrà trifauci gutture ad prædam venis

Exit Nuncius.

NVNC. Augusta siculâ classe vicinos sinus
Iordane tetigit mater ; Isabellam fretis
Et qui vehebat bellicas lauros gerens
Huc jam Rodulphus aderit. IORD. O lætas vices !
Vt hæc tyrannis orta ludendis dies !
Placet dolosas fugere Sirenum domos.
Dabo rursus auris vela, tum comes fugæ
Zephyrus sequentes matris adducet rates :
In Vrbe furias Cæsar hic vestrâ vomat.
PRÆF. Quid noceat æquo fratre discessus? IORD.
Suspecta timeo verba, suspectam fidem. (Nocet.
Quis nescit Atreum ? fortè mentitur meo
Fundens amores vulneri. Iratus, magis
Sævit timendus, ira cùm placidè silet :
Celata penitus odia crudescunt magis :
Subridet implacabilis quondam furor.
Quem capere vi non possit, oppugnat dolis.

PRÆF.

PRÆF. Ergo relinquis Cæsarem, atq; hostẽ simul?
IORD. Ego non relinquam; deserit, pellit prius,
Necare qui me voluit. CONS. Irrites cave
Nimis furentem. IORD. Socius accedat licet
Manfredus omnes fraudis emensus vias:
Quæ tela stringat audio, quid atrox paret,
Quos acuat enses: feriat immanis latro,
Si aberret alter: latera sed miles ducis
Fidus tuetur. CONS. Militum quid si fides
Labaret auro Cæsaris? tutos fore
Putas recessus? Nescit iratum quies,
Omnem nocendi semitam ulturus terit.
Non rupit urbes æmulas? nónne irruens
Hac arte Cæsar hosticas arces domat?
IORD. Sat nota virtus militum, & Mauri fides,
Haud tuta deerunt arma; si desint, feros
Hæc dextra cuneos franget. Ad classem ocior
I miles: arma Ductor huc vertat, meas
Rodulphus acies invehat in urbem, jube
Repetemus unà mox soluturas rates;
Isabella nostros servet adventus parens.

SCENA QVARTA.

Conradus Iordanum urbe concludi iubet & necari.

PRÆFECTVS VRBIS. CONRADVS. MANFREDVS. CONSILIARIVS CONRADI.

PRÆF. VOlvimur eodem: luxit extinctus vapor:
Non sic quiescat Cæsar: elabi manu
Furens furentem frater haud fratrem sinet.

Exit alloquens Manfredus.

MANF. Obstabit, imminebit à tergo, in latus.
Iordane serò pacis optabis diem.
CONR. Artem probasti callidæ linguæ potens,
Ad nostra Maurum signa qui victor trahis.
Tamen quid urbis afferat Prætor, petam.
Rogastis, impulistis. At frater? tacent.
Adhuc minatur? PRÆF. Ille non agitat minas,
Visere parentem cogitat, tendens moram
Quæ classe portus regiâ haud longè subit.
CONR. Visit parentem? classe præcipitat fugam.
Et abeat ardens? arma laturus, mei
Extrema regni Marte converso terat?
Obstetur, occludatur: haud fugiet plagas
Quæ clausa circum vulnus evitat fera.

CONS. At clausa dentes acuit in vulnus fera?
Captiva lacerat unguibus, morsu rapax,
Si fortè inevitables rumpat plagas.
Vnam secutus ense venator ferit,
Sed vulneratus alteri è silvâ redit.
CONR. Mihi pugnet aliquis? rursus hoc ferrum ciat?
Miles, ardens, quidquid in castris tonat
In arce quidquid militum, accurrat, jube.
Pars servet urbis obsidens armis fores,
Pars claudat aditus Marte, ne quisquam inferat,
Ne fraudulentus efferat portis pedem.
Rodulphus extra mœnia exclusus fremat,
Iordanus intra mœnia inclusus cadat.
Qui claustra Rheni, qui triumphali rotâ
Glaciantis Istri victor infregi vadum:
Pœne Arcton astris depuli; imbellem petam
Non Cæsar hostem? comprimam, extinguam, teram.
CONS. Consilia mitte propera, quæ versat furor,
Quæ pœnitenda non capis, serò capis.
CONR. Non pœnitenda capio, qui justa expeto.
PRÆF. Sint justa damna fratris? CONR. Injusti tamen
Quidquid nocebit improbis, probum putes.
PRÆF. Non improbandus frater ad matrē redit.
CONR. Crudelis ille sanguinem, vitam, meos
Exportat annos: rapere, quod voluit, gerit.
Pirata non hic barbarus? CONS. Nondum scelus
Tenetur. CONR. Vnus pernegat prædo scelus.
PRÆF. Tu pernegantem: prædicat plausu novo
Plebs innocentem. CONR. Vulgus insanit loquax.
PRÆF. Instabile cætera vulgus, at constans sibi
Rimatur oculis vera, quæ linguis sonat.
CONR. Nunc recta verax populus, ut numquam sonat,
Fratrem furores tremere, qui narrat meos.
CONS. Ah! ne juventæ spiritum irritet metus.
Vltima paventem sæpè destituit pavor:
Et qui periclo fortis è summo redit,
Quam non timendo vitat, infligit necem.
CONR. Consilia tempus mutat; infesto die
Alia sequemur; cœpta nunc præsens juvat.
Fraterna cædes Cæsari ulturo placet.
Maurus movebit fortè furientem manum.

SCE-

SCENA QVINTA.

Manfredi Servus Milites donis solicitat.

SERVVS MANFREDI. CENTVRIO. MILITES.

SER. NOndum explet aurum? congerit plenos sinus. *Exit numerando pecunias.*
Et plura Cæsar. Vos date fidem, addicite
Commilitones: aureus rapiat nitor.
Vel abnuentes; tum periclis oblita
Oblitus arma quisque congestas opes
Numeret, beatis otium ut bonis agat.
MIL. Raptus catenis aureis cunctos traham;
Si fortè renuant, ensis abscindet moras.
CENT. Socii sequentur: integra at dictis fides
Tuis perennet. Me dolor Regem verus
Deserere cogit, perfido postquam mei
Fregit cruentus ense cervicem patris;
Fortem quòd acri Marte congressus virum
Extendit arvis. Quo cadis ferro pater:
Quâve miserandus filio terrâ jaces?
Memor dolores, serus ulciscar pios
Prodendo manes; cæteris aurum feras.
SER. Quæ spreta refugis; auctior donis feres.

SCENA SEXTA.

Servus Iordano nuntiat urbem cingi, Maurumq; deficere.

IORDANVS. CONSILIARIVS IORDANI. SERVVS IORDANI.

CONS. NEc missa Regi profit abeuntis salus?
Tuique voces indices cordis datæ?
IORD. Iuvare nescit, hosticis salus lita
Nocet venenis: missa mittentem necat,
Non rabida sentis odia, non fratris minas?
Armis inermem, dextra ni Mauri foret,
Fortè obruisset. CONS. Nosco quid verset furens.
Tamen admovetur propiùs impendens malum,
Nisi alloquaris Cæsarem: objectæ magis
Suspicio subolet cædis; aversum, & pias
Voces negantem proximum gladio neget?

IORD. Mihi teſtis animus criminis culpâ vacat.
CONS. Non ſat vacare crimine, at dici eſt ſatis
Mihi pius eſt, qui dicitur. Virtus latens
Ceu Luna nimbo, noxias umbras parit.
IORD. Animos ſerenat integros virtus latens:
Radioſque veluti nube Sol clauſus jacit.
Haud ille haberi ſceleris ignarus poteſt,
Quicumque fœdo complicat cordi ſcelus.
CONS. Celata pingit vitia virtutum color.
Impunè vivit improbus, cùm ſe probum
Gaudet videri. Publicæ laudi ſtude;
Quam voce firmas publicâ, hæc virtus nitet;
Eademque latebris merſa vileſcit ſuis.

Exit Servus.

SER. Conradus, ô Rex, undique armatis globis
Portus, & urbis obſidet portas, tuâ
E claſſe ne quis adſit: egreſſus rates
Ex urbe ne quis abeat: accitus tibi
Rodulphus extra, foribus excluſus fremit.
IORD. En ficta pacis ſigna! Sic mitis leo
Lenem parabat unguibus damæ necem.
CONS. Iam providendum, mota ne labet domus;
Externa ſi negantur, auxiliis ſubit
In urbe Maurus. IORD. Adſit, occludat latus.
SER. Nutare Mauri dubia jam cœpit fides.
Manfredus, ô Rex, credulum donis, minis,
Vaniſque regnis onerat; effuſo ſimul
Et ſervus auro militum expugnat manus.
IORD. Quid reſtat ultra? parricidis obvium
Præbere jugulum? dabimus, ô fratres, meus
Si tela tantùm veſtra delectat cruor.
Suëvia ſed hæc poſteris ævum ſequens
Exempla fratrum volvet? aut ſcenis aget?
Hic cingit armis: ille denudat, fodit
Vterque lacerat, obruit. Regum Arbiter,
Et innocentûm cordium vindex Deus
Inexplicatos impiæ fraudis potens
Diſſolve nodos. Stricta quid falcem videt
Primo juventa flore? quid caſti Ducis
Tenero cruentus pectore rubeſcat pudor?
Velut unda fugimus; vita non tamen fugit
Oriens in umbras. CONS. Annuet votis Deus.
Revocare Maurum. fortè ſi nutat, ſalus
Eſt prima rebus: perge, revocabit ſui
Reverentia Ducis, fracta nec penitus fides
Hærebit iterū. IORD. Credere haud poſſim ſcelus.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

S. Petro obiicitur in visione totius rei eventus.

IORDANI CONSILIARIVS. S. PETRVS. NVNCIVS.

CONS. IN tempore Petrus adfuit : cari Ducis
Forsan pericla precibus avertet suis.
Extrema patimur, Petre, ni dextrâ Notos
Quâ rector alto pellis, aut Corum rapis
Ruptâ trisulcas nube torquentem faces,
Heu ! corruentem sustines præsens domum.
Rex ecce clausus, proditus gladium tremit
Sibi fulgurantem. S. PET. Nulla spes Regi fovet?
CONS. Extincta penitus, Maurus abjecit fidem,
Conradus armis egredi ad classem vetat :
Rodulphus aditus frangere occlusos timet :
Pavidus, inermis urbe Iordanus latet.
S. PET. O destinata mentis æternæ, ô Patris
Consilia, terris ô inaccessum jubar !
Quàm vereor abavis acta, processu impio
Nepotibusque scelera, ne fulmen vocent !
Ardentis iracundia ne Patris manus
Extenta vibret. Tela Conradus movet,
Queis forsan artus nescius figet suos.
Abscede, solâ consulam Cælum prece.
Vides supremo culmine, ô rerum artifex,
Miserate nostras orbe labenti vices ?
At parce ; nimio pondere incumbit dolor :
Turpis malorum pervolans terram cohors
Impunè vexat. facilis ex alto Pater
Felicitate semper immotus tuâ
Compone gravidum fluctibus vitæ salum.
Supplicia, quæ mortale non pendat genus
Majora meritum ; liberos tamen tuos
Placate Genitor sospita. En quanto impetu
Stridens procella regiam involvit domum.
Nutant timendi Cæsares. saltem innocens
Cælo perennes exigat vitæ dies,
Si tradis artus vulneri, & funus placet.

Visiones S. Petri.

Quid agitur ? alto ab axe venturos Deus
Motus retexit ? Nubibus sedes procul,
Onusta monstris labitur, terram quatit,

Et insolenti pondere afflictam gravat.
Quæ summa facies? ima quæ Gorgon sedet?
Quæve ira monstris? nosco quæ cladem ferunt:
Mors unde missa Cæsarem, Regem ferit.
Tremenda retinet sceptra, & infestum regens
Inter triumphat agmen Infœlicitas,
Funesta vulgus turpe furiarum movens
Regina formas temperat jussu pares?
Et hæ Suëviam obsident passu domum?
Agnosco. Prima cordibus repens subit
Ambitio, adorans sceptra, quæ rarò gerit.
Et tu venena comparas, ensem vibras,
Alter venenis, alter ut ferro cadat?
Meritò colubros dira crinales comis
Misces, & horret angue vipereum caput;
Quæ tetra curas semper ardentes alis,
Pavens, inhumana, aspera, immitis, nocens,
Fraus ore duplici sequeris? at rabidos feræ
Imitata vultus ore terrifico tegis?
Frustrà voraces blanda quid celas lupos,
Inimica sociis, dentibus, dextrâ rapax?
Túne odia mutua spargis, ut mortem legas?
Et tu, quid his connixus, in cædem furis
Manfrede monstris? ambitu evectus cades:
Quî fraude regnis fævus aspiras, rues.
Qui sequitur Error lumina advelans, tibi
Excæcat animum Cæsar; ut fœdum scelus
Struxisse fratrem sceleris ignarum putes,
Feciſſe qui nil ausus: Hinc furias agis;
Quòd pone stimulos vibrat igniferos Furor
Horribilis, improvisus, indomitus, fremens,
Innumera torquens tela, quâ vitæ integer
Vi demetatur, Pallidus Terror malo
Horret propinquo: luridus fronti color:
Lux odit oculos: insident curæ graves:
Consilia turbant: vexat objectum nefas.
Et tu capillis socia, cur passis ades?
Alasque celeri præpetes tergo geris
Fuga irreperta, fugere nec malum potis?
Iordani uterque cinget obsessum latus;
Pavet, refugit juvenis indignus necem,
At non coactos expedit vinclo pedes;
Moriere. Iuxta tristis incedens Dolor
Sequitur, præitque funera. O miserum, nigro
Semper que amictu squallidum! obtortos sinu
Qui lentus angues corda pascentes alis,
Miseratio comes, ultimos casus dolens
En ut ruinas mœsta fraternas gemit?

Ægra

Ægra immerentis funere? O! cæsi parens
Isabella Regis, gemina te longè vocant,
Ac monstra feriunt; dubio, ut ægra spiritu
Dolore, gemitu, lacrymis, fletu cadas:
En quæ futura detegit Cælo Deus;
Et involutas ultor ærumnas movet.
Adhuc videnda Numen, & quondam mihi
Timenda præbet? Horreo, accipio sonos.

Eidẽ obiicitur videnda species diadematis Pontificii, & Cæsareæ coronæ, canentibus melicis.

Cur amas montes, nemorumque saltus
Digne Romanis, Pater ô, tiaris?
Accipe innexis triplicem coronis
Fronte coronam.
Artifex virtus diadema texit
Collibus lucens tibi Vaticanis:
Ornet hæc magni Ducis impeditos
Laurea crines.
Iura tu sacri moderare Tybris:
Alter at claros referens triumphos,
Pandet Augusto generi potentes
Cæsaris aulas.
Egone coronis dignus? & mundi arbiter
Mihi tiaram triplicem spondet Deus?
O carus humiles præbeat saltus domos,
Sint & regendæ, montium cives, feræ.
Aliis parentur sceptra, queis meritum Tybris
Solium locabit, Roma quos Princeps colet.
NVNC. Fudit cohortes Cæsaris, viqúe irruens
Rodulphus urbem rupit; ignarus mali
Conradus aliò vertit incertos gradus,
Pavidus, jacensque miles implorat Ducem.
S.PET. Hic clarus armis ductor, hunc sceptris Deus
Vocat futuris. Magne te pietas levat
Rodulphe, regna possíde, ingentes dabit
Austria nepotes fascibus claros tuis.
Placet hinc abire, turma ne turbet preces.

SCE-

SCENA OCTAVA.

Rudolphus Iordano succurrit.

RODVLPHVS. MAVRVS. MILITES. MANFREDVS. SERVVS MANFREDI. IORDANVS. SERVVS IORDANI.

ROD. INstans periclum, fama Iordano minax,
Coëgit ausis fortibus victos retro
Repellere hostes: facta in urbem vi via est.
Fugêre pavidi, spiritum aut summis jugis
Liquere. Tacito calle jam Regem placet
Adire; nobis conferat oportet ferox
Conradus, inferat antè quàm fratri manum.
Puer sed ecce Regis; & vultu refert
Tacitos dolores. Rege captivo gemis?
SER. Revixímus Rodulphe, dum forti subis
Inopinus urbem Marte. Sed ferri arduo
Vallo obseratas quî penetrasti fores?
ROD. Has mitte curas; hostis abscessit fugax.
Tubâ silente miles ignavus fremit;
At personante fulgur armorum tremit.
Sed quis pericli turbo Iordanum vorat?
SER. A fratre clamat Cæsar illatam necem.
Insanienti mortis injecit metum
Qui post, cohortem militum donis, dolis,
Maurumque traxit fraude Manfredus: vafer
Fallendo, & omnem fraudis excessit modum,
Quo Maurus inclinarit, haud certum satis.
Hinc Cæsar hostis, inde Iordanum petit
Suspectus odio miles: occurre, inclytum
Regem tuere.

(Exit cum Servo loquens.)

MANF. Maurus adjecit manus.
SER. MANF. An Maurus hic est? similis effulget chlamys,
Par crista galeæ. MANF. Quo per incertum diu
Callem vagaris? SER. IORD. Ecce Manfredus subit
Rodulphe cassos: irrue, incautum tenes.
ROD. Manfredus hîc? En Maurus adjecit manus.
Effugit alter? unus at vinclo satis.
Sic Federici proditor ludis genus?
Europæ & astra gemina, germanos rapis
Pejor Neronum? sceptra si torquent fame,
Haud devorabis. Exedit sceptrum cruor,
Aut malè vorantes peste viperâ necat.

MANF.

MANF. Quis proditor? quæ ſceptra? tu prodis genus
Inimice noſtrum : Cæſaris fratrem ferus
Tu colligabis ? aderit at vindex manus.
Impunè non ſic impios Cæſar ſinet
Furere latrones ; ipſe ſi Cæſar neget
Ego vindicabo. Vincla non iras ligant.
ROD. Plus expeditæ vulnerant: (teſtis probas)
Maurumque pœnis inferent merſum tuis.

Exit Maurus.

MAVR. Adeſto miles ; hoſtis an ſocius furit ?
Quis ille vinctus ; enſe captivæ manus
Iam lora ſolvam. ROD. Donec explorem fidem
Tene arma miles. Maure quem vinctum petis ?
MAVR. Quem colligaſtis ; nectere audetis duces ?
MANF. Accede & artus ſtringe, tu laceros quoque.
O Maure, ſceleri tota ſacratur dies.
Et tu Rodulpho junge violentas manus.
MAVR. Adeſt Rodulphus? nullus audēdi hîc locus.
O maxime virorum, quis ignaros ſuis
Commiſit armis pœnè morituros duces ?
Quàm video lætus, ſpontè venientem ſequor.
ROD. Nunc Maure amicos fidus amplexus dabo ;
Certamus uni : laudo ſervatam fidem,
Tuæque vanos damno rumores fugæ.
MAVR. Iuſto reſervo tempori oblatam fidem.
MANF. O verba, corde ô Maurico dignam fidem !
Perii, catenas ſolvite, abſcindat mea
Diſtrictus enſis colla, delectat mori ;
Vixiſſe miſerum : mitis hæc oculis tegat
Mors proditorum ſcelera; prô Numen feres ?
MAVR. Cur his coerces Principem vinclis ? valet
Sic provocare Cæſarem ? ROD. Noſtri ferus
Iordani hic eſt ſatelles : inventor, fator
Fraudum tenetur.

(Exit Iordanus.)

IORD. Maurus averſus moras
Quod tendit, animo duplicat heu ! noſtro metus.
O fabricator, ô meorum vulnerum
Manfrede ſentis artifex ? perii, occidi ;
Et tu triumphas ? ROD. Antè nos lethum premat,
Quin vivis ô Rex, vincis, & fauſtam refers
Iordane prædam. Vincla Manfredus ſubit :
Vrbs clauſa patuit : turma per campos jacet :
Tibi Maurus acuit arma, Conradus latet.
IORD. Quoties revixi ? lucis ô lætas vices !
Amiſſa vitæ gaudia, & Solis jubar,
Niveamque reddis nube diſcuſsâ diem.

Tu

Tu diſſipatos Martis incuſſu teris
Conradianos aggeres? densâ æreas
Tu fortis acie militum vellis fores?
O Federici dexteræ dextram parem
Teneo; volucres patris auguſtas agens
Quæ bella viceris; erigis natum altior
Sed modò cadentem. Paria num meritis queam
Referre decora? regiam vincit manum
Inuſitata, ſola mercedem ſibi.
Datura virtus: regiâ at pluſquam manu
Cùm dona tuleris, ſolvet æqualem Deus
Laurum merenti. Nempe convertit meis
Et ille votis lumina; ut cuncta ocior
Pericla ſoſpitavit, extinxit metus!
Sed quà fugam aperit, vertite actutùm gradus.
Obeſſe cunctas cenſeo viarum moras.
Procul hinc abire Cæſarem, Italiam ſimul
Deſerere, demi vincla Manfredo placet.
ROD. Impunè volitet? IORD. Militū armis obſitus
Teneatur hoſtis: vincla non fratrem decent.
MANF. Teneri & acri milite obſeſſum decet?
IORD. Ne cæde Reges miſceas cuſtos decet:
Fratrique Regi munus acceptum feras.
At Maure quis te nuncius nuper tulit
Poſt terga projeciſſe juratam fidem?
MAVR. Iniqua verba ſoleo præclaris ducum
Damnare factis. Cordis incluſum ſinu
Quod quiſque portat, alteri exonerat ſcelus:
Ne crede, noſtra crimen abſterget fides.

Exit Nuncius.

Adverſa turma militum infeſtat rates
Auguſta metuit mater, & comitem viæ
Revocat Rodulphum. IORD. Ductor accelera, redi;
Nos te ſequemur. ROD. Memet avellis tuis
O Rex periclis? vincar, aut vincam, necem,
Vitamque te cum pactus: hoc vovi caput
Tuæ ſaluti, noſtra dum ſtabit ſalus;
Et hinc recedam? ſpiritum hîc fundam, jube.
Peris procellâ naufragus: teneam rates?
IORD. Materna pietas urget; hîc tendis moras?
Præcede: euntem fervido ſequar gradu:
Neu finge, victor quos removiſti, metus.
ROD. Vtrimque pellor; mater, & natus rapit.
Abire ſed Rex imperat; Regem audio.
Noſtram cohors relicta teſtetur fidem;
Sed tua ſequendum juſſa præmittunt ducem.

Tribune,

Tribune, miles, si qua fors dura incidat,
Tuere Regem. IORD. Pugnat & Mauri fides
Quæ nos tuetur. Abiit instructo agmine
Sequamur, omnes littore exspectat parens.
MAVR. Manfredus abeat, liber at vinclis, precor;
Clemens diei præstet hoc felicitas.
IORD. Non temperabit vulnere solutus meo.
MAVR. Dicêris & tu fratris insanus tui
Carnifice Mauro lictor? haud sentis novas
Conradianæ cædis augeri notas?
Tenetur hic; se Cæsar effossum neget.
MANF. Hæc vera virtus Maure: nunc fidem probas.
IORD. Stultus repentè corda, quis vexat metus?
Rex videat imperanda, quid servus jubet?
An tu obfuturas struere conaris moras.
MAVR. Certum est morari, donec emittis manu,
Et restitutum Cæsari fratrem refers.
IORD. O pervicacem! tela converti jubes
Tuos in artus? illa quæ nuper meum
Hoc destinante certa figebant caput.
MAVR. Minare cædes alteri, intentas mihi
Quod funus armis, fortè maturas tibi.
Hic trahitur, audax arte servili meos
Quod traxit animos, jam mihi objectas scelus,
Et obligasti crimine immani duos.
Ille est repertâ fraude captivus: sequor
Ego receptis proditor fœtus dolis.
Dimitte, pariter innocens Maurus redit.
TRIB. Tu proditoris signa recludens, tegis.

SCENA NONA.

Iordanus Mauri coniuratione detectâ capitur.

CONRADVS. SERVVS MANFREDI. IORDANVS. MANFREDVS. PRÆFECTVS VRBIS. MAVRVS TRIBVNVS. MILITES.

CONR. PErrupta Marte mœnia: irruptæ fores:
Immissus hostis, frater abreptus: luit
Supplicia nec dum Cæsari? haud nostram queror
Malè perituris machinis structam necem;
Cuncta vorat hic Scyllæus, aut mordet canis.
SER. MANF. Nondum recessit. CONR. Reddet injustas tibi
Auceps rapinas. Siccine in fratres ruis?
Me me antè cædis, alterum vinctum rapis.

Hic frangit arcem civibus ſtratis ? ferus
Nunc & fatelles perfidum munit latus ?
Arma, arma miles : Cæſar ultorem voco.
PRÆF. Pone ô furores, cuncta componet quies.
CONR. Donam furores, geminus hinc raptor meis
Prædis opimus exilit ? PRÆF. Redde ô pius
Iordane : nec tu Martis accendas faces.
TRIB. Certemus, armis, viribus, numero pares
Causâque vinces melior. IORD. Haud bellū jubet
Fraterna Pietas. CONR. Mente quam longè fugas.
TRIB. Et tu fugaſti. CONR. O! execrande Cæſarū
Violator, iſthoc ſcelere germanum præis ?
Caſus ſequeris. Miles incurre. TRIB. Hoc placet.
IORD. Niſi aliter abeundum eſt, placet.
PRÆF. Tantis precor.
Fraternus odiis imperet ſanguis modum,
Cives precantur, Itala & regnis ſtudens
Tellus Suëvis. Victor an palmam gemet
Nece fratris emptam ? quiſquis occumbat, ſuos
Europa caſus flebit, imperiis vocans
Vtrumque patriis. Vive fraterno diu,
Pacifera amore ſtudia Rex, Cæſar fove ;
Salute veſtrâ noſtra conſtabit ſalus.
MANF. Adhuc refrenas Cæſar ultrices manus ?
Ego ut retorta vincula, catenis gravis
Iubente tulerim fratre? IORD. Non juſſi, abſtuli
Meum belluanti ſanguinem vincla exui.
MANF. Non imperaſti ? Cæſar ô ! teſtor tuæ
Pericla vitæ. Fata Conradi ultima
Ego proſecutus innocens, fratri impio.
Altera petebar victima : abductum procul
Vt vel marinæ paſcerent merſum feræ,
Vel dura ſcopuli raperet affixum ſilex
IORD. Sic dirus ementiris? TRIB. Infandū caput,
Permitte Rex, hoc enſe perrumpam.
IORD. Haud ſinam.

Manfredus elapſus è manibus.

MANF. Cave tibi Cæſar, enſis effodiet duos.
CONR. Hoc me ferus ſpectante moliris ſcelus ?
MANF. Adeſto miles, vulnera, arce, diſſipa
Victos, fugaces. Maure jam proba fidem.
TRIB. Recede Rex. MAV. Recedat & miles meus
In Cæſarem quis pugnat ? IORD. O viles dolos !
Hoc expetebas Maure? TRIB. Quò miles fugis ?
Quòd proditor receſſit, ignavus times ?
Converte cuneos. CONR. Sterne Conrado duce,
Teneatur hoſtis vinctus. PRÆF. O labens domui

Mi-

Miles fugatur, vincitur paribus comes
Datus Tribuno nexibus, captus redit
Iordanus, ô quæ funera videbis gemens
Parthenope! CONR. Vterq; sentiet tandẽ tremens
Conradianum robur: imbelli manu
Mihi dimicatur? traditus custodiæ
Iordane vitam prorogas. IORD. Reddis tuo
Hæc immerenti vincla germano? CONR. Haud satis
Hoc fratricidæ fuerit. TRIB. Hic fratres necat,
Nec tu impetentem fortè Manfredum fugis?
MANF. Adhuc minaris? vincla dissolvent minas.
CONR. Fidem probasti Maure, mercedem feres
Victore dignam Cæsare. MANF. Haud majus voles.
MAVR. Augusta facere jussa, supremum reor.

CHORVS

Discordiæ mala deplorat.

DIscordis Ira gentis
Cùm dira terris nascitur,
Ortu cruenta primo
Clades adulta pascitur.
Rerumque dissidentûm,
Discordiæque flaminum
Terra, mari, perennes
Miscent ruinas nubibus.
Si fabricata flammis
Cælum coruscat fulmina:
Si potus Auster undis
Vndosa rumpit nubila:
Si candidatus imber
Nivosa cingit vellera:
Si cana purpurantes
Vrit pruina gemmulas:
Et grando personantes
Immitis agros verberat;
Miro proterva motu
Pugnant calori frigora:
Notumque Caurus hostis
Rigente pulsat impetu.
Si pontus æstuosis
Repentè turget fluctibus:
Fretisque concitatos
Spargit procella turbines;
Luctatur Eurus undis,
Euroque certat Africus.

Quid ? cùm pererrat urbes
Furor minister funerum ?
Et orta diruendis
Incumbit ira mœnibus ?
Velut Megæra, frontem
Atris revincta viperis,
Eructat implicatis
Commista fumis fibila ;
Collectus unde civis
Minax in arma fulguret.
Devolvit ænearum
Hinc machinarum pondera,
Longèque dissipatis
Muris metalla fulminant :
Hinc igne ventilato
In astra flammas explicat :
Natantibusque tectis
Vndant cruoris flumina ;
Mors tela mille torquens
Strages acervat civicas.
Ignara Marte vinci
Sic Roma per te vinceris :
Quiritiumque ferro
Pares Quirites concidunt.
Sic Cæsarum coronas
Scindunt secures Cæsarum.
Suëvioque gentes
Gens inter alta stemmate,
Per mutuos furentûm
Fratrum cruores occidet.

ACTVS QVINTVS.

SCENA PRIMA.

Consiliarius per Servum iubet Isabellæ Iordani captivitatem nuntiari.

CONSILIARIVS IORDANI. SERVVS IORDANI.

CONS. INutiles quid urbe funestâ seris
Ignave lacrymas? SER. Lacrymæ justos levant
Animæ dolores, ora ceu lapsu lavant.
His & voluptas, triste dum vexat malum,
Petitur gementi. CONS. Gaudium in luctu petis ?
Haud profit oculis evaporatus dolor,
Nisi fert iniquæ tela Iordanus necis

Nisi

Nisi occidentem juveris, major novi
Seges est doloris. Vita dum superat duci
Opere juvandus. Fœminæ casus gemant
Etiam futuros : Cura sollicitat viros
Ne propius adsint. Perge, & Augustam advoca.

Abit Servus.

Fortè hæc periclo ponet instanti modum.
Timenda, dura, gravia, sed quondam mihi
Spectata video. Gnarus occurrit malo
Quæ pulsat improvisa, terrifico pede
Acerbiùs fortuna mœrentem premit.
Leviora ferre, quisquis exspectat, potest ;
Me visa gravius vulnerant. jam tum aspero
Vidi coortas impetu, & volui miser
Fugere procellas ; arcticis ex quo furens
Conradus oris Italo incubuit solo ;
Iordanus ex quo visere incassum pius
Cupiit Tyrannum ; provida abjecit senis
Consilia invenis, angeret perennibus
Vt nostra curis corda : moriturum simul
Sociâ ut necaret morte postremus dolor
Quam flexuosus, nescit inflecti manu
Iuvenis magistrâ ! renovat errores suos :
Sapiens juventæ rarò inexpertæ via est :
Adjunge sortem regiam : regat senex
Iuvenem regentem ? sed tamen rerum potens.
Cor Regis unus temperat nutu Deus.
At quis repentè celerat ignotus gradum ?

SCENA SECVNDA.

Isabella Iordani casum deplorat, ac lacrymis Conradum mollire statuit.

ISABELLA VIRILI HABITV. CONSILIARIVS.

ISAB. Adesto qui beata, qui humanos supra
Suspensa regna vertices, cælo pares
Ore invidenti Principes altum sonas
(Ego testis) æquâ lege mortales gemunt.
Majorque magnos turbo devolvit duces.
Securitatis gaudia è summo edita
Sibi quisque fingit ; arce sed summâ sedet,
Domoque refugit exsul agresti dolor.
O gravia cordis vulnera ! E Siculis feror.
Isabella regnis, classe Iordanum parens
Secuta natum, Cæsari adventus novos

Vt læta gratularer. heu! fratrem exuit
Nato repertus hoſtis, & pœnæ faber.
Iordane preſſa colla jam ferro geris:
Fruſtra Rodulphus tentat occluſas fores,
Ego ſola inermis, nuper heu! Regis parens
Mutare amictus cogor, ignota, avia,
Penetrare in urbem, flectere inſani queam
Si corda Regis. Regium ô ludum, graves
Dei ô frementis mole ab irarum minas.
Heu! tela deprecamur, attonitâ cadens
Cùm fulmen aure ſtridet. At mitte impios
Punire graviùs, omnium cuſtos pater.
CONS. Quis te dolore penitus immerſam parens
Auguſta non agnoſcat? Invertit dolor
Maternus animos, regium haud mutat decus.
Elucet inter aſpera Auguſtæ nitor.
ISAB. Ergo relicto Rege ſic ſolus fugis?
CONS. Non fugio, rebus quæro in extremis opem.
Tu ſi juvare cogitas, celera: tuis
Ferocientem Cæſarem verbis move,
Precibuſque lacrymiſque non matrem audiat
Nato ingementem? ISAB. Sera vix umquam juvant
Auxilia. Tibi convulſa ne labet domus
Eſt providendum, ruere cùm cœpit, fugis,
Si temperarent lacrymæ irati faces,
Extinxet illas forſan exundans liquor
Lacrymatus oculis, illæ at ardebunt magis;
Mollire duram neſciunt mentem preces.
Tamen experiri cuncta metuentem juvat.
O proditores milites, ô anguibus
Dignum vorari Mauricis Maurum caput!
CONS. Feſtine agendum judico fortè impotens:
Remittet iras Cæſar, & domiri feres
Spolium Tyranni, ſoſpitet cœptum Deus.

SCENA TERTIA.

Manfredus Conrado venenum parat, & S. Petri monita contemnit.

MANFREDVS. SERVVS. S. PETRVS.

MANF. VInclis redemi regna pœne exul miſer.
SERV. VEgo periclis. MANF. Primus aſpirat (labor.
Vrge ſecundum (video) Conradus cadet
Hodieque præceps, fratris ut fodiat, ſuum
Nudum relinquet cuſpidi noſtræ latus.
Venena prome; toxicis apta eſt dies.

Non deſpicit Conradus interdum tuis
Pateris liquores ; efferus, rabie furens
Rabiem reponat hauriens cyatho necem.
Scelerum vetus pincerna non primum paras.
SER. Parabo. peſtem combibet Cæſar ; tibi
Sed dulcius propino, quod ſceptrum placet.

Exit S. Petrus.

S.PET. Actum eſt; futuris annuit pœnis Deus.
Quibus alter aſtra ſpiritu fœlix ſubit :
Heu neſcit alter morte quâ præceps ruat.
MANF. Recedè; an explorator obſervas duces
Deſertor antri, montibus natum caput ?
S.PET. Illò recedam, fratris elapſus tui
Patrium undè cælum ſpiritus victor petet.
Tu non recedes ſcelere, nec longè vocas
Supplicia, fæviora ſi longè manent.
Sic per tuorum funera, & cæſos Duces
Inique graderis ? cariùs emetur tibi
Quàm reris aurum ; ſanguis in pretium venit
Erepta ſanguine ſceptra, ſignabis tuo.
MANF. Abi; iſta ſurdæ quercubus ſylvæ refer.
S.PET. Dei imperantis audiet vocem nemus,
Et juſſa tacitis maria placantur fretis.
Tu jura Regis, monita fiderei patris
Audita frangis ? veniet, haud ludas, dies,
Cùm ſerò noſtra pœnitens fruſtra memor
Præcepta repetes. Limitem ſcelerum brevem
Deus imperavit : finibus pœnæ carent.
MANF. Verbis diſertus conteris vires : abi.
S.PET. Hic opperiri Cæſarem certò placet.
MANF. Hic ni recedat pereo. Iam prodit furens
Conradus, alias corde ſubmittam faces.

SCENA QVARTA.

S. Petrus imminentis vindictæ denunciatione Conradum à parricidio revocare conatur.

CONRADVS. PRÆFECTVS VRBIS. S. PETRVS. PRÆFECTVS MIL. MANFREDVS. CONSILIARIVS CONRADI.

CONR. FErro occidat Iordanus, exſolvat necem
Mihi comparatam. PRÆF.VRB. Cædis, ô Cæſar, truces
Dimitte ſenſus. Præmium Princeps ferat
Supplicia lenis differat. Patrium genus

Nec fas cruentis cædere in saltu feris. (ruces
PRÆF.M. Quicumq; fuerit hostis, hunc jure ob-
MANF. Hîc Cæsar hostem, ni caves, propior vides.
Clam venit explorator, hirsutos ferus
Mentitur habitus, ejice, aut vinctum opprime.
CONS. Hîc hostis? Vrbes integer vitæ fugit
Secretus avia montium cultor tenens
Ter carus astris. S.PET. Cæsar admittes viri
Monitus amantis. CON. Amove hinc (jubeo) gradū
Quicumque es, animus arduis curis vacat.
S.PET. Arcana retegam, dira quæ cælum monet.
CONR. Removete fatuum milites. S.PET. Audit Deus
Famulum rogantem. Cæsar huic aurem negas?
CONR. Mihi imperabo. Fare. S.PET. Cælestē tibi
Crede astitisse nuncium. Vidi tuis
Vsque ab remoti nemoris inviso specu
Intenta castris fulgura, & geminum super
Vibrare fulmen. CONR. Nempe quo populū tonans
Stravi rebellem. S.PET. Quo tumescentem Deus
Franget Suëvæ strage terrificâ domus;
Mundique in axes ibit auditus fragor.
CONR. Bellantis ibit dexteræ in gentes fragor.
S.PET. Vacare posthac Cæsarem bello vetat
Heu! virulentus proditor. MANF. Cæsar, diem
Immurmuratum magicus infestat sonus.
S.PET. Tu non inane murmur, at fœtam jacis
Fraudem Suëvæ cladis. MANF. O stygium canem,
Veneficisque pestibus septum caput!
Quin miles hydram submoves? S.PET. Vtinam tuo
Removeat ardens funeri telum Deus.
CONR. Recessit: iterum fratris in cædem feror.
PRÆF.V. Num frater hostis? MANF. Ense si fratrem fodit.
PRÆF.V. Fac vulnerasse: Cæsar immanis necet?
Sua membra fratris corpore abscisso secet?
MANF. Qui tabida secat membra, sanabit: perit
Quisquis per artus ulcera intactos alit.
PRÆF.M. Servare clemens perditū Cæsar potest?
PRÆF.V. Necare fratrem Cæsar inclemēs potest?
CONR. Ille & trucidat, fratre captivo fugit;
Tam multa fusus scelera delebit cruor.
PRÆF.V. Vbi pœna luitur, pœna damnantē juvet.
CONR. Solvor periclis · noster occisor cadet.
PRÆF.V. Periculis figende tam multis pates,
Periculum creare quàm multis potes.
PRÆF.M. Securitas est tollere hostiles manus.
PRÆF.V. Securitas est fratre muniri latus.

CONR.

CONR. Potiùs carere fratre, ſi figit latus.
PRÆF.V. Irâ carere potiùs: hæc fingit nefas.
Videas oportet vulnera ferentem priùs;
Multo ſue circum ſanguine fluentes manus,
Tormenta deceat juſta quàm fratrem pati.
CONR. Securus abeat? odia quæ ſecum efferet?
CONS. Acerba donis odia, non pœnis domas.
CONR. At omnia penitus odia extincto auferam.
PRÆF.V. Vnius aufers; omnium irritas magis
Communibus mox gentium votis reus.
Quin potiùs alti generis, auguſti memor
Dum breve ſupremas tempus admittit preces
Miſerare fratrem: redde florentem ſuæ
Natum parenti, civibus Regem, tibi
Clementis ingens, mente conversâ, decus. (fas.
PRÆF.M. Sparſum nefandâ cæde miſerari eſt ne-
PRÆF.V. Fratrẽ nefandâ cæde jugulare eſt nefas.
MANF. Flagitia ſi ſic vindicas, Cæſar jubes.
CONR. Haud hæret animus; morte perdendum ſcelus.
Occidere voluit, occidat: capiti caput
Eſt devovendum; ſanguis extinguat ſitim
Noſtri tumentem ſanguinis. Iuſſit, jubet
Tuique vindex Cæſar, & vindex ſui.
MANF. Nunc Cæſar auges regna, qui juſtè regis.
CONS. Nunc regna minuis, Rege cùm juſto carent.
Tibi heu timendam video feralem diem.

SCENA QVINTA.

Conradus Iordanum fruſtrà innocentiâ ſuâ ſe defendentem damnat.

CONRADVS. IORDANVS.

CONR. PRopinquat hoſtis: frater heu viſus movet.
Crudele non ſic rectus implicuit furor,
Vocem ut ſupremi funeris caram negem;
Iordane, detur ſanguini hæc noſtro ſalus.
IORD. Pietatis ullas vane mentiris notas?
Vocem ſupremam reddis, & vitam rapis.
Sed rapta ſi vox taceat, exclamet cruor
Terrâ receptus: reſonet intento memor
Cælum elocutum ſidere, ut cædis nocens,
Vt occido innocens. CONR. Rapio vitam nocens?
Sequor nocentem; tu mihi tollis prior.
Si moreris innocenter, immenſum tuæ

Solamen habeas mortis, hoc paucis datum
Vt innocentes occidant. IORD. Capio libens
Quod triſtis animo gaudium caſus tulit,
Integritatis unicæ emoriar reus ;
Videre ſuperi, Numen id teſtis videt.
CONR. Non abſoluti ſceleris occumbis reus.
IORD. Non inchoatur, mens quod exhorret ſcelus.
CONR. Cui penitus hæres mente, nõ horres ſcelus.
IORD. Crimen refugit ; quiſquis & culpâ caret.
CONR. Hunc nulla tangit culpa, qui pœnâ vacat.
IORD. Hunc nulla tangit culpa, qui noxâ vacat.
Sæpe innocentem judicis pœna obruit :
Pœna & nocentem ſæpe deſeruit reum.
CONR. At noſtra meritum cruciat. IORD. Immeritum premis :
Quem digna pœnæ culpa ſollicitum tenet,
Flagellat alto verbere illabens metus :
Trepidant nocentes, ora peccantem notant :
Quis tortor animum proculit noſtrum timor ?
Supplicia non parata, non terret furor,
Non qui propinquat pallidæ mortis rigor.
Vitam auferet mors ſæva, non pœnam feret.
Tu gravia vinclis membra, devinctas manus,
Dignum coronâ fratris hoc cernis caput,
Ludibrium lictoris, informe, horridum
Letho futurum ; dirus & quamquam moves
Auctor ſecurim, membra pollutus meo
Contaminata ſanguine, à lacrymis adhuc
Crudelis ora temperas ? duro, impio
Spectaculum videre miſerandum magis
Numquã licebit. CONR. Video ; plus moveor tamẽ
Dedecore fratris : funeris ſtructor mei
Generi pudendus interis Suëvio.
IORD. Dedecore fictam prædicas ſi quam meo,
Depone curam, crimine infamis tuo.
Iudex vetuſti temporis, dicet ſequens
Ætas, quis atrox laceret auguſtum genus,
Cùm tu Nerones inter, & Buſirides
Conradianas inferes primus notas.
At parcite olim poſteri, haud merui, tamen
Meruere pridem lubrica inviſæ Deo
Studia juventæ : devius, noxæ obvius,
Ætatis æſtuantis incertus ſalo
Vixi, ut perirem merſus infernis vadis.
Lethale quamquam corda non ullum ſubit,
Tam confitentis ore contritum ſcelus.
Ideo inopina falce ſi juvenem feris,
Æternitatis adyta quod pandis, fugas

Mors

Mors & pavores ; non avernales lacus
Paveſcit animus, non inextinctos rogos.
In aſtra levior fertur, ut dulcis latex
Divinitatis impleat amantes ſinus :
Et uſque plenus, uſque inexpletus mero
Torrente amoris, & voluptatis fruar.
Valete jam dilecta terrarum ſola,
Vos clara viſus ſceptra quæ dudum meos
Impunè verberaſtis ; è cælo jubar
Mihi eſt obortum majus, & mentem rapit :
Illo unde tenebris falſus effugi, feror.
Tuque auctor animæ, tuque ſervator Deus
Librabis æquâ lance quod patior malum,
Miſeratus indolentis immeritam necem,
Et rapta vitæ gaudia, atque ævum virens.
O fabricator temporum, ô cæli Pater,
Penſabis altâ luce ſidereæ domus ;
Si diluendas flumine haud lavit ſatis
Oculis ſalubris unda lacrymarum fluens:
At unda puri ſanguinis noxas lavet,
Incogitatæ fundo quam cædis reus.
Moriar : nec odi mortis artificem : volens
Ignoſco ; tu ſceleribus ignoſces meis.
Fac morte acerbâ menſibus vivam novis
Sereniorum ſiderum æternos dies.
Vtriuſque fratris arbiter, Regum potens
Hoc æquus innocentiæ teſtis dabis.
Moror ſecurim lictor : accelera, feri ;
Iam pœnitet vixiſſe, jam dulce eſt mori.
O aura, tellus, frater æternùm vale.

SCENA SEXTA.

Iſabella pro Iordano filio fruſtra ſupplicat, mortiq; ſe offert.

CONRADVS. ISABELLA. IORDANVS. NVNCIVS. CONSILIARIVS IORDANI.

CONR. EXcuſſit oculis lacrymas, pœnè innocēs,
Laniſta frater viſus, ut velis tegens
Inexplicatis vultus obtendit nefas?
At non reſedit ira, ſi lacrymis rigor.

Exit cum Iſabellâ loquens.

Alimenta ut addit ignibus fuſus liquor
Humore ſic rigatus exundat furor.
Iuſtè receptas ponere haud iras decet.

CONS.

CONS. Rex ecce furiis agitur; affare obvio
Ignota vultu, fortè componet minas.
ISAB. Conrade salve Principum justissime,
Laudulphus inter Italos clarus duces
Vt gratularer prosperos adsum exitus;
Meliora gestis rebus attexat Deus.
CONR. Officia serus conficis, gratus tamen
Accipio? ISAB. Nimiùm sera ne jactes; tuis
Quæ sedulò opportuna præsidiis, damus.
CONR. Novi quid affers? ISAB. Gentibus multum novi
Tu Rex tulisti. CONR. Fare. ISAB. Quid fratrem (necas?
Inusitatis Itali pœnis fremunt
Iam jam rebelles. Lubrico cædes solo
Quid prima regna fundat? impulsu ruent.
CONR. Hanc mihi salutem stulte postremã geris?
ISAB. Princeps querelis civium justis vacet.
Occludat aurem, justa ni cives rogant.
CONR. Ne fratricida pereat, injustè rogas.
ISAB. Fictis repertum fraudibus crimen canis.
Quid si perisse noceat? CONR. Et multùm nocet;
Fratri perempto scilicet. ISAB. Tibi nec times?
CONR. Si vivat, horreo cuncta, si pereat, nihil.
Mors fratris hodie vita germano mihi est.
ISAB. Erras; perempto fratre, jam tutò imminet
Cervicibus, Conrade, Manfredus tuis.
Sibi ille reges regna per cæsos struit;
Patrem necavit, fratribus parcet suis?
CONR. Consilia mitte, teneo quos sequar domi.
Imperia nec peracta consultis vacant.
ISAB. Est utile admonere quæ forsan furor
Detraxit animis. Fuerat hæc miseræ super
Lætitia matri, patria Iordanus regens
Regenda tecum regna; cur matrem feris?
Vnoque junctos funere absumis duos?
Accensa justis luctibus, rivo madens
Heu fortè ab altis puppibus natum vocat,
Morienssque lacrymis mersa morientem præit.
Hanc Federico gratiam Patri refers?
CONR. Etiam ne pergis? semovent fidæ rates
Longè parentem, forsan & nostræ, asperis
Exercita odiis puppe muliebrem facem
Tollit ruinæ; forsan & pœnas dabit:
ISAB. Quid celor ultra? respice infœlix: sequor
Ego illa natum (non abest) matrem vides?
CONR. Video novercam. ISAB. Cincta nec flammis tuli
Muliebre signum. Tu flagrans odiis facem

Vibras

Vibras Avernam. Tu ceraſtis proximæ
Horres Megæræ : Cerberus triceps voras
Natum, parentem, regna ; tu ſtridens furis
Erepta Ditis Hydra nigrantis lacu.
Et tu cruoris exprobras fratri ſitim ?
Noſtri vorago ſanguinis, prædo imperi,
Tu civitatum gurges ; & motus levis
Mihi fingis auram ? colla regnorum latro
Fraterna ſcindis : gemina conjungis, geras
Vt ſceptra raptor : ſanguine ſepultus tuo.
At gemina pariter ſceptra cum vita evomes ;
Audit parentum vota ter vindex Deus.
Nec imprecatur liberis fruſtra parens.
CONR. Parco furentis fœminæ impudentiæ,
Matrique amanti. exaſperent iræ nimis
Ne corda, celeres moliar greſſus domum.

Nuncius exit.

NVNC. Supplicia Cæſar juſſa fruſtratur dies.
Minatur arma civis, & muſſant duces,
Mileſque juxta fratris aſpectu ſilet.
Lictor quieſcit. CONR. Redeat; huc fratrem illico
Statuant cohortes. ISAB. Ille damnatus perit
Me neſciente ? ſuſtinet tellus nefas ?
Necdum dehiſcit ? Aureum ô teſtem tuæ
Crudelitatis Solem adactus carnifex
Trepidat, recondit tela, tu necdum movens
Tyranne pectus ferreum, incœpto redis ?
O Punicis prognate pejor anguibus,
Paſte ô venenis, Gorgonumque viperis
Furiale cunctis gentibus monſtrum Draco.
Iurata viſenti hæccine eſt fratri fides ?
Simulatus hic in funera erumpens amor ?
Quamquam ô quid alios miſera, nec me met gravis
Accuſo ſceleris ? dura quæ potui parens
Deſerere natum, caſtra non auſa ingredi
Non experiri bella, non caſus viæ
Tentare pariles, illius vixêm dies,
Moritura ſimul. At ſupplicantem mitior
Ne ſperne matrem ; te, per has unum rogo
Lacrymaſque gemituſque per inextincto patri,
Conrade, ſi quid nomini dandum putas,
Mutare ſortem liceat : indignus ſubit
Meus ille pœnas, dignior ſubeat parens
Fœcundior que vulneri ; hos artus vides
Ferro paratos ? Fœminæ ſtabit feros
Mollior ad ictus, promptior cervix cadet.
Iam matris abeat vita, ſi ad natum redit ;

Dum

Dulce eſt referre quod ſemel donum dedi.
CONR. Non in novercam tantus eſt nobis furor:
Pereat, perire morte quem juſtâ decet.
ISAB. Quis prohibet uno ſcelere puniri duos?
Quo membra nati vulneras, etiam meo
Madet ille gladius ſanguine, & partem rapit
Purpureus animæ, rapere nec totam poteſt.

Exit Iordanus.

Et ecce morti junget hic locus pares.
O nate, miſeram qualis ad matrem redis?
Túne ille, Reges inter, & juvenum choros
Decorus omnes? alter ut ſubitò venis?
Serena triſtis ora ſic fœdat color?
IORD. O mater, ante vulnera quid affers necem?
Si tela ceſſent; ſævior necat dolor.
Occide lictor, enſis ut vivum petat.
ISAB. At non peribis, ipſa ſuccedam, exue
Nate, ô catenas, aptius pondus meis
Erit iſtud humeris; tenera quid multùm gravat
Immane ferrum membra? diſſolve, indue
Me me volentem: lictor, huc certum necis
Molire telum: Nate quid ceſſas? abi:
Ego ferienda victima hîc adſum novæ
Devota morti. Teſtor hoc cæli jubar,
Et fulminantem dexterâ cælo Deum,
Nihil auſus iſte, potuit infeſti nihil
Tentare: ſi quod enſe punitur ſcelus,
Meum eſt: parata vulneri en cervix; feri.
IORD. O mater, animos nimius obturbat dolor,
Abſcede: utroſque morte ſejungit Deus,
Vtroſque cælo junget: interea meos,
Si quidquam in aſtris vota morituri valent,
Vive, precor, annos. ISAB. Vive tu potiùs meos
Matri ſuperſtes, vita, quam tribuit parens
Non mutuanti deditur: raptas tuo
Infanda tumulo mater exuvias feram?
Sequêris olim funera parentis ſenex.
IORD. Vivente quòd te morior, extremum paris,
Neque hoc merenti gaudium; at rurſum mihi
Quid eripis? permitte gaudentem mori;
Vox hîc ſuprema deficit, mater vale.
ISAB. Moriente te valebo? Prô tigris meam
Immanitatem! juncta ni vinclis tuos
Experiar enſes, ni ſuper cæſa occidam,
Vetare quiſquam poterit? an Cæſar vetas?
Nónne imperaſti? ſterne vel ſimul duos,
Vel utrumque morti deme. Si pœnam petis

Plus

Plus dedimus : unum pœna quærebat : duos
En ut refixit vulnere ingenti dolor ?
Quid poſcis ultra ? cædere incaſſum cupis
Fratrem peremptum. Cernis exanguem ? labant
Extincta membra : pallor infecit genas ;
Abacta fronte lumina ; receſſit rubor,
Nitorque & ora luridus tendit rigor :
Non ille meus eſt : alius exceſſit domo
Decor juventæ : regium gentis jubar :
Viventis umbra fratris aut errat ſolo :
Aut alius hîc tenetur, haud fratrem feris.
Ego mater opto vulnera, hîc certò feris.
CONR. Moveor : flagrantes ira compreſſit faces
Differre forſan, cædis aut penitus juvet
Frangere furores. Quam petis vitam parens,
Tanti eſt dediſſe ſupplici, quanti eſt mihi
Meam tueri : rabidus at mentis tumor
Paulùm reſidens dubia penſari ſinet.
CONS. Dubia paterni generis eſt Regi ſalus ?
Hoc nititur perennitas ſtantis domus.
CONR. Ferro impetitum parcere Auguſtũ jubes
At rurſus obruetur. CONS. Obrui haud poteſt ;
Quem nemo ſequitur; machinas, fraudem vides ;
Et innocentem cædis, ut nocens cadas.
CONR. Certa occidendi cauſa ; ſed matris dolor
Fratriſque caſus crimini admiſcent preces.
ISAB. Natum parenti flexus ô tandem refer :
Reſtitue regem civibus, fratrem tibi.

Verberatur Conr. à prætereunte Furiâ.

CONR. Moriatur, occidatur ; an fratrem impius
Iugulabit iterum ? ceſſat, haud enſem expedit
Percuſſor ? adime colla, poſtremum impero.
ISAB. O ſpes inanes, abiit, infœlix adeſt
Imago mortis. Ergo labentem, ſuo
Iamque innatantem ſanguine aſpiciam parens ?
Civeſque ſuſtinetis ? heu triſtes ſilent.
Da matri acerbos nate complexus precor ;
Moriamur unà, levius eſt junctis malum.
IORD. O mater obcallebat extremo meus
Senſus dolori ; vulnera heu rurſum moves,
Miſeroque turbas funere. O famuli procul
Removete, ſolus cruciat hic mentem dolor.
ISAB. Et tu parentis hoſtis inviſam fugas,
Invita longè ut moriar ? Heu pietas ; necem
Molitur alter : alter adſtantem vetat
Lugere. trepidos miſera quò vertam gradus.
Quid anime tentas ? Deficis, luctum fugis.

IORD.

IORD. Hoc incruentâ cæde miſerandum mihi eſt
Perire. Mater, morte ſic natum præis?
Quid enſis expectatur? hîc ſponte occidam.
CONS. Hæc illa mater: natus hic regum nitor.
O non movendas orbe terrificas vices.
Accipite mœſtum pondus, atque ægram domi.

Laqueus abducitur.

Recreate famuli, natus hoc moriens jubet.
IORD. Moraris enſem lictor? abſceſſit Parens?
Sunt certa cædis ſigna, quòd ſolum feris.

Exit Nuncius.

NVNC. Fratrem imperavit Cæſar abduci foro,
Penetrali ut alto regiæ occumbat domus
Hæc decora morti ſtirpis Auguſtæ dedit.
IORD. Eamus, annos ſidera æternos dabunt.

SCENA SEPTIMA.

Nuntius narrat Conradum hauſto veneno laborare.

PRÆFECTVS VRBIS. CONSILIARIVS IORD. NVNCIVS.

PRÆF. QVàm fragile vitę deperit fallax bonŏ!
Et ſumma lapſu cuncta præcipiti cadunt!
Quæcumque poſſidebis, ut cuſtos habes.
Tua ne ſuperbe diceres, aliò migrant.
Opes, honores, floreos ævi dies,
Regnique faſces invidum tempus terit,
Aut perdituros cuncta nos letho vorat.
Iordane teſtis, turbo cui ſubitò fremens
Vitam, juventam, regnaque involvit rapax.
Vbi ille terror Italum, & florens amor
Populique, germanique? mors ferro inſolens
Evertit. atrox heu ſibi quantas alit,
Vt feriat artes? vivere inviſum eſt, malis
Vndique coactis: duriùs vitam auferunt
Fraudes, furores, odia properatæ necis.

Exit Nuncius.

NVNC. Nondum Suëvis aſtra placantur malis.
Intexta ſceleri ſcelera, ſunt doli dolis.
Conradus irâ tumidus accenſam ſitim
Dum poculo reſtinguit, epotum inſcius
Hauſit venenum; miſcuit mortem ſcypho.

Man-

Manfredianus, enſe at effoſſus luit
Supplicia ſervus. Cæſar auctorem petit
Periturus; abiit; ſive Manfredus latet:
Vndique tumultus, undique vagantur metus.
Miles vocandus, cuncta ne penitus ruant.
CONS. Et expedito pœna quæ venit gradu,
Vtrique ſera eſt. interim forſan meus
Rex tenera ferro colla ferienti dedit.
PRÆF.V. O, morte; Tragicis queſtibus nato Duces.

SCENA OCTAVA.

Quæ regium Conclave atris periſtromatis conveſtitum refert.

S. Petrus Iordanum feretro impoſitum luget, iuxta quod etiam Conradus ſerò ſacinus ſuum damnans Manfrediano veneno extinguitur.

SVSTINENTE FERETRO IORDANE CADAVER. S. PETRVS. CONRADVS. CHORVS.

S.PET. O Anime, lætus fortè ſidereis choris
Erras, corona vinctus aſtriferâ comas;
Mortis, dolorum neſcius. miſeri tuis
At nos honores, carmen exuviis damus,
Lacrymæque lacrymas ore manantes cient.

Commus.

Ite fluenti lacrymæ rivo,
Spargite vultus, implete ſinus,
Veluti complet pectora luctus
Ite fontes imperati;
Creſcat humor, unde creſcat
Cum dolore luctus atrox.
Eheu: occidit, occidit
Gentis gloria Principis,
Sidus nobile Cæſarum.
Flos decorus, flos juventæ
Crine ſectus decolori
Aruitque, deciditque.
Quàm fortis eheu funere in ultimo
Offers cruentis colla ſecuribus,
Dignus ſecula vincere
Primo concidis ævo.

Eheu quàm pius occidis!
Sanctis ictus amoribus:
Pulcer ſpiritus extulit
Inter ſidera curſum.
Tamen ite defluentes
Gemituſque lacrymæque
Eat humor, unde luctus
Dolor augeat perennes.
S. PET. Nempe hoc cupido ſtruxit armatus dolis,
Florentis ævo robur ut firmum ducis
A ſtirpe rueret turbo fraternæ domus,
Truncuſque funerandus informis, jacens
Populus gemendâ morte Iordanus fores:
Exempla terris ſortis humanæ dares.
Quàm multa eodem ſubita mors telo ferit!
Et ſpem futuræ prolis, & regum ordinem
Olim nepotum, factaque & gentis decus;
Cuncta hoc revulſa pariter in feretro jacent.
Quòd niſi reclufis vita ſideribus viam
Monſtraret animo, quà coronato levis
Curru feratur; quis per incertas vices,
Fugitiva quærens tempora, infelix quoque
Se fugeret? alto ſpiritus nîſu, per &
Æqua, per iniqua vectus, & rerum aſpera,
Sedes beatas Cælitum victor ſubit.

Exit Conradus.

CONR. O ardor, ô quæ viſcera exurunt faces!
Iam peſtis ima cordis irrumpens vorat.
Deficio, inultus morior. extremas miſer
Quò verto voces? frater hic raptus meos
Oberrat oculos: ſævit hinc tetrum nefas,
Hinc mors reducit peſtibus cinctam horridis
Violenta faciem. triſtibus ſeptus malis
Quid meditor amens? merui, & hoc frater tuo
Hoſti canebas innocens; tantum reus,
Quod me furentem, crimine oppreſſum gravi
Non antè cædis; monſtri ut infamis lue
Auras liquentes ſolveres, terras metu.
Agnoſco ſerus facta, deteſtor necem,
Magis ipſe deteſtandus, & caſum ſequor.
CHOR. Placata veris corda jam fruſtra patent:
Serò revulſas pœna diffregit ſeras.
CONR. At fortiora fulmina intorquens Pater,
Crudele cur non ignibus pectus flagrans
Fixiſti? acerbis antequam patris domum
Penitus ruinis verterem: immanis vocor
Nunc ſæviores torior in pœnas meus;

Nunc

Nunc meritus, hauſtis incubantem toxicis
In alta mortem viſcera infudi, artifex
Mihi dolorum, ſtructor extremus rogi.
S.PET. Cur non recurſat pectori clemens Deus?
Illa eſt ſalutis ara, quam nondum tenes:
Fons ille, moriens unde non vitam bibis?
CONR. Quæ furia tædas vindices contra rotat?
Quis irretortâ cuſpide elatus ſuper
Cervice gladius fulgurat? nutans ſolùm,
Aut verberatam ſubter incutiens humum,
Terræ quis aperit jam debiſcentes ſinus?
CHOR. Nullus recludit, mente niſi clauſum ſcelus.
CONR. Contrà ſecures Cæſarum, laurus, opes;
Faſces, triumphi, regna nequidquam valent?
Inſignis armis, & per Arctoas plagas
Glacialis orbis terror, Auguſtus premor,
Rapior, tumente mortis immergor lacu;
Non obſtat aliquis? arma non fidus movet?
Prohibete, nuper Cæſaris veſtri latus
Quicumque cingebatis, & ferro, & feris
Invicta turmis bella pugnaſtis Duces:
Servate Regem perditum; victor perit?
Eripite caveis, vinculis, umbris, rogis.
Me miſerum, inanes ſpargo quas amens preces?
Alias miſer repoſce, ne pereas, manus.
Quin potiùs obſecrare mortales opes.
Deſine; periſti; fratris expendes necem.
O frater, artus funebri jam nec thoro
Video repoſtos, enſe nec ſciſſum caput;
At vorticoſos igne jaculantem globos.
Ignoſce miſero, ſerus agnovi ſcelus,
Et pœnitendi debitam facti luem.
Quot vexor intus, agitor extra, quot vides
Non effugandis temporum lapſu malis;
Furiale morſu corda dilacerat nefas:
Superi coruſcant fulmina; flagellis humus
Serpentium percuſſa ſibilantium
Patet, reſultat, trepida Tiſiphonem fugit,
Omniſque in unum pœna conjurat caput.
Iam parce, rurſum deprecor: renuis? duos
Etiam ne fratres tumulus iratos teget?
Extincta pereant odia; ſi tumulis minæ
Et ira ſuperant, ira Manfredum petat,
In hunc furores, impetus mecum feras.
Ibit triumphans proditor? cui non prior
Calentia manu corda perrupto ſinu
Avelli? & omne diſcidi, alitibus tuſi
Furiale monſtrum? te, ſed extinctus premam.

Horribilis umbra : frater inceſſu vago
Aderit ; ſequemur fraude portentum ſcatens.
Bella ô videbis ſurgere, horrendis tubis
Ciebo & ipſe bella : committam duces,
Nimboſque gravidâ nube telorum dabo.
Peribis. adſum duplicis vindex necis :
Sic barbare, atrox Cæſarum in vitam furis ?
Heu ſumma vitæ brevior, heu fallax dies !
Iam morior : ullas mors neque indulget moras ?
Sic merui. adactus æſtuat, victus malo
Laborat, eluctatur, & vitæ abditas
Vnde evomatur ſpiritus, frangit fores.
Iordane, tumulos victima infœlix tuos

Labitur iuxta feretrum.

Cædenda ſi manebat, hoc ſaltem capis
Solamen atræ mortis, occumbo tibi.
S. PET. Iterata clades : funera & funus novat
O non fugatam mentium dementiam !
Metimur ævo gaudia, at primos dolor
Incurrit ortus, duriùs lethum ſecat.
Quiſque auro & opibus, avius cælo, incubat ;
At quæ tenetur vita momento fugit,
Sed non refugit pœna peccantem ſequens.

FINIS.

BERNARDINI STEPHONII SABINI E SOCIETATE IESV CRISPVS TRAGOEDIA.

ARGVMENTVM.

IVLIVS Flavius Crispus Cæsar, Flavij Constantini Augusti filius, ex Alemannico bello victor tertiùm Consul, fortis partâ pace, domi bellum offendit. Is cùm honestè calere, quàm turpiter facere, maluisset, Faustam novercam Phædræ, patrem Theseò, simillimos est expertus, Hippolyto ipse constantior.

PER-

PERSONÆ.

PHÆDRÆ VMBRA.

MALVS DÆMON.

CHORVS IVVENVM ROMANORVM EX CONVICTV CRISPI, ET DISCIPLINA ET EDVCATV SANCTÆ HELENÆ.

CONSTANTINVS MINOR.

SENATOR CONSTANTINI MINORIS MODERATOR.

CONSTANTINVS MAIOR AVGVST. IMP.

ARTEMIVS TRIBVNVS MILITVM.

SENATVS.

SENEX FAVSTÆ CVSTOS.

EVNVCHVS FAVSTÆ SERVVS.

FIDICINA INTRA PROSCENIVM.

NVNTIVS AVLICVS.

MANIPVLVS MILITVM DVPLEX.

CRISPVS CÆSAR, ET CONSVL CVM LICTORIBVS LAVREATIS.

FAVSTA INTRA PROSCENIVM.

NVNTIVS.

PRÆFECTVS VRBIS.

ABLAVIVS S. HELENÆ AVG. PALATII COMES.

CRISPVS

TRAGOEDIA,

ACTA LVDIS PARTHENICIS,
ANNO SALVTIS FVNDATÆ
M. D. XCVII.

VERIIS ANTECINERALIBVS MODOS FECERE
MVSICI PRÆSTANTISSIMI.

EGERE NOBILISSIMI ADOLESCENTES.

GEMINA CVM HIPPOLYTO TERDATA ROMÆ SEMPER PLACVIT.

AC-

ACTVS PRIMVS.

SCENA PRIMA.

Phædra mittitur à malo genio, ut Fauſtam Criſpi novercam, ad privigni amorem aut cædem inſtiget; diu reluctata tandem obſequitur. Ad imitat. primi act. Thyeſtis.

PHÆDRÆ VMBRA. MALVS DÆMON.

PHÆ. HÆc illa tellus fraudibus Phædræ gravis,
Hanc cæde caſtâ pollui Iuvenis pii,
Fœdis peruſta facibus illiciti tori.
Hæc illa dura ſidera ætheriæ plagæ
Inimica, dira, triſtia, adſpectu horrida,
Hinc innocentem ſpiritum traxi nocens
Animæ furentis pabulum, & cauſſam meî
Numquam occidentis, ſemper ardentis, rogi.
Quid huc coacta Phædra moliris viam,
Rurſúſque relegis functa vivorum domos?
An ut vetuſtum expenderes crimen, novis
Exhauſta pœnis? in quod exemplum nocens
Tranſcribor? inceſtifica, deteſtabilis,
Sceleſta mater, ſcelere nec ſolito furens
Vltrix Erinnys; quodque vix reperit fidem,
Amans noverca, lugubri flagrans face.
Si gravius aliquid impiam pœnæ exigit;
Quid eſt quod addi poſſit ærumnis meis?
Quam Phædra miſſo Dite lanienam ſubis?
Parámne videor miſera quòd fœdæ Stygis
Vorticibus agitor, volvor, allidor, premor
Naufraga, cruenta, caſſa vitali die,
Sine luce nomen igneo cinctum freto,
Semper rependens quidquid admiſi ſemel?
Vel hic nitentis vultus & Mundi decor
Iucundus aliis, nocte lethæâ mihi
Mœſtior, in ora crimen obtrudit meum,
Phædramque Phædræ objectat, & ſceleris notas
Animo inſidentes: qualis aduerſam refert
Faciem vel unda fontis illimis liquens,
Vel vitreus orbis ſubditi plumbi morâ
Siſtens opacâ lucis ineuntis fugam.

Quocumque mentis incidunt oculi, (heu meæ
Monumenta culpæ!) facinus agnoſcunt vetus,
Animæque longos fontis annales legunt.
Hæc aſtra Mundi clara, quæ terram ambiunt,
Viceſque verſant temporum, teſtes erant
Oculi mearum conſcii fraudum : hæc mihi
Nunc obloquuntur indices linguæ, & ſcelus
Animæ nocentis exprobrant, inſtant, notant,
Mihique memet judici oſtendunt ream.
DÆM. Etiámne ſegni reſtitas anceps gradu,
Impia noverca, mater exſecrabilis,
Femina nefandi ſceleris infanda artifex ?
Etiámne dubitas ? perge quam monſtro domum
Agitare furiis : perge Reginam tuis
Ambire flammis. Aula cur luctu vacat
Inviſa ? nondum corde verſatum nefas
Aggreſſa blandas admovet Iuveni preces
Regina ? nondum ſævit inſtinctu effero
Auguſta ? gemini ventila ſceleris faces :
Infer & amores, infer & diras neces
Patri, & novercæ : Theſeum vincat pater,
Noverca Phædram. Siſte, quò præceps ruis ?
PHÆ. Ad liquida ſtagna ſulphuris fœdæ Stygis :
Mecum ad cubile flammeo obſcurum rogo :
Ad vos gementes Inferi, ad luctus meos.
Mirabar hæc quò verterent ſeſe novæ
Inopina lucis dona. Non ergo ſatis
Sum miſera propria fraude, ni alienâ premor ?
Heu heu ! quid angues durus intentas nigros ?
Minitare, ſævi, verbera, tortis ſeca
Humeros patentes viperis : præſtat ſcelus
Arcere tantum. Nunc ubi vaſto patet
Tellus hiatu ? liceat hac culpâ manus
Caſtas habere, inceſta ſi videor ſatis.
Numquámne Solis hauriet clarum jubar
Sine fraude Phædra ? lucidum quoties diem
Adſpiciet, & peccabit ? hoc cælo frui
Impunè numquam poterit ? ubi tellus hiat ?
Effugere Superos liceat, & denſum chaos
Sedem nocentem petere. DÆM. Quid fruſtra es ?
Miſce Penates funditus : totam advoca (priùs
Phædram, & furorem divide in totam domum
Sortita temet alteram, Hippolytum alterum ;
Hortante Phædrâ Fauſta nil vetitum putet,
Nihil verendum : jura temerentur tori :
Stringantur enſes : integri pereant malè :
Et Fauſta tecum certet ingenio tuo,
Vincat ſuo. Tu concita tedam hanc priùs :

Fige hac novercæ pectus ; ac Phædrâ imbue.
Fidem, pudorem, Numen exturba ociùs :
Accerſe facinus impium, & mores tuos.
Hæc impudicæ mentis inſtigat nefas :
Hæc ſancta caſti fœdera exſolvit tori :
Hinc luxus, hinc nutritus in luxu parens
Scelerum cupido : cæcus hinc mentis furor :
Hinc inſolentis carnis inſtinctus feri
Alimenta ſumunt : vincet hac Fauſta impudens
Phædram impudentem : criminis partes tui
Agita priores : ſenſus hanc flammam rapit,
Movet error inter læta Fortunæ bona,
Nutrit voluptas, otium, ſomnus, dapes :
Nullum Inferorum majus hoc monſtro malum,
Cui probra ſemen, dedecus fructus, modus
Eſt fraus, egeſtas finis, exitium, dolor,
Luctus, querelæ. Quiſquis huic peſti dedit
Animum obſequentem, vulnus & cæcum fovet,
Et blandiendo dulce permulcet malum,
Ad recta flecti devius numquam poteſt,
Nullum ſue violens novit in rebus modum :
Geſtit ſecundis inſolens, fractis gemit :
Aliena raptat gurges, effundit ſua,
Omnem ſue probris urget infandis domum.
Quid doceo Phædram ? temet hortere, & tibi
Tuos amores ſuggeras, fraudum dabis
Scelerumq; multum, criminũ cauſſam hanc move,
Tuos furores commoves, flammas tuas.
Vbi hoc furentem ſenſeris œſtro, efferam,
Nullâque victus lege retinebit pudor :
Vbi blandientem viderit, (noſti modum)
Et ſupplicantem ſpreverit matrem impiam,
Durâque Iuvenis aure reſpuerit preces
Adverſus, intractabilis, rigidus, ferus ;
Tunc igne fœdo ſauciam, flecti inſciam,
Turpis repulſæ conſciam (partem alteram
Tui furoris advocans) hac incoque
Tedâ, & cruoris penitus inſpira ſitim,
Rabiemque cæcæ mentis, & ſævum impetum
Veræ novercæ. Iura, pietatem, fidem,
Omnemque matrem corde violento exigat,
Phædramque totam importet immanis furor :
Teque innocentem faciat : exundat, ruat,
Præceps feratur cupida vindictæ parens,
Omnes volutet feminæ iratæ dolos.
Quintus caminis ſpirat æthnæis vapor,
Vbi mole preſſus ſpiritus ſulphur vomit ;
Qualis triſulcâ ſcinditur nubes face,

Vbi celsa tecta fulminat Regum Deus;
Tales docente Gnossiâ spiret neces
Romana Phædra. duplices flammas tuas
Agitante te, te præside, atque interprete
Majore monstro misceat: mundi hoc decus,
Hoc columen Vrbis inclytum eversum occidat,
Tuisque flammis fumet Æneadûm domus.
Faustæ furenti Phædra præniteat face.
Resides furores usus hortatur recens.
Nunc caussâ major, major incubuit metus.
Nisi providentur, cœpta nec nostro Dei
Prohibentur astu: Dardanam Christus brevi
Frenabit Aulam; nostra pellentur procul
Suspecta regna: funditus quassæ ruent
Sedes Deorum: Christus, ejecto Iove,
Canetur orbe magnus asserto Deus.
Quid dubia spectas? suscita sensus tuos,
Et functa laudes, viva quod laudaveras.
His jura Christus Vrbis auspiciis regat:
Phædrâque ducat pronubâ Romam Deus.
Si prima nobis cœpta succedunt benè;
Probris novercæ casta squalebit domus.
Nisi se novercæ Iuvenis insanæ dabit;
Supereſt furoris alterum crimen tui,
Vt Aula Iuvenis cæde tabescat pii.
Ad hoc tuæ poscuntur exemplum manus.
PHÆ. Rerum repertor, arbiter mundi Deus,
Et Inferorum terror, & vindex atrox,
Qui jura terræ, jura moderaris poli,
Verende, formidande, ineluctabilis,
Testor, rubentis dexteræ hanc tedam opprime.
Quidnam abnuentem sceleris auctori obsequi
Meo gravatam cogit alienus furor?
Nec te veremur: sensus hic olim fuit.
Pœnas veremur, fraudis exemplum novæ
Veremur: isto more peccatur mihi,
Tergo meo plectetur, hortatu meo
Impura meretrix quidquid hæc invaserit.
Alios ministros fraudis istius lege.
Non ergo Romam Fausta succendet furens,
Nisi Phædra Faustæ suggerat notas faces?
Vt Furia mittor? impetu instinctæ meo
Noceant novercæ? mittor ut gravidâ vapor
Tellure ruptâ pestilens fœdam luem
Sparsura terris? testor, abjuro, abnuo,
Abominatam posteris Phædram exsecror.
Sit Fausta Romæ pestilens, Phædra Atticæ.
Ludia peregit Graja jam partes suas:

Peragat

Peragas tuas, Romana, nunc partes, tibi
Pecces noverca: Phædra peccavit sibi.
Meliùs tuo ferêre quàm genio meo.
Quæ me magistram quærit, hæc me non eget,
Credite, magistrâ. vicit auctorem priùs,
Quæ sapere nondum didicit exemplo meo,
Et fulminatam furere post Phædram potest.
DÆM. At nil vereris impudens nostram manum?
Faxo verendam sentias. credo haud malum
Est pondus isti verberi. tergo doles?
Sic soleo amicos. perge, Reginam ociùs
Aggredere, curâque implica fontem impiâ.
Non imparatum pectus ad noxam adferes.
Parêre cessas contumax? PHÆ. Casta impera.
DÆ. Audi pudicam. PHÆ. Lege vel rectâ jube.
DÆ. Audi modestam. Phædra nos recti admonet.
Iniqua sint, an æqua, parendum est tamen.
PHÆ. Pœnam imminentẽ fraudis indignæ horreo.
DÆM. At ego putabam stultus optari: suas,
Vt video, pœnas Phædra dumtaxat timet.
Serum est timendi tempus; hic Faustæ timor
Si esset, moverer. Vile mancipium meum,
Luctêre quamvis, facere quod nolis, velis.
Malus est magister officii pœnæ metus.
Quæ mente turpi pectus instructum gerit,
Pœnam recusat hæc licèt, culpam appetit.
Quod ratio poscit, victor extorquet furor.
Ne mentientem rideas: mentem tuam
Ediscere rursus. Ecquid agnoscis faces
Illas, quibus privignus exstinctus jacet?
Hæc est amoris turpis: hac rursum æstua.
Iræ hæc cruentæ: rursus hanc pestem obbibe.
Phædræ admovetur Phædra, quam Fausta hauriat.
Perge, & pudendis verte naturam ignibus.
PHÆ. Quis hîc in imis ossibus glisci furor?
Latèque regnans pectus exsorbet meum?
Ille est, pudorem victa quo pessum dedi:
Qui cæde Iuvenis tinxit incestas manus
Cupidæ novercæ. fiat hoc, fiat nefas,
Quod mihi medullis intimis penitus furit:
Quod extimescunt Inferi, Phædra abnuit.
Sequor volentem quisquis exstimulas, sequor.
Frustrà medullis insitam exerces sitim.
Quantum cruoris, Tiberis, invitus bibes,
Ipsique colles arce septenâ ardui!
Ibo, ibo: flammas pectori infigam impias:
Explebo longam cæde Theseâ famem:
Patrem & novercam cæde respergam novâ:

Ipsum

Ipsum nitentis culmen evertam domus :
Vetus integrabo facinus exemplis novis :
Quæ nulla taceat, una properabit dies.
Vtinam liceret regiam cæli aggredi !
Ipsumque Phædræ vindicem Regem ætheris !
DÆM. Sic, sic feratur : mater incestis flagret
Impura flammis : stillet insonti rubens
Cruore mucro : sordeat luctu pater :
Iuvenis triumphis clarus indignè occidat :
Vlulata cædes Vibe funestâ sonet.
Nunc quando turpis turpe leviſti scelus,
Terras nefanda linque : contactu tuo
Mœstæ gravantur : cede confestim loco :
Cede lutulenta : carceris noti specus
Globosque flammæ repete : stant causſæ necis :
Fraudum est abunde. Cernis ut clarum jubar
Pallescit orbis ? nutat & dubium solum ?
Præsente Phædrâ fluctuant mundi vices.
PHÆ. Tibi hoc propino sanguinis, Rector poli,
Quod Phædra cælo porrigit Faustæ manu.

SCENA SECVNDA.

Dolet de fratris triumphis Constantinus Iunior, conatur eum mitigare Senator eius Moderator.

CONSTANTINVS MINOR CONSVL.
SENATOR CONSTANTINI MODERATOR.

CON. VT æquus illam lauream, & frontis decus,
Illos honores stirpis inimicæ probem ?
Crispi triumphos Cæsar ut plausu sequar ?
Perfundet antè sidus Arctoum mare ;
Afros Bootes antè sitientes premet ;
Riphæa siccis mugient Austris juga ;
Iberus ortum, vesperum Ganges dabit ;
Refluet retortis Tibris ad fontes aquis ;
Auras liquentes squammeum innabit genus ;
Proles volantûm falsa sulcabit vada ;
Cum luce certam sancient umbræ fidem,
Cum morte vita, flamma cum fluctu priùs ;
Quàm sceptra servus generis invisi feram.
SEN. Perspecta si quid rebus in dubiis fides,
Animusque certus meruit ut curas benè
Credi latentes auribus nostris putes ;
Quis corde fixus fluctuat vultu dolor ?
Quæ tacita, quæso, cura te, Cæsar, coquit ?

Cur

Cur ora non quæ publicis debes bonis
Oſtendis Aulæ? fare: nam fando ſolet
Minui, tacendo ſævus augeſcit dolor.
Sic clauſus olim ſpiritus terræ ſinu
Luctatur ingens, mole dum preſſus tumet,
Motuſque ſubdi neſcius vaſto ciet:
Idem quieto detumet lenis ſono,
Vtcumque latos exitus, quà ſe foras
Egereret, ultrò nactus, ac ſenſim effluit.
CON. Modò lingua fari poſſit, & voce exſequi
Penitus tumentem & ſpontè rumpentem exitum
Animi dolorem; majus & ſolito amplius
Monſtrum volutat pectus, immane, horridum:
Nec ipſe quo ſe frangat, eſt certum, dolor.
Vtcumque fabor, dicta tu noſtra occule,
Magniſque præſta cognitam in rebus fidem.
SEN. Haud ſum monendus. CON. Marte legiones
Bellaſſe noſtras ſtrenuè ad Rhenum ferunt. (ſuo
SEN. Eſt cur piè gratere fortunæ domus,
Romæ Senator, patriæ civis, patri
Natus, ſaluti civium Conſul, tuæ
Felicitati. CON. Ipſum moves ſtomachi locum.
Quid enim? nec ipſe prærogativam vides,
Omenque Regni filio ſervæ dari?
Terrarum habenas ambitu poſci novo?
Arcemque mundi mole majore appeti?
Huc Conſulatus arrogari, huc laureas?
Geminata puero imperia militiæ & togæ?
Huc odia quæri gentium, exciri huc manus?
Inſolita, inauſa bella de bellis ſeri?
Huc Regna mundi vergere, huc terrarum opes?
Cur? nempe Fauſta liberi, Regum genus,
Divûm nepotes, ſtirpe generosâ editi
Puero ut Britanno ſerviant; pacem petant,
Qui dant; tremiſcant ſceptra, quæ meliùs regunt;
Iſtum ſequantur aſſeclam Auguſtâ ſati;
Ducant, reducant, protegant, ſtipent, colant,
Quos Roma victrix ambit ingenti prece,
Supplex tributo gentium tellus colit.
SEN. Tunc iſta verè diceres, Romæ ſibi
Si frena ſolus poſceret Iuvenis ferox.
Nunc ille belli ſocius, & Regni comes,
Conſors duorum Cæſarum, & miles patris
In parte Regni quantulâ hærebit, minor
Fauſtæ duobus liberis, impar patri?
CON. Erras. quietis ille conſiliis queat
Vti ſuperbis inſolens victoriis?
Toties honorum civicis clarus notis,

Fidens

Fidens juventæ, civium ſtudiis ferox ?
Indocilis, ardens, contumax, primi appetens
Iuris, ſecundi neſcius, Regno imminens,
Inſtructus armis, copiis, navalibus
Sociis, amicis, efferis legionibus,
Nimiùmque dulcis gloriæ guſtu ebrius ?
Plus poſſe geſtit, plurimum quiſquis poteſt.
Ingenia magna ſæpe projecit furor.
SEN. Ingenia magna ſæpè ſubmiſit pudor.
CON. Gravis obſequenti cauſſa, regnanti levis.
SEN. Gravis eſt in illo, ſceptra quē patris premūt.
CON. Levis eſt in illo, ſceptra quem patris levant.
SEN. Num quem cruentis obteri bellis vides ?
CON. Num quem triumphis evehi cernis novis ?
SEN. Virtute partis arduâ. CON. Sed militum.
SEN. Sudore multo. CON. Militū. SEN. Diſcrimine
Summo, cruore plurimo. CON. Sed militum.
SEN. Fateor : labore militum, exemplo Ducis.
CON. Qui ſibi triumphos poſcit ob belli moras.
SEN. Qui poſt triumphos juſſus ad bellum redit:
Nec ulla lux ſecura, nec requies datur,
Niſi dum jubetur. patris exhaurit ſtatim
Mandata velox : arma vincendo trahit :
Eademque virtus bella, quæ mandat, gerit,
Expoſita ſemper, ſemper objecta hoſtibus,
Parata ſemper. numquid immunis fuit
Puerilis ætas ? tela tractavit priùs
Quàm noſſe poſſet. Patriæ jugulum petens
Turpis Tyrannus, civium clade oblitus,
Fœdiſque probris obrutus Maxentius
Virtute patris pariter & pueri manu
Æternus hoſtis Vrbis exactus perit :
Suâque pœnas fraude deceptus dedit.
Dum ſervitutis ingemit graviter jugo
Oppreſſa Roma, ſtrictus & mucro metit
Plebem & Senatum, ſceleris & cauſſam ſceleris
Præbet Tyranno ; rapta dum furto, metu
Regna obſidentur, omnis in ferro eſt ſalus,
Rabiemque cædis fuſus irritat cruor ;
Tandem vocatus adfuit vindex Deus,
Miſeroſque cælo miſſa reſpexit ſalus :
Licinuſque Criſpi dexterâ cæſus jacet.
CON. Leviora ſequeris : alter Alcides quoque
Atlante feſſo ſuſtulit cælum puer.
SEN. Poſt hæc adortus regna Nabatheæ plagæ,
Latè ſonantis Gangis intravit fretum,
Curſuque flexo Solis æſtivi die
Cinefacta victor regna luſtravit puer.

Quid

Quid fabulosis Caspium monstris sinum
Memorem scatentem ? Bactra quid referam ultima
Quassata bello, non leves Latii metus ?
Quid sæva Libyæ monstra, numerosum malum ;
Subitosque Reges litoris Carthesii ?
Defensus orbis pacis auctorem suæ
Sensit, ferocem expertus & mitem manum.
Nec plura Crispus spatia, quàm virtus, facit,
Pietasque pacis obses, & pacis comes.
Vbique pugnax spiritus fregit truces :
Vbique lenis dexteram afflictis dedit,
Florere passus pace, quos armis modò
Populos subegit : illud in primis putans
Regale semper, viribus Regni suis
Stabilire terris pacis æternæ fidem.
Quid ista prosunt ? Vrbe protectâ caret,
Et pacis auctor civium externis terit
Bellis juventam : tolerat Arctoas nives
Vastator Austri : cinxit Atlantem novis
Statim maniplis nuper Auroræ metus.
Nunc ille cæli margine & terræ sinu
Famam coërcens Vrbe defensâ exsulat.
Properes licebit, merita si dignè æstimas,
Serò es datura, Roma, quod Iuveni dabis.
Sed ecce Regum Ductor, Æneadûm potens
Adest, coactis Patribus Romæ Pater.
CON. Vmbram Senatus quæris antiqui ? vides.
Servi togati Principi servo favent.

SCENA TERTIA.

Habetur Senatus de triumpho Crispi. Castrorum aciei, pugnæ ratio describitur.

CONSTANTINVS IMPERATOR. SENATVS. ARTEMIVS TRIBVNVS MILITVM.

IMP. PLacet. vereri mitte ; felici notâ
Vivet superstes Iuvenis effeto patri :
Labens senectus prole nitetur suâ.
Hæc jussa noster annulus faciat rata.
Premant superbos Principes, humiles tegant
Hoc esse Superis proximos Reges puto,
Quod jus tueri regiæ possunt opes.
Nec abnuenda sceptra sapienti reor,
Si dat regenda sceptra sapienti Deus.
Quòd Rex & auctor juris, & mundi pater,

Simulacra magni nominis Regno gerit,
Speciemque sacrâ sustinens partes Dei
Orbi salutem reddit, & pacem suo ;
Hæc summa virtus : Cæsares cælum hàc petant.
Minus licere credimus, cui plus licet.
Agedum : subactis Consul Alemannis adest ?
ART. Adest parente victor Augusto auspice
Crispus, parente maximo tantùm minor :
Adest profectò quantus ex omni solet
Labore major, similis & semper tui.
IMP. O me parentum, ô Cæsarum excelsissimum !
Quanto redundat gaudio pectus mihi !
Moderator orbis summe, qui vasto cies
Orbes rotatu, sæcla qui condens Ducum
Major minores territas Reges metu,
Si prole tantâ videor indignus pater,
Nimiumque felix ; si quid iratus tonas ;
Hoc vile potiùs verberet fulmen caput,
Quàm fidus orbis orbus ut raptum hoc fleat.
Expone seriem cladis, & belli modum
Prosequere. Nati gaudet ingentis pater
Tractare laudes, generis & famâ frui.
Effare primùm, castra quo fixit loco ?
ART. Riguo, salubri, divite & compascuo,
Quâ se supino terra clementer jugo
Producta sensim tollit in tumulum brevem.
Undique tepenti prominens longè locus
Difflatur aurâ, verè pubescens suo.
Hinc silva longè mugit, annosum nemus,
Opposita castris : servit hoc Boreæ latus ;
Rigidique cæli frangit immodicum gelu,
Mitemque præstat Solis hiberni fidem :
Hinc Albis amnis ima perstringens juga
Placidò volutus gurgite, & frugum ferax,
Amica quidquid opida à tergo metunt,
Conspicua quidquid pecora producunt, vehit :
Hinc terga montis urget : annonam hàc vehit :
Hinc castra radit. IMP. Commodè cavit loco :
Xenophontis ista Cyrus optabat juga
Castris habendis Martis attentus morâ.
Laudo magistrum. Forma quæ castris erat ?
ART. Auctore quam te novit : à summo jugo
Demensus amplo circinat gyro locum,
Descripta clivo spatia castigans levi :
Obversa castris hostium Prætoria
In æqua campi porta paulatim redit :
Relicta tergo spectat orientem diem
Decumana summâ verticem collis premens,

Faci-

Facileſque noſtris invehit caſtris opes.
IMP. Quid ? ſæva pubes, bella dum pendent, ſedens
Incluſa torpet ? acuit an bellum mora ?
ART. Iejuna qualis tigris exercens famem,
Vbi mugientûm ſtabula proſpexit procùl,
Si deſtinetur improbæ ripæ vado ;
Immane ſævit faucibus vacuis hians,
Iraſque notas torva nequidquam incitat :
Aut qualis Vmber, notus ut nares odor
Tetigit ſagaces Martii longè ſuis,
Dum præda diſtat, paret, & lentâ ferox
Cervice pugnat ; acta latratu canum
Si propiùs errat, lora retinenti excutit,
Subigitque terram pedibus, & gemitu increpat
Dominum morantem : talis obſeptis fremit
Legio maniplis Teutonum adſpectu furens.
IMP. Romana laudo pectora : agnoſco mares
Animos. Quid ille Conſul intereà meus ?
Statímne pugnæ copiam pubi dedit ?
An tempus iræ ? ART. Magna quo pacto tument
Spumantque vaſto flumina obſtructa obice,
Æſtuque fervent, verbere & crebro gemunt
Ripæ trementes ; mole dein victâ ruit,
Subituſque prono gurges incumbit freto,
Dominoque victrix unda ſpatiatur vado :
Sic ille cædis ardor, irarum tumor
In pube noſtrâ, cæde dilatâ, capit
Haud ipſe ſeſe ; Marte conceſſo ruit,
Acieque totâ volitat effuſus dolor,
Gladiuſque felix, & Ducis victoria.
IMP. Si ſpirat ira ſanguinem, neſcit premi ?
Hanc ſi licenter incitas, neſcit regi.
Quod ille pugnæ tempus admiſſæ dedit ?
Sicque auſpicatò pugnat, auſpiciis quibus ?
ART. Tuis, ſuiſque, queis jacet Maxentius
Licinuſque ſævi dextero exſtincti Deo.
Iam nocte pulsâ rebus affiârat decus,
Curaſque adultâ luce revocârat dies ;
Pars erat in undis, ſumma pars jubaris juga
Rorabat : auctus ille propiori Deo
Ex more mentem fruge vitali piam
Reficit, Deique fruitur affatu, & polum
Omnem pererrat mente renovatâ celer.
Iuvenem ſequuntur ſtudia primorum Ducum,
Sequiturque pubes: inde ſacrificâ prece
Libato honore Cælitum armatas jubet
Cogi cohortes : confluunt juſſæ manus
Vbi ſede celſus herbidâ ſurgit torus,

Humeris reclinant scuta : crepitanti Noto
Vexilla plaudunt : horret elatis seges
Ærata pilis : ære fulgenti juga,
Campique latè fluctuant sævo die.
Tum Iuvenis ora pube vernanti nitens,
Terrore blandus, flore divino decens,
Horrendus armis superat adscensu locum,
Acies in omnes unde prospectus patet,
Iuvenesque gratis flammat adstantes modis.
Quantus solutâ fertur Eridanus nive,
Eridanus ipsi corniger ponto gravis ;
Aut ipse septem Nilus elapsus viis
Phariam perenni fonte sitientem premit ;
Tantus Latino Ductor eloquio fluit
Indiligenter cultus, ut Regem decet.
Ilicet avarâ sanguinis flagrat siti,
Fremituque pubes fervet hortatu Ducis.
Exinde pugna poscitur : pugnam vocat
Clangor tubarum : protinus castris manus
Properant relictis ordine instructæ suo
Equitumque peditumq; agmen: ut quondã gruum,
Vbi bella factâ nube trans pontum vehunt,
Populantque parva castra Pygmæi Ducis ;
Nubila canorâ findit in versum fugâ,
Et litteratos ordines cælo trahit.
Nec mora : quadratâ Teutonum sese explicant
Specie cohortes corporum adspectu arduæ,
Statuque tantæ, populi quantæ exserunt
Padumque & Athesim confitæ juxta caput.
Quidquid Aquilone virium tellus ereat,
Latiique juris dedocet frenos pati,
Vnum sub ictum Martis unius coit.
Nec tot Niphatis Cyrus eduxit jugis
Rapidus phalangas, Bactra dum bello quatit ;
Aut ille vastum classe qui sternens salum
Tabulata tuto maria transmisit gradu.
IMP. Quo Consul aciem differit nostram ordine,
Sociumque classes? ART. Frontibus binis grave
Lunatur agmen. IMP. Aleæ plenam dedit
Formam : vel hostis melior à numero premat,
Vel ipse cogat agmen angustè locus.
Nam stabilis ille ductus, ut constat sibi,
Nec sustinetur ingruens, & sustinet
Facilè ingruentes : Luna, ni spatio sinum
Collatat amplo, militum numero frequens,
Nimiùm laborat, impetu & vasto labat.
Lunaris ecquid agminis dubias opes
Præmunit? ART. Ardor militum, virtus Ducis,

Spectata

Spectata bello ſanctitas, pietas, fides,
Omneſque nullâ labe tranſmiſſi dies,
Et cauſſa belli juſta : tum facilis Dei
Haud dubia ſigna, Cælitum & dexter favor
Primis obarmat viribus juvenes feros.
Ea prima Criſpo robora, hi nervi, hæ manus,
Conſilia ſunt his proxima, & belli modus,
Animuſque præſens, & Ducis ſolertia.
Nonnihil & ipſe juvit à noſtris locus
Inſeſſus : ille militis noſtri capax,
Anguſtus hoſti, ſpatia fundendis dabat
Satis ampla turmis : ille proclivi jugo
Demiſſus aptè tela jacienti favet,
Irritus in hoſtes ictus ut nullus cadat.
Hic, ubi reducto curvus amfractu manus
Sinuabat arcus, copias vaſto ſinu
Amplexus haſtis horridas ovo dabat
Similem figuram Marte cuneato aſperam.
Ovi hac coërcent ultima infuſi undique
Equites, & agmen ſtabile poſt equitem hîc ſedet.
Poſt agmen equites rurſus ad collis ſinum
Poſtrema claudunt : Gnoſſiæ hoc cornu manus,
Illud tuetur funda Balearis frequens.
IMP. Ad reliqua perge, claſſico poſtquam tubæ
Monuêre belli ; Conſul inſtructam quibus
Ad arma verbis incitat pubem efferam ?
ART. Poſtquam phalanges diffitæ, & juſſæ vices
Placuêre pugnæ ; quemque compellans ſuo
Nomine, ſuorum commonet decorum memor,
Alacremque amorem vulnerum accendit ferox
Armis, decorus ore: dein immiſſo equo
Protinus in hoſtem, limes explicitam ſecat
Quà medius aciem, voce ſublatâ intonat :
Me me ſequatur, Dardanum quiſquis decus
Ferro tuetur. dixit, ad frontem agminis
Provectus, haſtâ miſſili exorſum dedit
Omenque pugnæ : fulmen intortum Ducis
Nimbus ſecutus ferreus Solem eripit :
Sub nube ſurgit pugna telorum aſpera :
Exoritur ingens clamor, & cælum ferit.
Fit gradus, & omne ſternitur telis ſolum :
Virum vir urget, inſtat & ferro premit :
Impulſa ſcutis ſcuta dant ſonitum, & gravi
Galeæ gemunt flictu : undique effuſus cruor
Excurrit, ardor cæde crudeſcit ferâ.
Armatus auro talis Orion micat,
Cùm pronus olim nubila & cælum imbribus
Rumpit ſolutis, grandine & miſtâ furit :

Simul igne fulgent nubila, eliſo tonant
Simul igne nubes ſauciæ trifidâ face:
Ingeminat imber deſuper rupto æthere,
Crepitante tecta grandine illiſa inſonant.
Hæc inter actum Conſulis telum manu
Fixerat ut ipſum Teutonum Myſtam, Duci
Qui fortè genere proximus, cultu pari
Ibat propinquus; felle ſtimulatus nigro
Regnator ingens ipſe, nec vaſto minor
Gigante, fudit lapide quem incuſſo puer,
Per denſa ſævus tela diſjectis ruit
Ordinibus, armis inclytus, vultu ferox,
Haſtaque poſcens Conſulem infeſtâ ſubit.
Refixa cælo ſigna quo ritu volant,
Rapidamque flammam limite incenſo trahunt;
Saxum vel ingens vertice avulſum arduo,
Aut imbre victum turbido, annorum aut ſitu.
Celeri ruinâ fertur abruptè, & ſolo
Actu reſultat improbo, ſecum viros,
Armenta, ſtabula prævio involvens ſono;
Sic Imperator Teutonum mediis virûm
Turmis reclusis fertur, & vaſto impetu
Proculcat acies, terra quâ calido rubens
Flumine redundat, tela quâ ſtrident ſono
Expulſa denſo, voce ſignificans procùl
Vnum notari Conſulem, & ferro peti.
Mihi deſtinatur victima hæc, inquit; mea hæc
Vindicta cædis veriùs, cives, mea eſt.
Inhibete pugnam: crimen unius, manus
Refellet una. dixit, & vaſtâ gerens
Se mole, poſcit Conſulem ad pugnam: globi
Ceſsêre medii: Conſul intereà, incito
Equo, per acies cæde fumabat novâ,
Præ ſe cruentum limitem, & ſtrages agens.
Vt Regis autem nomen audivit; moras
Præcipitat omnes lætus oblato Duce.
Marmaricus illo more divexat leo
Pecudes minores ſanguine adſperſus jubas:
At ſi juvenci fortè mugitus procul
Audiit; omiſſo prœlio imbellis gregis,
Gaudet, comantes erigens collo toros,
Non indecoro pabulo expleri famem,
Majorque cervix regium in vulnus placet.
Et jam ſuorum dubia fortunæ Ducum
Et hæc, & illa muſſat eventu phalanx,
Omni duorum in arma converſo metu.
Spatio relicto campus à turbâ vacat:
Humeris juventus arma deponit, viros

Coiiſſe

Coïisse tantos cernere & ferro stupet.
Nec mora, citato spatia procursu vorant
Hinc Consul, illinc barbarus, quantus Noto
Decertat Aquilo, jura cùm repetunt maris.
Par ille scopulo prœlium missâ procul
Invadit hastâ, certa quæ celeri fugâ
Allapsa pinnas Consulis cono abstulit:
Nec parcit amens jurgiis. istæc priùs
Cape dona, dixit, sæve Mystarum metus:
Mox alia sumes. pube juvenili aureum
Diffibulatâ casside exsertans caput
Horrendum in armis intonat Ductor meus,
Cælumque lætus suspicit: Ductor Ducum,
Regumque Rector, inquit, en præsens ades,
Telumque nostrum dirige, & certam manum.
Non novus ad hoc certamen aut primus venis:
Vetus est leviscque ludus hic, Genitor, tuus,
Parvâ gigantes fundere ingentes manu,
Nullâ superbos. dixit: & rapto impetu
Hastam lacerto vibrat: horrisonas volat
Incita per auras, vulnus haud dubium ferens,
Per & coruscis asperam gemmis, per &
Auro trilicem missa loricam bibit
Altum cruorem, vita quà thalamum suum
Animæ recentis folle vitali fovet.
Exclamat acies hostium: Latiæ fremunt
Plausu cohortes: consonat latè locus:
Contremuit Albis: voce geminatâ nemus
Tonuit profundum: plausus ululatu fero
Mistus per auras volvitur dubio sono.
At hasta crate cordis exceptâ exiit
Tergo, & duabus egerit vitam viis.
Fugiente vitâ Ductor infelix equo
Labitur, & hastam Consuli moriens refert,
Et spolia victus ampla Victori suo:
Sonipes quòd odio bella vivaci gerit
Domitore cursus mortuo, quemque impetum
Sessore vivo ceperat, functo tenet,
Dominumque nimiâ prodit infidus fide.
Accurrit ipse protinus, Regem excipit,
Et jam ruentem sustinet Victor manu,
Placidæque mentis præbet exanimi fidem.
Ferro peremptum corpus hostiles manus
Auro reposcunt: Consul, adjectis super
Spoliis, remittit corpus, & pretium libens,
Et hostis ultrò funus exornat sui.
Attonitus hostis hæret, & facti din
Novitate pendet: mente dein victâ, fidem

Fortemque juxtà laudat, & mitem manum.
Adeunt, & ultrò fœdus, & pacem rogant,
Facilesque mores Marte damnato probant.
Sic ille sitiens sanguinis nostri tumor,
Studiisque cædis asper erasis abit
Odiis, & armis subdit exutas manus.
Sic quas cohortes sævus armârat furor,
Furore major auctor exarmat fides.
Sic sæva Crispus bella vincendo movet:
Sic bella Crispus mota parcendo premit.
Nunc tibi bicornis Rhenus immissus fluit,
Tiberine Ductor fluminum, Rector maris.
Ite per apertas Alpibus, cives, vias:
Gelidas Trionum libero cursu nives
Calcate: vestri juris est, quidquid mare
Vetitum subire fidus adstringit gelu.
IMP. Nisi cui videtur aliter ex vobis, Patres,
Gessisse rem videtur ex sententiâ
Consul. SEN. Videtur omnibus: sic Flavia
Æterna sit felicitas. IMP. Meritis pares
Quærimus honores. SEN. Reperies nullos pares:
Tamen triumphet. IMP. Hoc placet? ne sit suprà
Meritum. SEN. Triumphet. IMP. Studia moderari decet
Iuvenum. SEN. Triumphet. IMP. Roma quid si non probet?
SEN. Erret. triumphet. Roma si possit loqui,
Sensu hoc loquatur: Derogas quidquid tuis
Meritis, honori derogas, Cæsar, meo.
Nec, me quòd armis subditæ gentes pavent,
Fasces quòd horret Parthicum Albanos genus.
Cælo quòd æquas regio sumptu domos,
Rapidos & amnes plumbeos cursus doces,
Tam mihi decorum judico, quàm quòd vetus
Virtus & artes laude juvenescunt novâ,
Vestrâque senium prole revirescit meum.
Meruisse laurum pulcrius, Cæsar, fuit,
Quàm dare. Triumphi decora virtuti paras:
Cui, quod merenti redditur, serò datur.
Quidquid negatur Flaviis, Romæ negas;
Quæ se tuendam Flaviis ex quo dedit,
Virtute salvam, laude decoratam putat.
IMP. Si Roma poscit, idque si vobis sedet;
Nihil hinc retracto: cœpta respiciat Deus.
Cùm reteget Eos crastino mundum die,
Vectus triumpho & laureâ Crispus comas
Vmbratus Vrbe gemmeos currus agat,
Humerisque Romæ Tarpium scandat jugum.

Ornatus,

Ornetur altum columen, & pugnæ memor
Stet bellicosis arcus incisus notis.
At ipse gratus reducis ob nati pater
Rem bene peractam Virginis magnæ Patrem
Sobolemque supplex ture Panchæo colam.

CHORVS.

Virtutem nec honoribus egere, nec frangi adversis.

QVæsitis decoras quisquis honoribus
Mentes ingenuis laudibus inclytas
Laudandus studio, premis
Cœptum gratus inutile.
Virtus ætherii progenies Patris
Nativo rutilat sidere veriùs,
Castisque insita mentibus
Extra se nihil expetit.
Cælo nata fugâ nititur arduâ
Cælum sidereo tangere vertice,
Curru vecta volubili,
Flammis incita patriis:
Et jam stelliferis arcibus insidens
Infra se rapidis omnia fluctibus
Misceri videt, oriis
Felix ipsa facillimis.
Nec si quid tacitis laudibus arroges,
Externâ meliùs luce renideat:
Nec si quid malè derogas,
Damno deteriùs nitet.
Merset nocte licet lividus invidâ;
Ipsis è tenebris expediet caput,
Obscuroque diem situ
Ducet fraude superbior.
Est qui divitiis pectoris unicè
Gaudebit tacitus: nec sapientia
Primis aucta nitoribus,
Squalet deterioribus.
Laudem, si populi nil opis indigum
Secundis populus plausibus ambiat.
Si me sibilus exigat
Infestus; lateam libens
Clarus luce meâ: stet licet Attali
Fulgens exuviis alter, & aureæ
Vulgò filius audiat
Fortunæ, meritis minor.

Illum currus agat, quo Capitolii
Miratrix celebrat fama Quiritium.
Illum principis Vrbium
Inscribant patriæ patrem.
Non hunc Roma voces maxima nobilem,
Quem clarant foliis classica Deliis:
Hujus rectiùs occupat
Nomen, quem pudor indicat:
Cui currit sapiens vena benignior,
Quem stellis Pietas asserit aureis,
Quem virtute domesticâ
Dilectum Superis scias.
Huic taurum Phalaris admoveat licet,
Non umquam stabili demoveat gradu,
Vt pactam timidus fidem
Spreto Numine deserat.
Nil hac laude vides, Roma, frequentius,
Ex quo Christiadûm fidereum genus,
Vis interrita pectorum,
Cælum morte pacisci tur.
Ingens eloquio Principe cum sene
Paulus, vis animæ prodiga sanguinis
Princeps magna furentibus
Movit bella Neronibus.
Ex illo Pietas numine dextero
Pugnax difficiles explicat exitus
Inter sceptra potentium,
Inter fulmina Cæsarum.

ACTVS SECVNDVS.

SCENA PRIMA.

Senex Faustæ erga Crispum amorem refert.

SENEX FAVSTÆ MODERATOR. CHORVS.

SEN. Dici beatum quempiam verè vetat
Mortale nomen casibus vitæ objacens:
Nec cui ruinæ semper impẽdẽt minæ,
Expers timoris vita soliciti vacat.
CHO. Quos hic metus, quas narrat humanas vices?
SEN. Nihil esse certum constat: & constat nihil,
Hoc præter ipsum nempe. Sed si quam tamen
Virtute nixa spondet incertis fidem
Fortuna rebus; Flaviæ genti nego
Posthac verendos mobilis Regni exitus.
CHOR. Vtinam quod optas, Augur, evẽtus probet!

SEN.

SEN. Domum beatam: cujus invictas opes
Trabeata virtus laude numerosâ extulit,
Superis amica, Cæsarum numero potens:
Sagata fortis, ira si bello tumet:
Togata felix, arma si condit quies.
CHOR. Nihil hic noceri posse virtuti putat:
At ego inveniri posse non paucos reor,
Qui si nocere non queant, tentent tamen.
SEN. Vel hic rigentis terror, & felix puer
Pacator orbis, cuncta cui pronâ Deus
Dextrâ beatæ contulit vitæ bona,
Temere ruentes impetus, rerum & vices
Exclusit omnes. Ille, quod fieri puto
Posse, quia factum cerno, (quam summam reor
Numquam daturæ terga Fortunæ fidem)
Animum novercæ flexit in studium sui,
Primusque vinci novit officiis mala
Ingenia. Primus Herculem vicit vagum
Numero laborum: quippe post monstra Hercules
Exstincta sævæ spolia Iunoni dedit:
Post tot triumphos Crispus, & cædes feras,
Matrem in novercâ reperit, & sensus pios.
Ita, qui patebat vulneri tantùm locus,
Amor occupavit, strenuè expulso metu,
Matris noverca, filii mores probos
Privignus, acri mente sedatâ gerunt:
Merendo, connivendo, sorbendo omnia,
Durè obsequendo, cuncta moderatè regens
Vtriusque pietas nomen invisum exuit.
Quid hic volutet juvenis Augusti calor,
Qui nunc per urbes gentium exuvias vehit,
Arcana quando corde secreto premit
Consilia, seque mens in incerto tenet
Humana; non est proloqui promptum mihi.
Quid ipsa secum volvat Augusta, eloquar:
Quam nósse longo licuit ex usu probè.
CHOR. Humana rarò ingenia spectantur probè,
Muliebre numquam. Femina ingressus habet
Dubios, regressus invios, certum nihil.
SEN. Quod ante Crispum nemini credam datum,
Crispum noverca Fausta privignum piè
Amat, veretur, laudat, in cælo locat:
Impensiùs parente victori studet:
Adeoque rebus gaudet illius bonis,
Adeoque mœret rebus ejusdem malis;
Vt nemo, quamvis genere conjunctus, magis.
CHOR. Dolor, voluptas, gaudium, mœror, timor,
Et spes, ut æstus æquor, alternum cient
Animum:

Animum : ſed æſtus æquoris cauſſam vides ;
Animi æſtuantis cauſſa deprendi nequit.
SEN. Illius ergo facta præclarè frequens
Et bella forti geſta dilaudat manu.
Aut quantus haſtas ſpargat, aut quanto rotet
Fulmineus enſem turbine, ut ſternacem equum
Frangat, & in orbem flectat, ut rapido fugam
Glomerare greſſu cogat, & frenos pati ;
Tum quantus ora tollat, & celſos toros
Spectandus armis ; ſæpiùs multo tamen
Specimen decoris regii, inceſſum, ſtatum,
Geſtus, lepores, ingenî mites ſales,
Linguæ beatæ copiam, mores pios,
Sermone crebro mater uſurpat memor.
Amoris hæc indicia materni reor,
Et mentis argumenta pacatæ, bona
Vbique demirantis, & nulli invidæ.
Nam quæ favere ſponte privignis poteſt
Noverca Regno proximis merito & loco,
Et mater ipſa, liberûm & felix ſatu,
Et ſceptra geſtans ipſa regali manu,
Hanc eſſe mentis feminam excelſæ ſcias.
CHO. Pluſquam noverca diligit, quæ ſic flagrat :
Nec eam novercam nomines, quæ ſic amat.
SEN. Eſt in reductâ ſede penetralis torus,
Conclave tacitum, regiæ longis retro
Porticibus actus : ſqualet hic auro locus,
Luxuque dives barbaro thalamus nitet :
Monumenta, ſeries longa, ſtant veterum Ducum ;
Vndique vel ære, lapide vel ſpirant ſenes,
Quicumque bello nomen, aut nomen togâ
Peperere, magnum gentis Hectoreæ decus.
In his ad unguem Criſpus exactus nitet,
Sectoque juvenis candet elephanto decens.
Imitatur artus candicans veros ebur,
Et vivus ore certat efficto ſibi :
Flaveſcit auro crinis illuſus : genis
Lanugo vernat aurea : at colli nives
Fictor nitere paſſus in propriis bonis,
Humeros coruſcæ chlamydis injectu tegit :
Iuvenilis ardor igne ſimulato rubet,
Qualis ruberet ipſe, ſi pugnæ calor
Inficeret ora juvenis, aut mentis pudor.
Vultu pererrat omnis exſangui color,
Et gelida vivum corpus effigies refert.
Solamen ingens matris, & telum ſimul.
Hunc vacua poſtquam tetigit à curis locum ;
CHO. (Si vacua curis eſſe, quæ flagrat, poteſt.)

SEN.

SEN. Sine teſte tuti nacta taciturnam tori
Mater quietem, queritur abſentis moras,
Nimiumque ſegnes Marte longinquo manus:
Seu luce mundum pandat accedens dies,
Seu nocte mundum condat abſcedens jubar,
Vrget querelis mœſta cunctantis moras.
CHO. Mundo citato noctis & lucis vices
Iuſſo recurrunt ordine, & certo fluunt
Lapſu perennes lege, quâ juſſit Deus:
Sed ſtare querimur tempus ignarum moræ, &
Perennitatis incitum ſtabili fugâ;
Quod cupidus animus præripit, cùm quid cupit,
Numerumque cæli prævolat, cæli & moras,
Quas ipſe fingit, odit impatiens ſui.
SEN. Et bella ſæpe devovet, quorum metus
Sedare juſſus Vrbe defensâ caret;
Quam ſæpe fecit pacis immunis puer.
Nimiùm parentes hoſtium miſeræ forent,
Quotacumque pars accideret illius precis.
Vtcumque cordis ſaucii lentas faces
Dequeſta votis mater oneravit Deos;
Aut opere curas fallit, aut cantu diem:
Et nunc ſilenti plexiles ebori roſas
Opifex corollæ nectit, & caſtè oſcula
Iterata libat, matris ut ſenſus probes.
Nunc lenta fila ducit, & chlamydes acu
Inſignit aureas, ipſe quas victor gerat.
Hæc inter, aliqua carmen è cœtu integrans
Pediſſequarum, temperat plectro modos,
Numeroſque frangens voce bellantem vocat.
Ignem medullis interim Auguſta intimis,
Altumque ſenſum matris affectæ trahit.
Nunc adeò ſegnem lucis unius fugam
Abire queſta, mittit accitu pio
Qui vocet in ædes regias juvenem prium.
Eat ipſa, ſi permittat hodiernus dolor,
Et limen extra ferre ſi greſſum ſinat,
Qui ſubitus ægræ latere perſtricto incidit,
Et æſtuantem, ſeque verſantem anxiè, &
Gemitus trahentem feminam affixit toro:
Credo ut triumpho fœdet addictum diem,
Quâ lege ſemper noſtra contingunt bona;
Humana ne cui gaudia ad purum fluant.
CHO. Avertat omen regiæ cuſtos Deus:
Et hic, & omnes candidi currant dies.
SEN. Meo vocatu properet actutum rogat,
Et has amoris indices diſcat notas:
Vt expetitos reddat amplexus diu,

Capi-

Capitiſque cari oſtendat optatum jubar,
Quæ ſola ſupereſt cordis ægroti ſalus.
CHOR. Hac eſſe Fauſtam mente, lætari decet?
Hac & fuiſſe, rumor afflârat levis:
Hac & futuram, feminæ ſpondet fides.

SCENA SECVNDA.

Dum Criſpus accerſitur, Fauſta fidicinæ cantu recreatur.

EVNVCHVS. FIDICINA.

EVN. QVò, Domina, celerē proripis præceps pedē?
Reſiſte: ſubitos tempera, quæſo, impetus.
Inſana qualis Baſſaris Nyſæ jugis,
Gelidi vel Hæmi, ſequitur Evantum choros,
Euoë reclamans, Euoë, & thyrſos rotat;
Talis per aulam fertur attonito gradu,
Incerta cordis ſigna lymphati gerens.
Flammatus ore multus expirat vapor,
Ætnæus ignes qualis eructat Gigas,
Qualis triformis viſcera abſumens jugi
Liquidos Chimæra vortices flammæ evomit.
Procurrit, hæret, queritur, exundat, furor
Specimen per omne mentis incertæ natat.
Quò pondus iſtud verget inſtantis mali?
Excurrat aliquis qui viro cladem domus
Nuntiet, & hujus inſcium accerſat metus.
At ipſe tacitus verbà meditabor, quibus
Iuvenem ferocem regio juſſu alloquar,
Chlamydeſque pictas obvius reduci offeram
Oſtro rigentes, ipſa quas fidâ manu
Diſcrevit auro in craſtinam munus diem:
Quâ veſte fulgens urbe ſe mediâ ferat
Ingens triumpho, & pacis ingentis parens,
Romæque cuſtos, lucis optatæ puer
Patriæ & parenti reddat uſuram brevem.
Nunc aliqua veſtrûm verberans plectro chelym,
Ex more ſenſus excitet Fauſtæ pigros.
FID. Quæ te eruentæ gloriæ,
Quæ cura prœliorum
Cogit nivales aggeres
Calcare barbarorum?
Ah! nil memor Conſul tui,
Nihil memor tuorum.
Nec eſt paterna Regia
Quò pergis; at rigenti
Concreta tellus frigore,

Quâ

Quà ſibilant furenti
Alpina faxa turbine.
Ah! ne quid immerentem
Riphæa lædant flamina.
Florem virentis ævi
Triviſſe quæ dementia?
Et regna per Suëvi
Pellita rixas quærere?
Vt Martis arma ſævi
Vivo tepeſcant ſanguine!
Huc, Criſpe, curſus, avia
Huc verte ſigna Criſpe.
Quid regna vexas invia?
Inter jocoſa vina
Hîc feſta per convivia
Rixæ ſatis calebunt.

SCENA TERTIA.

Conſtantino Fauſtæ coniugis furor refertur. Is malè ominatur.

CONSTANTINVS IMPERATOR. NVNTIVS. CHORVS.

IMP. AGè: quæ labanti peſtis occultæ notæ
Vultu vagantur? NVNT. Pallet, igneſcit, color
Non unus errat: ſimilis attonito, modò
Exanimis albet vultus, amiſſas prior
Modò flamma vires reparat, & variâ vice
Fugat, & fugatur oris ingenuus rubor:
Tum ſæpe, tamquam ſperet, afflictam allevat
Mentem renidens ore: pòſt paullò, quaſi
Deſperet eadem, gaudio mœret brevi,
Et dubia cervix ore dejecto labat:
Addubitat, audet, ingemit, ridet, fremit:
Lacrymæ ſequuntur: ſpiritum ex alto citat:
Impunè verba fundit inſanus dolor;
Sine mente murmur vota taciturnum canit,
Nomenque patris, nomen, & nati vocat:
Plurimus in ore Criſpus: ad Criſpum redit
Alienus error mentis: in Criſpo ſedet,
Omnes & undas frangit ad Criſpum dolor.
IMP. Non dubia ſigna mentis emotæ canis.
Illò recurſat animus ejectus ſtatu,
Vbi vota ſanus ſæpe verſabat ſua.
Fauſtina Criſpum mente maternâ pium
Amplexa ſenſus priſtinos volvit furens.

Diurna

Diurna corde vota quæ vigili moves,
Nocturna reddit corde ſopito quies.
Quiſquámne lætis credulum rebus dabit
Animum? nec æſtu fluctuent quanto videt?
O vita fallax, fronte quàm blandâ tegis
Quantos tumultus! Nemini quidquam ſatis
Cautum eſt in horas: prima quæ vitet timor,
Quæ prima Numen ſupplices poſcant preces.
Nato rogabam Neſtoris genitor dies
Lætus triumphis: ægra nunc conjux novo
Terrore pavidum ſtringit ancipiti virum.
Timeo, nec ipſe video quod timeo: mei
Cauſſam timoris ipſa quæ miſcet metus
Præſaga mens ignorat: haud quid ſit ſcio.
Quæ cauſſa tantos concitat motus latens,
Olim hæc apricum nacta, nequaquam eſt levis.
Inſtat procella fœda, cùm vento tument
Tranquilla nullo maria. Regnator poli,
Et tu paterni Numinis vivax honor,
Qui nocte lucem, morte qui vitam ſeris,
Natos, parentes, regiam, quæſo, adſpice:
Et quod pavemus inſcii, tandem amove.
CHO. Omnia vereri providè, timidi eſt nimis:
Nihil vereri providè, ſtupidi eſt nimis.
Illum beatum judico, ſi quis pedem
Vtrimque referens ſede ſe mediâ tenet;
Nec cuncta ſemper anxius miſerè timet,
Nec diſſolutus mente nil umquam timet.
Hinc ille ſeſe Regis inſinuat metus,
Momenta rerum pondere expendens ſuo.
Nec auferendam credidit vento ratem
Nimiùm ſecundò. Sæpe nautas inſcios
Ad ſaxa torquet aura, quæ bellè vehit.
Cùm quid timendum deſit, hoc ipſum time.

SCENA QVARTA.

Criſpus redux feſto Romanorum plauſu excipitur. Gratias agit D. Virgini.

MILITVM MANIPVLI LVDIBVNDI.
CRISPVS CVM LICTORIBVS LAVREATIS.
CHORVS.

MIL. INgens Aſſaraci domus,
Antiquum Iaſii genus,
Verſo ſoſpes ab Ilio.
Buſtis Laomedontiis
Inſultent pecudes licet;

Cladi

Cladi magna rependitur
Merces, & pretium eſt ciuis;
Si, dum Troica Pergama
Ignis vaſtat Achaicus,
Illo ex igne nepotibus
Major Roma renaſcitur.
Nutrix optima Romuli,
Albâ mitior impiâ.
Vrbis qualia culmina
Creſcunt lacte tuo! Duces
Quantos prole novâ creas,
Divis Roma faventibus!
Quæſitam meritis parem
Famæ ſume ſuperbiam.
Te regnante nihil ſemel
Magnum terra videt, nihil
Amplum robore Cæſarum.
Priſcos enumerem Duces?
An mirer potiùs novos?
Cedant priſca recentibus.
Magnis orta parentibus
Proles major ab integro
Semper, Roma, tibi venit.
Antiquos memorent patres
Nati degeneres patrum:
Vel quos una domus viros
Edat Flavia maximi
Heres nominis adſpice.
Quem patri ſimilem dedit?
Quem nato ſimilem dabit
Numquam diſſimilis ſibi?
MIL. Romæ feſta dies eat:
Fulgent ſidera puriùs:
Frontem virgine Delia,
Proles Dardana, cingito;
Criſpo Conſule vicimus,
Criſpo vicimus auſpice:
Lentis otia feriis
Criſpo Conſule tranſeant.
Agros viſet & opida
Labens æthere Fauſtitas,
Gaudens tegmine candido.
Criſpo Conſule pax volat
Gangen inter & aureâ
Ripâ conſpicuum Tagum:
Et quâ Sole peruritur
Latè dives Arabia;
Et quâ pinguia paſcuis

Stringit rura Boryſthenes ;
Quâ Thetis vetat ultima
Terræ brachia porrigi.
Quidquid Sol oriens videt,
Cernit quidquid & occidens,
Criſpi perdomuit labor.
Criſpo Principe quis feræ
Motus horret Iberiæ ?
Quis, quæ vulnera dirigunt
Parthi, cùm ſimulant fugam ?
Quis, quæ ſpicula deſerunt
Nervos certa Cydonios ?
CRIS. Submitte faſces Lictor, & Romæ ſacros
Verere vultus : urbis adſpectum cole.
CHOR. Accurre Roma : Conſul en tandem tuus
Adeſt parentis Criſpus accitu redux.
CRIS. Optata tandem tecta, Romanas opes,
Limen paternæ ſedis, æquatas domos
Cælo Quiritum cerno. Salve gentium
Regina tellus, Imperî vertex ſacri
O cara ſalve Roma, quam tanti eſt mihi
Hoc capite tegere: tibi meum hoc ferrum ad latus,
Scis ipſa, ſemper militat: tu me facis
Avidum cruoris exteri, patriæ exſulem.
CHOR. Spectata memoras , columen ô Romæ inclytum.
CRIS. Adeſte cives undique, & læti meo
Pendete collo : fructus hic veſtri brevis.
CHOR. Invicte ſalve Criſpe poſt multos mihi
Remiſſe Soles : Criſpe, ſoliciti metus
Et ſpes ſodalis. CHOR. Moris antiqui vetus
Salve ſodalis : ſtudia prætextæ ſimul
Agitata, numquid pube primævâ vigent ?
CHOR. Senuêre, Criſpe. prima langueſcit citò
Puerilis ævi fama ſublabens ſitu.
CHOR. Túne ille Ductor, cujus adſpectum prece
Superos emaci Roma jam pridem rogat ?
CHO. Fortémne teneo dexteram ? video omnibus
Petita votis ora ? quando deſinent
Pro te timere ? nempe, ni talis fores,
Non inviderent hoſtibus cives ſuis.
CHOR. O multa ponto, multa longinquo ſolo
Perpeſſe Conſul ; patriæ ecquando tuæ
Frui licebit liberè, quo tam diu
Hoſtes fruuntur inter armorum ſonos ?
CHO. Aquilas Latinas horruit trepidus Scythes,
Horruit Alanus : fulmen expavit tuum
Metuens Canopus : dives & Ganges tuos

Didicit

Didicit triumphos, didicit, & dives Tagus.
Quacumque pontus aperit, & tellus viam,
Quacumque cursum pontus, & tellus negat,
Oenotria sequitur, Crispe, te virtus Ducem:
Te pace partâ nulla componit quies.
CHOR. Te bella tot diversa, te casus vagum
Egêre tanti: jura tu ferro tegis:
Tu pacis auctor, pace tu semper cares,
Sine fraude profugus, hospes externi soli,
Aliena consecutus, excluſus tuis.
CRIS. Mittantur ista, bella bellamus patris,
Auctore quo vel cadere præclarum est mihi.
Non quidquid Oriens virium, quidquid parit
Occiduus orbis, horream: denso sonet
Pulsata tellus equite: nudatis fremant
Acies in armis: Regna conspirent licet.
Iubeat; tonantis fulmen excipiam poli.
Iubeat; subibo turgidi ponti sinus,
Libycæque syrtis horridum intrabo fretum.
Iubeat; quod esse maximum reris malum,
Patriâ carebo miles externus patris.
Imperia patrum, auspicia natorum optima.
Virginis an aras cernimus? castæ juvat
Numen vereri Matris. acceptæ memor,
Miles, salutis redde votivâ prece
Meritos honores. CHOR. Finiat Virgo tuos
Opta labores. CRIS. Virgo quæ poscam docet,
Auctore dignas ipse concipiam preces.
Tuos pudores, Mater, & partus tuos,
Vtriusque gentes Solis auditos canant.
Per te reductus regnet in terris amor,
Per te pudor, per te decor, per te fides,
Per te voluptas casta, consensus pius:
Ferrum teratur ruris innocuâ manu:
Mites in usus falcis immites faber
Diffingat enses: alta pax urbes alat:
Pietas, honestas, amor inoffenso pede
Populos pererrent: sceptra violenta excidant:
Antiqua placeant jura: pellantur stupra,
Et prole simili sancta laudetur nurus.
Tua regna, Virgo, nil nisi sanctum decet.

Woodstock College.

SCENA QVINTA.

Constantinus Crispum victorem excipit, & ad Faustam mittit.

CONSTANTINVS IMP. CRISPVS.

IMP. HAnc fida, famulæ, turba, dum sese dolor
Paullùm remittat, regio invitam toro
Cohibete, nequid insolens peccet furor.
Refovete gelido latice tabentes genas:
Anhela flammis ora momento levi
Eventilatæ frigerent auræ undique.
Videóne cari capitis, & magnæ jubar
Regale mentis, frontis augustæ indolem?
Speciménne cerno Cæsaris? cerno toros
Humerosque magnos, nobilem & ferro manum?
Accede nate, junge complexus pios.
Diu cupitos adfer amplexus patri.
Exsurge, remove pedibus invictas manus:
Præcinge potiùs brachiis collum patris.
CRISP. O genitor exoptate tam cupidè mihi,
Vnica meorum summa votorum pater!
IMP. Vt te recepto gaudio pectus labat!
O quantus animis, qualis adspectu redis
Sidus Latini nominis, vindex togæ,
Tutela patris, robur & Romæ unicum!
CRISP. In te redundant ista, quæ memoras, pater.
Dum nostra laudas facta, commendas tua,
Laudes parantur cujus auspiciis meæ:
Aut si profundis prodigè tantùm decus;
Laudibus abundas, pace quod liceat tuâ.
IMP. Quæ digna tantæ dona virtuti rear
Æquè rependi? Roma non ipsa est satis:
Nec terra tantam, nate, virtutem capit;
Non quidquid ingens Nereus fluctu lavit;
Non quidquid ambit Solis æternus labor:
Sed ipsa virtus prima divitiis suis
Opulenta meritis æqua præclaris parat:
Tum rector orbis ipse virtutum parens
Patriis in astris luce decorabit novâ:
Tum fama terris fusa virtutum memor
Diuturna (si quid usquam in terris diu est)
Monumenta ab ipso cinere narrabit recens.
CRI. Placuisse tanto præmium est summum patri:
Huc quidquid addis, genitor, est votum citra.
Placeam; remittam sceptra terrarum libens.
Hanc nulla nobis auferet mentem dies.

Me-

Me vel propinqui pone ſub Solis rotis,
Vbi nulla campis arbor æſtivâ virens
Recreatur aurâ : pone quâ plauſtris domos
Indomitus agris Bructerus latis vehit :
Me nulla tellus, nulla degenerem dies
Arguet : ab ortu Zephyrus afflabit oriùs ;
Nabatheus Eurus divitem invadet Tagum ;
Albim Canopus, Sarmatæ Nilum bibent.
Tu digna quæris dona, quæ reddas mihi :
Ego jam recepi : munus hoc dignum puto,
Licuiſſe tanti juſſa genitoris ſequi.
Si das merenti dona virtuti pater ;
Iube, dediſti : juſſa pro donis puto.
Poſt juſſa ſi quid bella victori paras ;
Iterum jubendo bella victuro dabis.
Parere poſſum, debeo, exopto, ſcio,
Et liceat oro : ſumma non timeo aggredi,
Non ima tanti juſſa dedignor Ducis.
Si genitor es, permitte ; ſi dominus, jube,
Tuis ut ævum ſerviat ſceptris meum.
Quodcumque nomen ſuſtines, ſoleo & ſcio
Dominum, parentem, Cæſarem, Regem, Ducem
Timere, amare, colere, venerari, ſequi.
IMP. Lucis repertor aureæ, rerum parens,
Et tu paterni Numinis vindex Deus,
Romana nutu regna qui torques tuo :
Si prole tantâ ſceptra nituntur mea,
Numquam verebor ; cuncta conjurent licet
Trepido tumultu regna : non ſi Gadibus
Iungant remotis Memnonis Reges opes :
Non ſi Cheruſcos alteros Memphis trahat.
Hos, nate, mores, indolem hanc ſemper gere :
His nempe, Criſpe, moribus cælum patet.
Nunc ad vocantem confer Auguſtam pedem.
Optatus ille portus ærumnis ades.
Et te triumpho, & craſtinæ pompæ appara.

CHORVS

Criſpo felicia omnia vovet.

O Sator mundi, columenque præſens,
Chriſte, defenſi moderator orbis,
Sæcla qui ducis, ſtabiliſque rerum
Fine coërces.
Præſes, ô Regum, dominæque Romæ,
Flaviæ genti proprium precamur
Sidus hoc faxis, Iuvenemque magnæ
Laudis egentem.

Vivat hic mentis Iuvenis paternæ,
Hic puer ſeptem domitor trionum,
Ductor hic felix, Helènæque magnæ
Caſtus alumnus.
Vivat, & patris rapidum ſecutus
Cæſaris fulmen properet triumphos;
Perque non multis iter inſtitutum
Æquet honores.
Ceteris major, tibi Ductor impar,
Proferat toto ſua ſigna mundo,
Supplici victor placidus, frementes
Acer in hoſtes.
Auſter hàc nimbos glomerat ſonoros;
Tangat hoc armis latus; hàc coruſcâ
Divitem latè metuendus haſtâ
Turbet Hydaſpem.
Quaque concretum mare præliantes
Suſtinet turmas glacialis oræ,
Quaque Sol curru rediens propinquo
Inficit Indos.
Si quid eſt mundi generiſque noſtri
Terga poſt Calpes, fremitumque vaſtum
Nerei; ſiquid gemit æſtuoſo
Verbere ponti;
Viſat, huc felix Aquilamque ſævam
Criſpus attollat, dominoſque faſces:
Hîc ſimul Romæ, ſimul hîc ſalutis
Signa locentur.
Vt tuum terris memoretur iiſdem
Nomen, excerpſit puer unde laurum:
Nec magis Romæ tibi quàm tremendis
Fulminet armis.
Sed tuas artes puer antè laudet:
Æquus ut ſummis foveat minores,
Condito telo melior togati
Miles honeſti.
Monſtra non aulæ noceant bilinguis,
Livor & parcat puero immerenti,
Fervidæ bellante prior juventæ
Opprimat ignes.

AC-

ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

Criſpus à Fauſtâ fugiens, execratur ab eâ propoſitum ſcelus.

CRISPVS.

QVæ me nefando ſcelere contactum procùl
Rapido procella turbine abreptum auferet?
Tantúmne facinus hauſerim! tantum nefas
Prope me fuiſſe, criminis tantam luem!
Licet exſecrandi facinoris culpâ vacem,
Et aure durâ excluſerim infandas preces;
Licet impudicos ſolverim amplexus pavens,
Et fœda fugiam tecta; ſum fœdus tamen,
Quòd ſceleris aures pepulit invitas ſonus:
Quòd vix revelli corpori admotas manus:
Audere quòd quæ facinus infandum foret,
Audire ſum coactus. Vt tantum nefas
Elapſus evitaverim; hoc magnum eſt nefas
Tam propè fuiſſe: proximâ flagro face,
Ignarus, inſons, integer ſi ſum tamen.
Vt non perurat fulmen; afflatu nocet:
Vipera venena nulla ſuffundat licet;
Numquam per artus innocens errat tamen,
Quam pæne peſtem labis exhauſi miſer!
Horrore quatior, membra labeſiunt metu,
Attonitus horret animus, exſanguis tremo,
Quòd tam propinqui ſceleris accepi notas,
Pius eſſe dum volo. Summe regnator poli,
Hæc ſcelera lentus ſuſtines, lentus vides?
Ecquando trifidâ fulmen exſiliet face,
Si nunc ſereno nubilo cingis diem?
Per me rubenti dexterâ miſſum, Pater,
Tranſadige telum, pectus hoc igni crema,
Si dubia fulmen librat ambiguum manus.
Sum nocuus ipſe: vindices nubes tonent.
Placui novercæ. Meruit hoc torvus rigor?
Hoc efferati militis vultus truces?
Egóne pudendis dignus inceſtis? ego?
Materia facilis Criſpus? ô fruſtra pium,
Torvumque fruſtra filium! ô miſerum patrem!
O tecta mœſta regiæ! ô Phædræ quoque
Fauſtam pudendam! ô ſæculi monſtrum tui,
Femina noverca pejus! ô labem! ô luem!
Quas Roma Phædras, Roma quas Circes alis!

Quænam ista regio? Crispe, quin properè hinc fugis?
In pace bella, barbaros nactus domi?
Modò fortis inter arma, nec victus pudor,
In pace pænè dexteram victus dedit.
Meritus triumphos inter hostiles metus,
Pænè in paternâ lauream amisi domo,
Partamque palmam proeliis fregit quies.
Fuge, Crispe, patriæ, immò Circeæ domus
Otia, paternis exsul à regnis procul.
Vbi terror animos acuit, ubi Martem ciet
Clangor tubarum, fulgor ubi ferri micat.
Integer amoris hactenus fœdi pudor
Rigescat: armis pectoris partum decus
Retinebis armis. Roma, fugientem vide,
Quem non videret hostis. ô patria! ô pater!

SCENA SECVNDA.

Crispo fugiente, Eunuchus crimen in eum regerens turbam advocat, adest Constantinus Iunior Faustæ filius.

EVNVCHVS. CONSTANTINVS MINOR CONSVL.

EVN. FVgit sagittâ citiùs excussâ ferus:
Rapitur procellæ similis insanæ procul.
Tenemur, astu culpa Reginæ novo
Veletur ultrò: sola quæ supereſt via,
Scelus tegatur scelere. Cur segnis stupes?
Quid expeditum, & facile consilium diu
Torques? quid hæres? ferus est facti pudor.
Aude anime: vires recipe: meditatum scelus
Quà licet adurge: teste cùm facinus vacat,
In innocentem culpa transfertur benè.
Vltro retorque crimen: alienum nefas
Regeratur ipsi: tuta per fraudes via
Solet esse multis: sceleris is pœnas dabit,
Quemcumque sceleris tangit incepti pudor.
Capitale crimen esse finitum solet,
Non inchoatum: culpa quæ novit modum,
Secura rarò, tuta non umquam fuit.
Primi nocentes occupent, si quid cavent:
Impunitatem criminis crimen dabit.
Majora magnum scelera tutantur scelus.
Extrema meliùs vulnera audaces movent.
Tutò movetur, remedio cùm quid caret.
Adeste cives: ferte, populares, opem:

Accurre

Accurre Roma : facinus infandum, novum,
Insolitum, inausum, immane, truculentum, efferum:
Contaminatæ regiæ spolium rapit
Impurus, impudicus, incestus; stuprum
Castæ parenti natus egregius tulit.
Ipsam trementem, & turbidâ implicitam comâ,
Et advolutam genibus intento super
Violentus ense terret, & rapto piæ
Pudore matri spiritum miseræ eripit.
Currite : inhibete, spolia ne bina auferat
Vitæ & pudoris pariter : en præceps abit :
Abit impudicus raptor : en telum, en chlamys :
Pignora reliquit sceleris : ô cœnum ! ô lutum !
CONS. Quæ vox ad aures advolat? Lictor, gradum
Adde. Quis in Vrbe civicos miscet metus,
Spectante me, me Consule ? I. turbam amove :
Sentiat hic hodie contumax fasces meos.
EVN. An concitato Consul accurrit gradu ?
In tempore ipsa respicit miseros salus.
Succurre Consul regiæ : optatò advenis.
CONS. Satísne salvæ ? fare, quo res in loco est.
EVN. Obsessa, destituta, direpta est domus :
Vexata mater, genitor illusus, pudor
Ereptus, ægra regia, Imperii fides
Labefacta, sanctæ jura pietatis jacent.
Quod te per ipsa jura pietatis precor,
Per quidquid est mortalibus sancti uspiam,
Succurre : Romæ Cæsarem, Regem patri,
Natum parenti, consulem civi proba.
Paterna, Constantine, vindicta est tua :
Romana fasces scelera contingunt tuos.
Consul tuere patriam, natus patrem. (domi.
CONS. Sceleris quis auctor ? edoce. EVN. Discès
Iam perge, quæso ; perge, fer miseris opem :
Solare matrem, & morte de mediâ eripe.
Bene habet. revixti Fausta : par iræ venis
Livor minister : adjuvat natus furens
Sævæ furorem matris : invidiæ impetus
Odii est satelles : ipsa si cuperet salus,
Non hunc juvaret fraudis alienæ reum.
Orata caussâ est. noster hic pridem scelus,
Aliquod coquebat : sceleris invenit locum.
Invidia stimulis atra quem sævis fodit
Meritis minorem, desidi natum togæ,
Et oscitantem. Segnis hic numquam dies
Nobis abibit : matris æquales faci
Novi furores filii : jungunt opes
Amor, ira, livor : posse quid dicam sequi ?

Flammaſque, & enſes, & neces, & fulmina.
Matrem, novercam, feminam irritat dolor
Turpis repulſæ. vicimus victi Phryges.
Femina vel una ſceleris eſt omnis capax.
Quid læſa faciet fraude conceptâ triplex,
Matris, novercæ, feminæ? quidquid vocas
Matrem, novercam, feminam, monſtrum, luem,
Furiam; procellam, turbinem, Fauſtam vocas.
Nil levius illa: feminæ ut mores ſcias.
Libycæ procellæ obverterim naves priùs,
Aut ubi Malea corripit pontum ſequax,
Aut ubi Charybdis incitum longè ſalis
Æquor reſorbens vortice intorto vomit.
Iam ne quid æqui natus alienus ferat,
Satis movebat mater, & ſceptris manus
Aſſueta, matriſque animus impensè ſuos
Fovens, in alium ſponte naturæ imminens.
Quòd ſi novercam poſſe privigno putas
Benè velle cuiquam; poſſe per falſum quoque
Innare montes mobiles pontum putes.

SCENA TERTIA.

Fauſta manum Conſtantini quaſi læſæ pudicitiæ ſuæ vindicem in ſe armari poſtulat.

FAVSTA. CONSTANTINVS CONSVL. EVNVCHVS.

FAV. PErmitte mortẽ, nate. quid fruſtra es pius?
EVN. Res geritur intus magna: per fraudes gradus
Fit fraudis: ultro crimen inſonti parat:
Accincta ferro Fauſta diſtricto furit,
Quaſi certa lucis rumpere inviſæ moras.
Fletu rigantur ora ſimulato: decus
Turbatur omne frontis: abſciſſus jacet
Humeris amictus: vulneri pectus patet.
Ornatur omni fraus novercalis dolo.
Hæc me magiſtrum quæreret? docta eſt ſatis.
FAVS. Concede mortem, nate, ſi verè es pius.
Licuit pudicæ lucis uſurâ frui:
Pudore victo, cauſſa vivendi perit.
CONS. Ablatus, haud ereptus invitæ pudor
Facit impudicam, mater, indignam notam
Intaminatâ mente ne falsò indue.
Innocua vivas: exuas ferro manus.

Meliùs

Meliùs litabit crimini infando, ſcelus
Qui fecit, haud coacta quæ ſcelus eſt pati.
Arcete, famulæ, dexteram: mentem alleva
Mater; pudoris priſtini ſenſus voca.

SCENA QVARTA.

Conſtantinus iunior & invidiâ, & novâ matris illatâ, ut rebatur, iniuriâ; dira omnia adverſus Criſpum meditatur. Perſuadet ei Senator, ut iure priùs agat.

CONSTANTINVS IVNIOR CONSVL. SENATOR.

CON. ETjámne noſtris clarus exuviis eat
Laniſta fœdus? regiam inceſtis domum
Maculârit audax? jura mirmillo tori
Fœdârit? aulæ illuſerit? matrem, patrem,
Natos pudendâ labe turpârit, Duces
Romæ, nepotes Cæſarum, Divûm genus?
Quid niſi feroci militum fidit manu
Lixa impudicus? Hoſtium clades domi
Reponit? orbis regiam prædam ſui
Ducit furoris? diripi Romam placet?
Thalamos adiri, Cæſarum frangi toros?
De plebe ſtupra reſpui? Reges peti?
Et à Britanno reſpui, à ſervo peti?
Impunè ſcurra ſceptra divexet mea?
Regnis inultus ſpolia de noſtris ferat?
Animo ſupino ſorbeam tantum nefas?
Tam inſigne? tam palmare? rivalem patris?
Ludibria lixæ? pellicem matrem? notam
Generis? parentum dedecus? labem domus?
Servi triumphos? hoſtium riſus? luem
Regni? pudores regiæ? luctus meos?
Vt ſcurra tantum vulnus huic homini imprimat,
Invulneratus ipſe, ſecurus ſui,
Et ſe triumphis efferens? non, ſi Ducum
Sunt aliquid odia, tota fraternis minis
Vndique coactis gentibus tellus ſtrepat?
Sit patria pretium, cauſſa bellorum parens:
Præmia probantur, cauſſa nequaquam placet,
Sed occupetur. Roma commiſſas Ducum
Aquilas furentûm cernat; equitatu levi
Latina frangi prata, jactari faces,
Corruere ferro templa, conſtratum tegi

Sub

Sub ratibus æquor. quidquid immissis socer
Alpibus in urbem, quidquid invexit gener,
Vbi Roma mundi distrahi questa est opes,
Et se Philippis obrui, fratrum manus
Iterum reponant mutuis odiis : furor
Dabit arma, Roma præmium, caussam parens,
Orbis theatrum, injuriæ vires. Bonum
Immane Regnum est, clade sit partum licet.
Imperia pretio quolibet constant benè :
Auro æstimantur cetera, auro veneunt,
Romana ferro: ad regna per clades eas.
Manu gerenda sceptra rapiantur manu.
Diffidia fratrum bella fraterna explicent.
SEN. Te nulla fama ? CON. Fama privatos regat,
Libido Reges. SEN. Numinis nullus metus ?
Te nulla pietas, nullus absterret pudor ?
CON. Privata vitæ decora privatis canas :
Nos alia quædam Principes virtus decet.
SEN. Pietate patriæ regna retinentur benè.
CON. Timore meliùs. SEN. Sceptra violenti Ducis
Diuturna non sunt CON. Roma victores timet
Submissa bello. SEN. Roma victores amat
Pietate victâ. CON. Contigit cuivis amor :
Non nisi potenti terror. SEN. Invisum bonum,
Nec stabile Regnum terror infidus malè
Vi continebit. CON. Nempe cui friget manus :
Despectus ensis perfidos fidos facit.
SEN. Multos timebit ille, quem multi timent :
Et quos fideles reddit infensus metus,
Verè fideles esse ne falsò putes.
Pietate nata sceptra tutatur fides.
Commune Regnum laude privatâ sedet :
Commune nomen esse pietatem putes.
CON. Parere mavult, esse qui mavult pius.
SEN. Regnare non vult, esse qui invisus cupit.
CON. Regale nomen viribus pollet suis.
SEN. Populare tolle ; Regium nomen ruit.
CON. At divus urbe Cæsar oppressâ negat.
SEN. Vulneribus idem Cæsar exhaustus docet.
CON. Regno relicto posteris ; SEN. Vitâ hostibus.
CON. Perfunctus orbis Rege. SEN. Defūctus viro.
CON. Adeptus aras civium assensu pio :
SEN. Exutus aris lege meliori senum.
CON Invidia paucis parcit. SEN. In paucis habe,
Quos patria studio grata populari colit.
Sceleris sub ictum Roma fraterni duos
Duces, & acies urbis unius, dabit ?
Hæc ampla tecta, hoc culmen augustum Imperî,

Hanc

Hanc orbis arcem dirues ferro? potes
Delere mundi columen, hanc urbem potes?
Et antè perdes, rapere quas optas, opes?
Eruere vis, tenere quod regnum expetis?
Hæc quæ libido, patriam, ut fiat tua,
Nullam esse malle? quale tu bellum putas,
In quo precari Roma non vobis queat,
Nec imprecari quidpiam? Quid vos vocet?
Cives, an hostes, arma si sumi placet?
Hostes? at urbis arma Romani gerunt.
Cives? at armis patriam infestis petunt.
Vinces? dolebit Roma. vinceris? gemet.
Duces sequetur? ipsa prodetur salus.
Duces relinquet? ipsa prodetur fides.
An vota nuncupabit, ut Numen tibi
Faveat benignè? Roma sed Crispo studet.
Vt faveat illi? Roma sed debet tibi:
Vtrique? vires distrahi cernet suas.
Neutri? suorum clade mœrebit Ducum.
Sibi? sed esse grata vobiscum rogat.
Patri? sed ille publicæ caussæ favet.
Omnibus? at iras omnium exauget dolor.
Nullis? at orbis columen augustum occidet.
Et urbe nixa generis humani salus.
Occasus igitur generis humani placet,
Vt expietur Iuvenis unius scelus;
Et odia, fratris clade, saturentur tua?
Placare, quæso: spiritus frena truces.
Placare Constantine: pietati refer
Animum relictæ: siste præcipitem impetum:
Publica dolorem caussa privatum regat:
Cedat saluti civium proprius dolor.
Te Roma supplex, patria te mœrens rogat,
Te scelere tellus fessa, te mundi salus.
CON. Vt exsecrandi facinoris nullas ferat
Pœnas nefandus frater? ut semper feram
Dedecus inustum nomini? SEN. Pœnas dabit
Frater, nec uno vindice, aut uno die:
Ne metue: pœnas fraudis expendet graves;
Tantasque, quantis ira satietur tua.
Quicumque fraudum conscium mente m gerit,
Et impeditus scelere se testem pavet;
Iudex & index, tortor & noxæ reus,
Idem tribunal mentis horrescit suæ:
Salutis exspes, æger, afflictus, miser,
Omni pudore naufragam vitam exigit
Inter scelestæ mentis assiduos metus:
Non somnus illi, mensa non curas levat;

Non

Non veſtis auro, picta non gemmis rigens;
Non quæ tumultu tecta famulari ſtrepunt,
Vndaſque populi latera glomerantis vomunt:
Licet aſſeclarum ſepiant turmæ latus;
Licet arma circùm miles addenſet; poteſt
Forraſſe tutus eſſe, ſecurus nequit.
CON. Antiqua dicta trita ſapientûm ſcholis
Memores, ubi crimen ſceleris aſſueti modus
Terminat, & iram lentus exſtimulat dolor.
Inuſitata crimen inſolitum luant
Supplicia: ſummam pœna par culpam premat:
Vindicta magnis magna ſtatuatur reis.
Vexata mater, nomen illuſum patris,
Turpata ſpecies Imperî, & Regni decor,
Nimis eſt acerbum facinus: hoc ferrum, hoc faces,
Datus hoc viciſſim diluat fratrum cruor.
SEN. Si tanta frenos ira non ullos capit,
Nec tibi litare frater immunis poteſt;
Pœnas per omnes fraudis indignæ reus
Rapiatur unus: unus exſolvat ſcelus,
Qui fecit: armis frater abſiſte impiis;
Pia regna nullo ſcelere maculata obtine.
CON. Si bella ceſſent, ille cui pœnas dabit?
SEN. Matri, parenti, regiæ, Romæ, tibi.
CON. Quâ fraude captus, viribus victus quibus?
SEN. Se teſte captus, viribus victus fori.
Sunt ſancta legum jura, Romanum eſt forum:
Arbitria patris: exigat pœnas pater:
Maculæ paternæ patrius attingit dolor
Propriè parentem, & labis acceptæ pudor.
Patrium ad tribunal deferas cauſſam patris.
CON. Quid ſi paterni jura detrectet fori?
Pacata miles jura violentus ferat?
SEN. Si jura pacis miles irridet ferox,
Rapiantur arma. Militis miles nefas
Iuſſu parentis vindices, ultor patris.

SCENA QVINTA.

Artemius ſceleris famâ excitus, iuvare rem decernit.

ARTEMIVS CVM MILITIBVS.

TRepidus quis aures vulnerat rumor meas?
Criſpum pudore matris extorto fugâ
Quærere ſalutem? Criſpus hoc tantum nefas?
Haud ſimile veri eſt. Signifer ſignum ociùs.
Claſſes, cohortes, ferte, quò fertur, pedem.

Armis

Armis tegatur Iuvenis infelix piis.
Si vera culpa noxium adſpergit Ducem;
Nos deprecemur ore: ſi falſa eſt; manu.
Hac ſequere, properè miles, addenſa gradum.

SCENA SEXTA.

Eunuchus Conſtantinum iuniorem ſtimulat, ut Criſpi cædem urgeat. Suadet ut iudices ſeligat, qui corrumpi à ſe poſſint.

EVNVCHVS. CONSTANTINVS CONSVL.

EVN. NOn ego vetuſtis nomen à Ceris traho
Obſcurus heres: ſtirpe nec clarâ ſatus
Per ſceptra Regum mittor, & trabeas Ducum.
Si quæris ex nepote quem patrem patris
Tertius ab illo cenſeam; mihi non liquet.
Avos, & atavos, generis & quidquid retro
Veteris meorum eſt, natus ex ipſis minor
Adhuc requiro, laude nec gentis meâ
Novitas colorem ducit alienum decus:
Nec me parentum merita nec tituli efferunt;
Sed propria virtus, nata mecum ſcilicet,
Moritura mecum, genere qui turget ſuo,
Aliena jactat: ipſe poſtremæ notæ
Servile nomen, quidlibet fortis pati,
Simulare quidvis gnarus, & fraudum celer
Opifex, & omnis officî ad tempus capax,
Verſare curam callidus, mentem & vagam
Modò huc, modò illuc flectere inſtructam dolis;
Virtutis idem ſuaſor, & vultu tenus
Servire doctus tempori, & ſcelerum ſciens.
Quem ſtemma nullum, ſtigma ſed multum notat,
Præſens ſalutis dicor Auguſtæ Deus.
Hoc eſſe noſtræ pulcrius ſorti puto,
Claro tumentes genere Romanos Duces
Vel fraude vel virtute ſervari meâ;
Quàm ſi ſuperba ſceptra Pelopejæ domus,
Aut ab vetuſto nomen Aſſaraco geram.
Certè paventem crimen Auguſtam ſuum,
Et impudicæ mentis agitatam æſtibus,
Iam fluctuantem, & naufragam, & dubiæ ſpei,
Et mentis inopem, morte de mediâ dolo
Eripuit hujus dextra ſemiviri Phrygis.
Nunc mihi, quod unum reſtat, urgendũ eſt ſcelus,
Vt his laniſta, quando præcipiti in loco

Deſer-

Deſertus, ultro pronus ex alto imminet,
Prematur, incitetur, impulſus ruat.
Ne, ſi reſumptis viribus miles ferox,
Vt nutat, anceps figat in tuto gradum
Hoſti timendus: antequàm fixo pede
Premat, opprimatur. fraude qui crimen ſtruit
Prima antevertat tempora, & tutas moras,
Ne ſe retexat ipſe per ſpatium dolus.
CON. Benè habet: peractum eſt: ſceptra fundavi (mea:
Hæc una crines laureâ vincit dies.
Stabilémque pacis ſancit æternæ fidem.
Antehac inanes Cæſaris geſſi notas,
Vacuúmque nomen Regis, & partes Ducis
Sine Rege, ludus hoſtis, & Romæ ſimul.
Tandem laniſta fortis in noſtras manus
Venit, & armis venit excuſſis quidem.
O me beatum! ô Cæſarem! ô Agamemnonem!
Ducum ô Tyrannum, ô Conſulē, ô Regē, ô Deum!
Vix benè, quod intra pectus exundat, capit
Animus tumore gaudium elatus novo.
EVN. Supereffluentis gaudii ſenſu hic puer
Deſipit, & ardet æmulo afflicto inſolens:
Adibo, ne quid ebrii peccet calor
Præproperus. Orbis rector, Hectoreum genus,
Invicte ſalve Cæſar, & terror Ducum.
CON. Nunc terror, antè riſus, & lixæ jocus,
Magníque imago nominis. EVN. Virtus diu
Latere preſſa major invidiâ nequit.
Merſes profundo, pulchrior ſolito emicat;
Lucteris, ipſis ducit ex damnis opes.
Facinus feroces impetus primos habet;
Idem ſeneſcit facilè, ceu flammæ vapor:
Virtutis eſſe robur invictum ſolet,
Et nocte promit majus ac majus decus.
Tandem laniſtæ ceſſit immanis furor?
Tandem reſedit? dexteram tandem dedit
Invidia? téque Roma meliorem colit?
Conſilia Regum ſcire ſi ſervos decet;
Quo genere pœnæ ſpiritum impurum exſpuit
Mirmillo fœdus? ſceleris an pœnas dedit?
CON. Dabit parenti judici. EVN. Nondū dedit?
Actum eſt; parenti judici numquam dabit.
CON. At mox aperto judicum & legum foro
Intendet ipſe judicis fulmen pater.
EVN. Mitis ſevero judici obſiſtit pater:
Parentem eundem & judicem nemo volet,
Qui jure noxam perſecui læſus volet.
CON. Senſum parentis hoſtis oppreſſit dolor,

Per

Per gemina qui nunc scelera crudescit rei:
Qui militari pube glomeratus pedem
Intulit in urbem scelere geminato impius,
Læso pudore matris, & regno patris.
EVN. Ne, Cæsar, erres: ira languescit citò:
Patriæque mentis detumet positus furor.
Vel has severi judicis lentas moras
In scelere tanto, post truces Regis minas,
Redeuntis esse signa pietatis reor.
Per ista sese effugia dispergit dolor,
Natura cùm recurrit: has quærit vias,
Vbi se receptat pectus ad mores pios.
Optat severi nomen, irati fugit.
Si vera quæris; corda paullatim labant,
Et ipse sese tractus extenuat tumor
Per mitiora verba: cùm justas dolor
Vires remittit, læsus ad mores redit.
Quid si per omnes vita virtutum gradus
Traducta nato mitiget sævum patrem?
Si quæ per ipsos judices errat rei
Gratia recurset civium studio potens?
Species honorum? tertiis jam fascibus
Notatus annus? pérque natorum indoles
Acti curules? nobiles ferro manus?
Gloria triumphis nixa, terrarum favor?
Domitæ secundis prœliis gentes feræ?
Crispo Senatus deditus? Romæ fides
Spectata, victor miles adjunctus Duci?
Præsidia plebis, vota populorum omnium?
Quid si, quod aiunt esse facturam, prece
Crispi, paternum pectus expugnet soror?
Quid si nepotis avia propugnet caput
Helene precando? & filium flectat parens?
Aviæ querelas spernis? an blandas preces?
Ego nec gemellæ. Supplices quantum potes
Helenas ab aulâ submove. arcenda est soror
Præcipua: mœstæ squalor ob sexum miser,
Ob orbitatem justus, ob caussam pius,
Ob dignitatem blandus, ob sensum efficax,
Quamvis rigentis pectus infringet patris:
Ad genua supplex procidet; fundet comas;
Imbri rubentes eluet falso genas;
Meditata crebro verba singultu exprimet;
Denique gemellum gemina servabit soror;
Orbata, destituta, solitaria,
Miseranda virgo flere primavo decens.
Si ferrea sui pectora, casta præsertim, rogat;
Expugnat, illam machinam prudens cave.

CON. Profare, quónam præstrui possit modo
Aditus gemellæ supplici ad mitem patrem.
EVN. Consilia velox præripe, & primas moras.
CON. Iudicia properē jussa, dum longè est soror?
EVN. Præstiterit: absit dummodò judex pater.
Pugnes id unum. jura nec laudans fori
Aulæ resolvat. ipse decernat domi,
Dum fervet irâ pectus: hoc Regem decet.
Si crimen aulæ jure populari insequi
Volet, patronus esse ne caussæ velit.
Rem mandet aliis: absit. hoc pulchrum est patri.
Sin ipse quæstor, ipse moderator fori
Pater esse gestit; proximus supereſt labor.
Demens quid autē hæc disputo? hoc verò est nihil,
Servile tantas res nec ingenium capit.
CON. Expone quid sit, quod premis. EVN. Nugas ago.
CON. Effare, ne te cogat admotus dolor.
EVN. Nullo dolore nostra cogenda est fides.
Quamquàm prematur meliùs hoc; dicam tamen.
Ipsum ambiendum nempe consilium puto,
Et assidentes judici ornandos senes;
Ne quâ forensi gratiâ floret reus;
Cuniculis attentet occultis forum.
Quod provideri convenit: ne, quos pater
Caussæ advocârit arbitros, testes tui
Dedecoris ille reddat urbanus favor.
Nec temere tantam transigi caussam decet.
Accensa studia plebis in Crispum vides,
Procerum, Senatus, gentium, Romæ, patris.
CON. Tu quos vocari judices tutum putas?
EVN. Res ipsa loquitur. ipse quos fidos putes.
Nattas, Stalenos, assecias veteres avi. (cros?
CON. Reliquos forenses vultures, Gracchos, Ma-
EVN. Fabiósque, Brassicásque, Bulbósque allegas:
Qui si palato durius responderint;
Adsperge guttam: nil erit conditius.

CHORVS

Optat ut falsa sit fama de scelere Crispi.

Famæ descriptio.

VTinam falso jactata metu
Pennata volet fama satelles,
Auctor inanis sæpè tumultus,
Sæpè tumultus nuntia veri.
Quæ luce sedens, & nocte sedens
Turrita super culmina Regum,

Mille

Mille per artus vigiles pandit
Oculos, totidem ſubrigit aures
Anxia cuſtos; primæque auceps
Auræ tenues legit afflatus;
Mox ambiguo dubitata ſono
Serit incerti verba ſuſurri;
Inde capaces fuſa per aures
Vulgi, celeres explicat alas;
Duplicánſque metus creſcit eundo
Inter terras, inter & aſtra
Lapſa volatu trajicit urbes,
Gravis exoriens rumore levi,
Levis emoriens rumore gravi.
Quidquid & alter prodidit auctor,
Quiddam auditis leuis affingens;
Hoc multiplici voce remiſſum,
Alter pronas narrat ad aures.
Credita vulgo verba bibaci
Manant porrò ſparſa per orbem,
Quibus acceſſit credulus auctor
Alter, & alter. Sic magna vides
Flumina parvis fontibus orta
Margine ripæ vix poſſe premi.
Hic, qui Romæ famulare fretum
Præbet, & ingens regit Oceanum,
Nabilis amnis maris expertas
Sæpè procellas ſuſtinet alnos;
Vbi Roma ſuum ſuſtinet orbem.
At quà ſacri caput erumpit
Fluminis, undæ tenuis lapſus
Graciles, quivis accola fontis
Puer audebit tranſire pedes:
Vbi germano devius Arno
Omine linquit meliore jugum
Sacra viſurus regna Quirini.
Nondum niveo fonte Clitumni,
Non ſulphureo Nare ſuperbit:
Nondum montes terebrans ipſos
Fabaris rigidis cærulus undis
Temperat, iras dedoctus, aquas.
Longè faſtis damnata fluit
Allia; longè flumen Himellæ:
Abit & longè gelidus rivus,
Quem depreſſas per convalles
Et per campi culta volutum
Rugoſa gelu Mandela bibit.
Non Albuneæ ſede relictâ
Præceps Anio vehit ingenti

Mole tributum, gravitérque furit
Ire ſecundus.
Vtinam falſo terrore fidem
Perdat inanis fama ſuſurri,
Fictúmque ſcelus concidat aulæ;
Vel uterque vacet crimine tanto,
Vel vacet alter. Sed, ſpero, vacant;
Aut opto. Sed lubrica res eſt
Femina: res eſt cerea primo
Sanguine florens militis ætas.
Rarò pulchris forma pudica eſt.
Rarò caſta eſt femina dives.
Quòd ſi flexit forma novercam;
Si te vicit, Criſpe, voluptas;
Propè ſolicitor dicere, nullos
Fortes, nullas eſſe pudicas.
Cepit Criſpi forma novercam;
Nomine nullo femina tuta eſt.
Placuit Criſpo forma novercæ;
Nulli credas, Roma, feroci.

ACTVS QVARTVS.

SCENA I.

Nuntius miſſus, ut Criſpum accerſat, refert, quomodo ex filio & Fauſtâ Criſpi crimen intellexerit Conſtantinus.

NVNTIVS. CHORVS.

NVN. O Dura ſemper jura famulatus mei!
Nã cur acerbi nuntius caſus legor?
O Criſpe, Criſpe. CHO. Fare, quid portas novi?
NVN. Hanccine parenti gratiam, has laudes refers?
Hic eſt triumphis ille decretus dies?
Perière mores: exſulat terris fides:
Res fama vilis; regnat immanis furor:
Afflicta foedè jura pietatis jacent.
CHO. Quod quereris, ede: graviùs incertos tenes.
NVN. Verbo docebo. Criſpus invictus cadit.
CHO. O Romæ amores ſemper infauſtos, breves!
Heu, heu! quid auſus juvenis infelix cadet?
Quis ergo forti ſpiritum invictum rapit?
NVN. Qui Regna violens calcat, & Reges, Amor:
Victrix libido nobilem fregit Ducem.

CHO.

CHO. Audita narras: fama vulgârat nefas
Indigna forti: cladis enarra modum.
NVN. Pater Syenes jura Legatis dabat
Procerum coronâ ſeptus, & Regna ultimi
Frenabat orbis legibus, quæ marginem
Vtraque refundens ſubmovet ſummam Thetys:
Minor, ecce, Conſul ora violenta efferens,
Et ſpecimen irâ turgidi, quiddam patri
Tacitas in aures voce ſubmiſsâ ſonat.
Cæſar Senatu tecta dimiſſo petit
Protinus; & omni teſte ſecluſo ſubit
Quà limen aditus pandit arcani fores
Tergo relictas. Fauſta turbatis comis
Occurrit ægra, lividas fletu genas
Humecta: qualem fama poſt raptum ſtuprum
Raptoris enſe narrat armatam manu
Lucretiam occurriſſe morituram viro:
Ad genua Regis accidit; mœſtos humi
Defigit oculos; ora ſingultu ſonant:
Vix verba rumpit pauca magnanimus pudor,
Sed plura corde ſupprimit fixus dolor:
Per priſca, quæſo, jura conſortis tori
(Ne noſtra dicam, fecit hodiernum ſcelus)
Magnanime Conſtantine; per caſtam fidem
Dum licuit, inquit, morte teſtandam piâ,
Per ſpem nepotum prole ſurgentem tuâ,
Per liberorum, quæſo, nunc certam indolem,
Per ſi quid umquam dulce de nobis fuit,
Exſolve curis; luce me invisâ exue:
Permitte mortem: caſta, dum licuit, fui.
Peperi; nec ullo ſcelere maculavi torum;
Pignora pudicæ mentis huic aulæ dedi:
Nunc Fauſta, Conſtantine, non illa eſt prior.
Natura retro verſa mutavit vices:
Permiſta ſoboles, ſanguis ambiguus, fides
Incerta, conjux dubia: nunc certi nihil,
Niſi Fauſta pellex filii, ſcortum viri.
Quod te per iſtam dexteram, & ſceptrum Imperî,
Miſerere, quæſo, conjugis quondam tuæ.
Sceleris pudendâ labe conſperſum torum
Meo cruore diluam. Cæſar, ſinas:
Dum Fauſta certâ prole diſtinguit virum,
Dum te parentem liberi appellant tui,
Nec dum nepotes Fauſta progignit viro,
Ambigua mater: ſevoca incertum genus,
Fœdúmque nomen expia impuræ domus.
Hæc fata tacuit. plura taciturnus pudor
Exſequitur. ora fletus vbertim rigat.

Cauſſam pudoris orat elinguis dolor :
Humor perorat ſalſus ex oculis fluens.
Profertur enſis pignus ; effertur chlamys :
Immane certis arguunt factum notis.
CHO. Quî mente tantum vulnus Auguſtus tulit?
NVNT. Horrore primo quatitur: exſanguis ſtetit.
Vt ſe recepit, Summe prô, dixit, Pater,
Fandi & nefandi teſtis, & vindex gravis ;
Quæ ſcelera vindex fulmen exſtinguet tuum,
Niſi fulminandum facinus infandum hoc putas ?
Quæ monſtra cerno ? hoc unde portentum domus?
Hæc unde fœdi generis erupit lues ?
Foris pudicus miles, impurus domi?
Mihi te reſervas? rigidus hic ille eſt pudor,
Hæc illa vultus caſta majeſtas trucis?
Thalamos parentis? Ite, funeſtum caput
Attrahite: ſævi ſentiat ſceptrum patris,
Qui exempla caſti negligit: ferro cadat
Immane monſtrum, dedecus mœſtæ domus.
Tu verò fidei ſpecimen antiquæ novum,
Tu ſocia thalami vive; nec mentem ſacram
Æqui tenacem nobili de corpore
Expelle: vive ſæculi exemplum tui.
Dixerat: & irem protinus nutu mihi
Significat, huc ut ſceleris accerſam reum :
Qui ſi furenti, cardine in tanto, patri
Paruerit armis aſper, & victor ferox;
Pius eſt: & urbi parcit; & patrem colit.
At ſi parentis juſſa detrectat ferus ;
Nec ille patri, Roma, nec parcet tibi.
Omnia tumultu cerno miſceri novo,
Et orbitates civium, & Romæ faces ;
Et vaſtitates gentium, atque incendia.
En, ipſe Cæſar exit: ad Criſpum advolo.

SCENA SECVNDA.

Conſtantinus ſolus de Criſpi flagitio queritur.

CONSTANTINVS IMPERATOR.

ABſcede teſtis, arbitro ſedes vacet :
Mecum ipſe lamentabor ærumnas meas.
Certè hic querelis aptus eſt noſtris locus.
Quæ prima? deinde? ſumma quæ fletu ſequar ?
Quid fiet ergo? cuius infelix pater
Arbitria pœnæ, facinoris quanti reum
Quem verſat urna ! flector, heu, flector miſer :

Et

Et rigidus ille languet infractus dolor,
Qui memet iterum reddit, & flammas alit
Vetat furoris. Crispe, quò patrem rapis?
Quò me resorbet pristini sensus calor?
Quamquam severus pectora obstrinxit rigor,
Et te cruentas poscit ad pœnas reum;
Pietas rebellat: ira decedit loco,
Et jam refracta turgidas ponit minas,
Paterque totus judice ejecto redit.
Egóne ut tuorum, Crispe, meritorum memor,
Tuo cruore taminem patrias manus?
Sit justa quamvis pœna, crudelis potest
Tamen videri: dedecet certè patrem,
Et te meorum, Crispe, votorum modò
Mensura felix. Crispe, quò patrem vocas?
O sors acerba! judicem nato patrem,
Natum parenti judici statuis reum?
Hæc una potior visa ludendi via?
Et cùm superbo sceptra calcares pede,
Erat hac petendus Cæsar? hoc tantùm patet?
Quem vulnerares feceram certè locum
Alibi: abstineres sæva vel saltem hinc manus.
Quidquid renascens, quidquid emoriens dies
Collustrat, orbe quidquid immenso jacet,
Mihi servit uni: quidlibet ferias, meum
Est vulnus: uni perditur, quidquid perit.
Vbique telis Cæsar occurrit tuis.
Quodcumque tanges, Cæsarem tanges: patet
Vni, quod vni paret: hanc urbem, has opes,
Hæc Regna latè fusa per mundi plagas
Mea membra feci: lædè quodcumque hinc libet,
Mea membra lædis; omnium clades mea est.
Quin mihi sit idem, nullus est usquam miser.
Quoscumque luctus commoves, nostros moves.
Cur potiùs vnâ hæc sæva grassaris viâ?
Hac parte clades aggredi mundi libet?
Hîc ego vererer? memet hàc opponerem!
Hæc ego rogabam sospiti Numen tibi,
Cùm vota pro te, Crispe, narrarem Deo?
Sic tibi cavebam, capite dum vitam meo
Tuam paciscor? Dixit irridens Deus:
Hunc ipsè perdes: debet hic luctum tibi,
Tu funus illi: solus est hostis patri
Filius, & hostis filio solus pater.
Non hunc timebunt gentium uxores, tua
Vereatur uxor. Filium de tot pater
Vnum cavebis hostibus: cuius pudor
Thalamis pepercit barbaris, idem, ruens

Amore, thalamis parcet haudquaquam tuis.
Huic tu timere desinas, ipsum time.
O vita mendax! frontis ô fallax honor!
O certa numquam mentis occultæ fides!
Tantum parentis dedecus, tantum nefas,
Nati premebat tristis in vultu rigor?
Et oris ille flexus ad tempus decor?
Sensus in alto conditi verè latent.
Aliud putato, quàm quod in speciem nitet.
Pudor decoræ frontis est fraudis color:
Fallítque, si quid cernitur: tectorium,
Decipere qui vult, illinit menti prius.
Hic ille simplex munditijs, castus, rudis,
Virgineus, illibatus, intactus, sacer?
Ille, ille Regum barbarorum matribus
Tanto petitus ambitu? tanto mihi
Semper negatus ambitu? felix pater
Modò visus, & beatus, & voti modus
Vnius humeris maximè innixus, ferar
Felicitatis ludicrum exemplum levis?
Erit ut theatris syrma spectetur meum?
Fabula nepotum Cæsar infelix ero?
Et te Tragœdus, Crispe, plorabit reum,
Et me parentem judicem? dicar pater
Mactasse natum? Crispe, dicēris patrem
Mersisse luctu? cladis infandæ, efferæ,
Thyeste dignæ, & Atreo, (ô Superûm fidem!)
Documenta Constantinus & Crispus dabunt?
Hic torvus, efferatus, ingenui tenax
Semper pudoris: ille legitimis toris
Difficilis, asper, durus, alienus, fugax?
Ideo maritas integer sprevit faces,
Vt impudici luxus erraret vagus?
Connubia castis lege concessa abnuit,
Vt in parentem missus immanis furor
Arcana, formidata naturæ sacra
Temeraret audax? summe prô rerum sator!
In hæc facinora labis infandæ pudor
Simulatus ibat? ibat in thalamos patris?
Hoc instruebat facinus incestus furor?
Heu! rabior æstu rursus, & justas dolor
Vires resumit, inque vindictæ impetum
Iudex revolvor sævus excluso patre.
Moriatur, istic quidquid appellas ferum
Prius ipse fecit. verius durum voces
Id qui patravit; cæde, quod debet, luit:
Non qui sceleatos cæde tollendos putat.
Si patris animum judices tantùm gerant,

Vires nec acres exferant mites patres ;
Omnia licebunt improbis : tantum nefas
Si nunc inultum hinc auferat tantus reus ;
E plebe quivis linquet intactum nihil.
Majora ſcelera ſemper accerſit minus.
Quæ facinus incrementa tam tetrum dabis ?
Punita creſcit noxa ramosâ lue :
Quid faciet impunita? vix umquam ſcelus
Solet eſſe ſterile: culpa majorem minor
Procreat: & illam parturit, dum illam parit.

SCENA III.

Nuntiatur Conſtantino Criſpum cum armato milite urbem ingredi. Quare magis exacerbatur.

NVNTIVS. CONSTANTINVS IMP.

NVN. AVguſte, dum tu queſtibus vanis diem
Incendis amens, tempus & fletu teris;
Violens in armis alter horriſonum intonat,
Et ſe per urbem milite inſtructo invehit :
Illo profectò, cujus exciſum manu
Penetrale Regni nuper Arctoi jacet,
Fremit arma miles, arma: denſatis frequens
Acies maniplis urbe concuſsâ ruit :
Aquilâque motâ ſignifer pubem rapit.
Fulminat in urbe Criſpus, & ferro imminens
Curſu citato victor excidium ſacræ
Minitatur aulæ: tota quem raptis cohors
Adglomerat armis, noxium & pœnæ Ducem
Eximere ferro certa diſtricto volat.
Adſpicis inerti pulvere ut cælum ſtetit ?
Et nube cæcâ tremulus inſerpit dies ?
Hoſtilis ille fulgor, infeſtus nitor,
Auguror: & illa ſanguinem nubes vehit.
Defende, Cæſar, urbis occaſum tuæ :
Tetrímque facinus Regis oppoſitu impedi.
In te ſuprema, Cæſar, incumbit ſalus :
In te Latinus ora converſus refert :
Tibi Roma inermis ſuoplices tendit manus,
Suoſque cives mœſta commendat tibi.
IMP. Scelus hoc anhelat impudens? tantum nefas:
His gradibus aulæ regimen affectat ſacræ ?
Modò decorem matris inceſtus tulit :
Nunc parricidas admovet patri manus ?
Sic ſcelera finit? Regna poſt ſtupra appetit:

Iam culpa crescit: ingruit cœptum nefas,
Et se per auctus facinus irritat suos.
Quid nisi Megeræ noxium hunc vexant suæ?
Nihil hîc moramur: omnis in tuto est dolor.
Nequitia nempe hunc prona præcipitem incitat.
Nequit reprendi. morte sananda est lues.
Huc arma miles, arma confestim, patris
Excede pietas: occidat; non est meus.
Ego te, nefande.

SCENA QVARTA.

Milites Crispi edicto Præfecti urbis, & ipsius Crispi iussu inviti ad castra redeunt. Ipse solus in urbe remanet. Accersit Helenam aviam & sororem.

CRISPVS. ARTEMIVS. MILITES. PRÆFECTVS VRBIS.

CRISP. Siste: processum est satis.
Hactenus in urbe progredi armato licet:
Vlteriùs arma ferre, capitale est scelus.
Ne, quæso, caussam miles officio ingrava.
Prodesse dum conaris, imprudens noces,
Studioque peccas. siste, ne stantem urgeas.
Hic reditus hostis esse, non civis, solet.
Nullo paterno scelere revocamur domum,
Nostro redimus. verte jam, quæso, pedem:
Refer arma retro. Natus ad patrem vocor,
Qui fraude nullâ tangor: affinem pater
Culpæ putabit, ire si ulteriùs libet.
Amica cernis cuncta: suspectus patri
Inimica cuncta reddis. ART. In tanto tuam
Turbine salutem, quæso, versari finam?
Ducem Tribunus deseram? quem per nives
Gelidas, per amnes frigore æterno pigros,
Per & diremptas Nereo toto plagas,
Mundi & per omnem cardinem pridem sequor,
Patriæ, parentum, liberûm, vitæ immemor?
Sic inter acres nostra terrores tibi
Perspecta virtus? certa sic nota est fides,
Inter labores, inter ærumnas viæ,
Inter faces, intérque cæsorum aggeres?
An me supremis rebus adjungi nefas
Socium putasti? militis damnas manum,
Fidem an Tribuni? rursus explores licet.
Vtrumque laudas? utere & noto, & tuo.

Tanta

Tantæ ut procellæ ſolus objectes caput ?
Stat ferre tecum quidquid eſt iſtuc rei.
Aut, niſi recuſas, antecedentem ſequar:
Aut, ſi recuſas, antecedentem vide.
Fidem requirunt proſpera, adverſa exigunt.
CRISP. Expertus iſta teſtor, ô fidum caput:
In rebus arctis cognitam Artemî fidem,
Veſtráſque laudo, milites, fidas manus,
Fortésque juxtà: multa, quæ poſſim exſequi,
Documenta veſtræ laudis in memori ſedent
Animo, nec illa tempus abolebit fugax.
Sed iſta, miles, ſtudia nec præſens dies,
Nec res, nec uſus poſtulat: quidquid tibi
Pro me times, vel ſerò vel fruſtra times.
Sed ſpero fruſtra: Cæſar accerſit domum;
Pater eſt & idem; Cæſarem obſervo, patrem
Colo: vereri mitte: quos fingis metus ?
Aut me tuentur jura naturæ ſacra
Apud parentem; miles & fruſtra times:
Aut non tuentur; miles & fruſtra tegis.
Pietas inermis eſſe ſecurum jubet:
Armata vix eſt tuta, nec culpâ vacat.
Quid me timendum facitis armatum patri ?
Quid mihi timendum facitis inſonti patrem ?
In patris hoſtes arma diſtringi decet,
Non in parentem. Si pater cauſſæ favet;
Nolo timere: ſi pater cauſſæ nocet;
Nolo timeri natus & miles patris.
PRÆ. Scelus in propinquo flagrat: armorum ſonus
Perſtringit aures. Regis horreſco minas
Ardua jubentis: filij horreſco manus
Effera parantis: proximum cerno nefas,
Niſi diſtinetur: omen avertat Deus.
Attonitus animus grande præſagit malum.
Ibo, & furori primus opponam caput.
Stabo inter arma: filio edictum patris
Effabor auctor pacis, atque auctor necis.
Si juſſa patris audiet natus pius;
Romæ quod inſtat primus arcebo ſcelus:
Si facinus urget impium; primus cadam.

EDICTVM.

QVicumque Criſpi miles obvallas latus,
Audi quod orbis Rector edici jubet.
Niſi juſſa Criſpo caſtra deſerto petis,
Armatus urbe ni citum exportas pedem,
Imperia poſt audita confeſtim; loco
Habebit hoſtis ipſe qui Cæſar jubet.

Exigua

Exigua noxæ fuerit & fraudi mora
Nec audienti: capite plectetur reus,
Quicumque Crispi milites obvallat latus.
Te nunc jubente, Consul, appello patre,
Vt, militari pube dimissâ, illico
Sine fraude præstoleris ad Græcostasim.
Lictor sequatur Consulem ad Græcostasim.
Natus parentem, Cæsarem miles time.
Gravia esse Regum sceptra spretorum solent.
CRI. Nihil insolenter admones miles Duci.
Natus parenti paret, ut semper, piè:
Hæc arma vobis militant. patri hoc refer.
PRÆ. Sapitis. Valete. CRI. Rector ô Superûm,
Summo in periclo militem insontẽ, Pater: (adspice
Et tu salutis una desertæ adspice
Cortina Virgo. Castra confestim pete,
Pater æqua poscit, miles; & cauſſæ stude.
Per ego labores, quæso, communes, per &
Officia belli mutua, alternam & fidem
Te, miles, oro: castra nunc tandem pete.
Nunc perge, quæso, nostra si curæ est salus.
MIL. Duce destituto? ART. Facere quid tandem
paras? (subis!
CRI. Quid? obsequamur. ART. Aleam quantam
Nil deinde sentis? CRI. Prome quid tandẽ horreas.
ART. Nihil. Quid autem tutius Regis minis,
Odiis novercæ, tempore in summo putem?
CRI. An vindicandum reris hoc armis caput?
An à parente reris? an Romæ Duce?
ART. Si reliqua te præsidia destituant; reor.
CRI. At arma mitti Cæsar actutum jubet;
Non abnuendum: genitor hoc ipsum monet;
Obtemperandum. Cæsari nolle obsequi
Iusta imperanti, crimen est; patri, scelus.
ART. Nempe hoc differtè, juvenis infelix, palàm
Edisseri vis: capitis ad cauſſam ruis.
CRI. Peccasse si convincar, expendam scelus.
ART. Laurum vt cupresso mutet infandus dies?
CRI. Vtramque frondem sæpe victores ferunt.
ART. Vereor novercam; patris horresco impetus:
Ne Fausta Phædram, Theseum referat pater.
CRI. Non sumus Athenis: Gnossium non est genus.
ART. Vbi cæcus ardor feminam insanam rapit;
Hîc sunt Athenæ, hîc Gnossus, hîc Phædra, hîc
furor.
Animum timeri feminæ, haud patriam, decet:
Mala mens timendam feminam, haud sedes, facit.
CRI. Vt me noverca perditum indignè velit,

Major

Major novercâ perditum nolet pater.
Redire pietas, vnde diſceſſit, ſolet.
A patre pietas abfuit numquam meo:
Pio in parente robur eſt cauſſæ ſitum.
ART. Illo in parente, cujus irarum tumor
Violentus armis exuit noſtras manus.
CRI. Licet ira ſenſus volvat immanis truces;
Diuturnus eſſe ſenſus hic rarò ſolet.
Animis parentum filij rarò excidunt:
Pietas recurſat, ira miteſcit, patrem
Natura prodit; ardor occultæ facis
Exſiſtit ultro corde labefacto pius.
ART. Quid ſi novercæ dedidit ſeſe pater?
CRI. Si ſe novercæ tradidit totum pater;
Cedam furori, tempori cedam: ſcelus
Feciſſe quod videbor, indignè luam,
Integer & inſons, ſceleris alieni reus.
Turpis videri malo, quàm patri impius.
Quidvis ſequatur; arma me numquam tegent.
Non exprimenda viribus noſtra eſt ſalus.
Precariò exigentur accepti dies,
Si precibus ullus reſtat inſontis locus.
Vtinam hîc adeſſet avia moderatrix meæ
Helene juventæ! precibus ad natum parens
Aliquid nepoti proforet. Tibur tenet
Aviam & ſororem cladis ignaras domus:
Quò Sympheruſæ memoriam, & ſedem ſacram,
Septemque juxta filios matrem ſitos
Ex more celebrat, optat & templo locum,
Cineréſque ſanctos colligit. Tu ſi meæ
Studes ſaluti, (plurimùm ut certè ſtudes)
Optime ſodalis; brevia per compendia
Nuntius ad illam provola, & cauſſam edoce,
Indicia noſtræ mentis hæc illi adferens.
Excurre, propera, nube dum fœdâ niger
Hic pendet imber: tempore utamur dato.
Aviæ & ſororis redde conſpectum mihi.
Nihil his receptis triſte decernet pater.
ART. Auxilia lenta quæris in ſummis malis.
Quòd ſi paternus noſtra prævertat furor
Conſilia; ſummæ fecimus jactum. CRI. Moræ
Nectentur omnes: quatenus forti licet,
Lacrymis agetur; eximam fletu diem:
Omne aucupabor tempus, vt cauſſam integram
Helenis reſervē. ART. Criſpe, quàm metuo ut tibi
Quidquam in ſupremo tempore hic proſit labor!
CRI. Malè ominari parce: nunc gremio in tuo
Meam ſalutem condidi: quamquam patre

Iudice

Iudice timere dedecet natum pium.
Nomine quid illo mitius? judex, pater.
Aquilam revelle, signifer: gressum hinc retro
Converte, pubes fida, quò Cæsar jubet:
Pax rebus esto; nostra sat tuta est salus.
MIL. Non nostra, Ductor, nota sat Romæ est fides
Te sic relicto. CRI. Roma, quod laudet, videt,
Vbi, ne quis armis terror oriatur novus,
Consulere inermi cernit armatos sibi.
Quod teste patriâ quæris, hoc verum est decus.
Quæ tela, ne paveret hostiles manus,
Dedit, hac reposcit, civium vt motus premat.
Patriæ hoc remittes, miles; hoc Romæ dabis.
Cives in hostes cujus armavit salus,
Nunc hoste victo militem exarmat quies.
Vtrumque Romæ ceditur: ne, si aspero
Ferro abstinere nesciat miles ferox,
Probet illa fortem militem, civem improbet.
Nunc perge, quæso, non vacat vanis diem
Conterere verbis: rumpe suspectas moras.
Officia magnum magna conciliant malum.
MIL. O terror hostis! fidus ô clarum togæ!
Magis utinam audax, sanctus aut esses mirùs!
Forsan timerent, Crispe, qui te non amant.
CRI. Deprensa, Crispe, pinus haud dubiè tua
Iactatur undis: errat instabili æstuans
Commissa ligno tenuis & fragilis salus,
Per cæca saxa vecta, per syrtes truces.
Excutere: non est vanus hoc cælo metus:
Te recipe, Crispe: propius & majus tumet
Metu periclum. fervet iratum mare,
Et mole vastâ funditus fluctus cier.
Nec solitus horror incubat fessæ rati,
Vbi si quis error consili lumen premat;
Aut si relicto flectuet clavo pavens
Animo magister; condat & cæli jubar;
Iactura summæ fiat. In nubem coit
Terrificus aër: ignibus cælum micat:
Geminusque crebris ictibus puppim polus
Attonat adempto Sole: jam stridet nigro
Æquore procella: mugit insanis Notis
Congressus Aquilo: turbo contorquet salum:
Occidua regna Zephyrus, Orientem movet
Nabatheus Eurus: Auster & Cauri fretum
Emoliuntur: unda par cælo imminet:
Imbres & aër miscet & pontus suos.
At puppis omni decore populato natat
Instabilis æstus inter, & cæli minas,

Con-

Convulsa, destituta subducto die :
Integra nec illi vela, nec tonsæ manent:
Costæ fatiscunt: remige & nudum est latus :
Saucius & Austro malus: antennæ gemunt.
Nil ratio summis suggerit cedens malis ;
Nil usus audet: omnis officio stupet
Navita relicto: cladibus tantis darent
Lacrymas vel hostes: ludus exitium est meum.
Lucis repertor aureæ, mentis jubar,
Sub quo recurrunt arbitro rerum vices,
Cui famula Regi floreum subdit caput
Baccata circùm terra frondosis jugis,
Quem signa picti lucida observant poli,
Ventosa vasti Regna quem ponti pavent;
Et tu salutis ara, tu cæli lepor,
Tu lucis almæ mater, & mundi decor,
Rege fluctuantem, mater, & tandem tuum
Numen serena. magna siut quamvis mala ;
Leviter feremus viribus freti tuis.
O Fausta! Fausta! lictor ad Græcostasim.

SCENA QVINTA.

Ablavius aulæ Helenæ Augustæ Præfectus, venit Crispo reditum gratulaturus eius casum ex civibus intelligit.

ABLAVIVS. CHORVS.

ABLAV. TIbure relicto, Consulum notũ genus,
Ablavius aulæ præses,& custos piæ
Helenæ propinquus, proximum Crispo caput,
Romam revertor. caussa remeandi fuit
Gratari amico, cujus auspicijs fero
Domitus duello Rhenus Ausoniam novis
Cumulat triumphis. Iuvenis ut magni juvat
Audire sorti Regna contundi manu !
Ducis ut decoras fronde victrici comas
Vigere semper lætor, & famæ decus !
Libet interesse plausibus Romæ: libet
Cernere triumphos Cæsarum. At mœsto silent
Taciturna luctu cuncta. cur tanto undique
Nunc influente gaudio, non quo solet
Vultu triumphis Roma gratatur suis ?
An luctus, an tumultus insignem diem
Infecit urbis ? civium ex illo grege
Scitabor. illi, quidquid est, nunc invicem
Tacito susurro mussitant. Caussam edite,

Cives,

Cives, silentî : noster ex bello redux
Ecquid triumphat Crispus? CHO. Heu, quantas mo-
Romæ querelas, Ablavi ! Crispus tuus, (ves
(Heu vulnus aviæ!) Crispus, (heu sævum piæ
Vulnus sororis !) Crispus (infelix soror !)
ABL. Meliora superi ! vivit ? an quod horreo?
CHO. Quos modò triumphis extulit, luctu obruit;
Partamque bello lauream abjecit domi.
ABL. Quid Dux adortus casus? CHO. En ipsos me-
Tangis. juventæ fregit ad syrtes miser : (tus
Nobile voluptas pectus afflavit Ducis.
ABL. Si corda juvenûm flammat ætatis vapor ;
Damnum pudoris esse, non vitæ, solet :
Laudemque reperit sæpe juvenili pudor
Veniâ relictus, flore dum primo viget
Sanguis, juventæ multa donari solent.
Iuvenile crimen exigat quisquam nece ?
CHO. In juvene Crispo crimen exigitur nece.
Non lege solitâ glisci in Crispo calor.
ABL. Quâ lege tandem? CHO. Lege, quam suasit fu-
ABL. Nil in supremis adfuit virtus malis (ror.
Ævi prioris ? CHO. Vnus interdum dies
Effundit, ætas tota quod rarò parit.
ABL. Nil obita tellus, nil Ducis victoriis
Lustratus orbis : ipse nil toties apex
Defensus armis, Roma nil humeris rei
Suffulta prodest? CHO. Est ubi hoc ipsum nocet.
ABL. Nil ipse causam genitor invidiæ elevat ?
CHO. Immò, quod ipse tute mireris magis,
Ipse actor, ipse est quæstor, & judex pater.
ABL. Quæ monstra narras ? CHO. Errat in summo
Ita fertur : hæc in vulgus & rumor ferit. (nefas.
ABL. Quid Roma ? CHO. Mussat. ABL. Iuvene de-
serto ? CHO. Duci
Auxilia fida patris abducunt minæ ;
Aditusque prohibent mortis oppositi metu
Plebem, Senatum, milites, aulam, duces.
ABL. Quid ipse miles ? CHO. Facinus indignû fre-
Minitatur urbi : fulgurat ferro : scelus (mit :
Defenset armis, ipse ni Crispus vetet.
ABL. Quæ vice parentis Fausta privigno studet,
Patrocinatur ipsa nil tandem reo ?
Quò recidit ille mirus Augustæ calor ?
CHO. Hic scopulus: hic Euripus: hàc fregit ratem.
ABL. At, ô nitentis astra qui torques poli,
Et picta mundi frena molitis manu,
Hoc ille tantum facinus, hoc ausus nefas ?
Prô prisca virtus! Crispus hoc tantum scelus ?

Quæ

Quæ monſtra ! quæ portenta ! quam ſæcli luem !
Veros, an aures hauriunt falſos ſonos ?
CHOR. Tu ſi quid audes, Ablavi, queſtu diem
Eximere differ : ſatius afflictis opem eſt
Adferre rebus, uſus ut præſens monet.
Aude : quid autem tempus hortetur vides.
Aliquid movebis. cùm quid in ſummo eſt loco,
Si nil potes ſperare, deſperes nihil.
Officia certè, ſera ſint quamvis, juvant.
Conare ſaltem. Criſpus ad Græcoſtaſim
Abire juſſus patris imperium manet.
ABL. Anceps timore, vota quò vergant, feror ;
Tenuique filo quidquid oſtendunt ſpei
Suſpenſa librant irriti eventus metu.
Quid agis ? reſiſtis, anime ? nimirum hoc nefas
Credi recuſat, abrogat ſceleri fidem
Vis magna ſceleris, notus, & Criſpi pudor.
Non omne pectus omnis eſt culpæ ferax.
In tanta rarò probra degenerant bona
Ingenia. fraudum ſummà per fraudum gradus
Venit. repentè nemo ſic ſummè eſt nocens.
Ipſa quoque numeris noxa ſuccreſcit ſuis.
Malis ſupremum quidquid eſt, imum fuit.
Non iſta juvenis vita, non virtus erat.
Abſolvo Criſpum. verte nunc aliò dolor :
Scrutare Fauſtam : Cæſarum ſpecta gregem,
Multâ & novercæ prole ſuffultam domum.
Regno imminentis livor, amor, odium bonos
Stravêre multos : ſæpiùs livor nocet.
Aliquid odoror : aliquis hic errat dolus.
Nihil explicatur : præter hoc unum, probum
Animum novercæ, & feminæ rarò dari,
Facilius adimi. vereor hîc Phædræ faces.
Quendam recordor feminæ adjunctum Phrygem
Emaſculatum, callidum, aſtutum, vafrum.
Sat eſt : cubile hoc fraudis, hanc arcem petam.
Nunc, anime, remet advoca : ingenio eſt opus.

CHORVS.

Privatæ vitæ laudes.

TEne Romuleæ rei
Sidus, & cuſtos Ducum,
Terror, & votum breve,
Vaſta terrarum gravi
Regna quaſſantem manu ;
Téne Dardaniæ togæ

Iura fundantem, & citò
Summa ſcandentem gradu,
Culmine è tanto, patris
Sternet ad planum dolor
Criminum vindex atrox?
Quémque tot ſeptum globis
Militum & Regum modò
Roma poſcebat Ducem,
Nunc tot exutum globis
Militum & Regum fori
Vrna depoſcit reum?
Credat hoc quiſquam? dies
Vnus has laudes (vices
Mobiles rerum vide)
Vnus exſtinguet dies?
Amor heu Romæ fugax!
Gentium heu votum leve!
Fulgor ah magni, nimis
Citus oblati ſimul,
Simul ablati Ducis!
Fulmen arcanum, & Dei
Summa momento brevi
Regna vertentem manum,
Quiſquis es felix, time.
Me juvat fragili rate
Proximum litus ſequi.
Antequam Zephyri leves
Lina deſtituant, legam.
Vota non facio irrita.
Regna plebejo magis
Tuta ſunt, ſplendent minùs.
Illa contingant; nihil
Amplius poſco: benè eſt,
Si, quod eſt, vitæ eſt ſatis.
Animus Regem facit,
Non opes. Regnum hoc ſibi
Quiſque dat. non tanti emo
Splendidum nomen bonæ
Indigum pacis. domi
Modicus vivit ſibi
Vnicè notus: foris
Dives, ignotus ſibi,
Nobilis paucis eget.
Alta præſtatur quies
Rebus obſcuris. habet
Ille plus vitæ, hic viæ.
Divites vulgò aureos,
Splendidos inopes voces.

Rebus humanis color
Additus rarò manet;
Regiæ numquam. fugâ
Cuncta præcipiti rapit
Solis obliquus labor,
Citiùs regnum. tamen
Ludit incautos placens
Illitus regno decor
Brevis, & rarò ſuus.
Purpuræ fallax honor
Inſtar æſtivæ roſæ
Defluit; ſpinæ ſedent.

ACTVS QVINTVS.

SCENA PRIMA.

Conſtantinus Criſpi cauſam iudicibus committit, à quibus ille condemnatus mortem lubens oppetit; Choro miſerandam eius cataſtrophen deplorante.

CONSTANTINVS IMP. CRISPVS. PRÆFECTVS VRBIS CVM IVDICIBVS. CHORVS.

IMP. QVem præſidere rebus humanis Deus
Iuſſit, & ad arces civium accerſit ſalus,
Partes in omnes ſemper intentũ addecet
Verſare curas: ſumma ne rerum efferat
Animum inſolentem. Dulciùs, quàm rectiùs,
Populi ſecundo jure laxatur pudor.
Æqualis eſſe quiſquis in cives poteſt,
Hunc eſſe ſummum civium meritò decet.
Eximius eſſe jure cùm Regni cupis;
Non diſſoluto jure civili velis,
Inſigne Regni mente privatâ ferens.
Nil gemma peccet: temerè decernat nihil
Anulus, in alios aſper, in quoſdam levis.
Hoc ſtemma frontis lucidum, has regni inſulas
Dedêre cives civibus rarò bonis,
Sæpè meliores. Vrbium Regnum datur,
Non oritur. Omnes jure naturæ ſumus
Æqui, ſed æquos populus exſortes facit:
Et patria, non natura, gemmatum dedit
Diadema fronti, mente quod gratâ feram.

Hâc lege regnes rectiùs, quâ naſcimur.
Populare munus jure populari geras.
Si mihi liceret arbitro curas meas
Componere & quò vela, quò venti ferunt,
Dirigere curſum ; teſte nec mundo domum,
Conſilia, mores, & fidem, & vitam, & genus,
Romæ probarem; poſſes, infelix puer,
Vti licenter moribus quondam tuis :
Quò te libido traheret, hàc ires: licèt
Impunè ferret multa ſpectatus pudor ;
Aliquid juventæ, nonnihil precibus darem :
Fortuna quædam, multa privati domus
Occuleret: ipſe multa donarem libens,
Haud durus, haud injuſtus, haud triſtis pater.
Nunc alia regni ratio: nunc tecti nihil :
Expoſita cuncta: noſtra præſtanda eſt fides :
Præſtanda vita. Lege nunc peccat meâ,
Vbique quidquid peccat humanum genus.
Patet omnis aula: Flaviæ exemplum domus
Commune jus, commune documentum putant :
Vnius inſtituta terrarum vocant :
Pro voce leges, jura pro juſſis habent :
Et in theatrum gentium prodit Ducum
Conclave: quidquid celat hoc, omnes vident.
Conditio dura Regis: en, omnes regit,
Et regitur ipſe gentium nutu omnium.
Qui dominus, idem ſervus eſt terræ ſimul.
Hâc lege quiſquam ſceptra terrarum ambiat ?
Hoc imperare dicitur? Regnum hoc vocant?
Quis credat? ipſi pluribus parent Duces,
Quàm populus: uni ſervit hic, illi omnibus.
Nunc me magiſtrum laudis, haud fraudis ducem,
Decet eſſe: ne me Rege permiſſum ſcelus
Putet eſſe quiſquam. Regis oppoſitu nefas
Arcebo: ſit quodcumque, cujuſvis, ubi
Libet ; una juris æquitas, par omnibus
Conditio fuerit: omne diſcrimen procul
In vindicandâ fraude ſeponam, ſacer,
Integer: in omnes juris æquati rigor
Servetur aulæ: auctore me nemo nocens
Erit, aut inultus criminum me vindice.
Per ſtemma juro hoc capitis, hoc ſceptrum Imperij
Hæc aſtra teſtor, teque dominorum metus,
Qui Regna terræ, Regna qui cæli moves
Arbiter, & æquâ cuncta moderaris manu :
Culpam ſequetur pœna, ſit quamvis potens
Reus. Vigore Regiæ, Regnum ſedet :
Hoc diſſoluto, clade cum Regum labat.

At tu nec æqui juris, infelix, memor,
Pudore tu peſſumdato Regni immemor,
Oblitus aulæ, juris humani, tui,
Mei, decoris Regii, tantum, miſer,
Scelus induiſti, patre me, me Cæſare,
Quantum nec ipſæ barbaro cultu efferæ
Gentes, & omnis juris ignaræ, ferant ?
Miſerande nate, ſceptra quò patris trahis ?
Heu! verba corde fixus expromit dolor :
Vix (heu!) dolorem voce cunctanti ſequor :
Ambiguus animi, certus arbitrii feror :
Et huc & illuc jactor alternâ vice.
Agè nunc, pudicæ nulla te quando domus
Exempla tangunt, cura nec Regni levem
Nec cura juris ulla Regalis tenet ;
Reus illa patere ſceptra, quæ fœdas nocens.
Iudice parente cauſſa dicenda eſt tibi,
Meliore cauſſa turpior numquam foro
Audita terris. ſpolia tu Regni priùs
Exue; nec aulæ decora funeſtes reus.
CRI. Pater. IMP. Parentem quem vocas ? non eſt pater
Hic parricidis. CRI. Cæſar. IMP. An, quæſo, leve
Nomen putaſti Cæſaris? ne erres. grave
Eſt perduelli. CRI. Domine. IMP. Si vivo, brevi
Vim vocis hujus ſenties. CRI. Iudex. IMP. Sapis.
Temporibus aptum nomen appellas tuis.
Tamen hinc querelas amputa, quas non vacat
Audire: cauſſam dicito. CRI. Non hîc, pater,
Agitare natum convenit cauſſam. domi
Cognoſce crimen: pauca pro cauſſâ priùs
Tecum à forenſi luce ſeducto domum,
Cum patre natus, ſervus ad Regem loquar.
IMP. Tu limen illud ingredi, tu illos lares
Audebis? hîc expone, ſi cauſſam doces.
CRI. Domi parentes liberûm cauſſam audiunt.
IMP. Quid ad parentem provocas? non ſum pater.
CRI. Certè fuiſti: quidquid eſt hoc, quod foras
Enuntiare dedecet; tangit priùs
Nomen parentis. IMP. Verba nequidquam ſeris.
Reus es. memineris temporis, cauſſæ, tui.
Quid blanda fruſtra verba meditaris reus ?
CRI. Si patris aures denegas; præbe arbitri.
Sunt pauca quædam, judicem quæ te decent,
Præſtruere pauca cogito cauſſæ reus.
IMP. Præſtruere nempe judici tentas patrem.
Video quid agites, machinator facinorum :
Quid me deceret, antè proviſum eſt probè.

Iudicia tu disponito: ne erres diu.
CRI. Per ego parentis nomen. IMP. Illusum priùs.
CRI. Te per verendum Cæsaris nomen precor,
Commune cunctis. IMP. Ergo ne proprium putes.
CRI. Per sacra legũ jura. IMP. Quæ blandâ prece
Præmollienda, quisquis est justus, negat.
CRI. Per sceptra cunctis sacra. IMP. Quæ solus facis
Profana, solus omnium audaciſſimus.
CRI. Fidei per istud pignus, invictam manum.
IMP. Quam Roma nunc implorat, & terræ exteræ,
Ne me improborum fraude superari sinat.
Desiste tandem. verba meliorum audio:
Non ambiendum est precibus occultis forum.
CRI. Rectè monebas, genitor: occultâ prece
Non erat agendum: supplicem videat forum.
Quis se videri supplicem nolit patris,
Quem famula tellus, Roma quem supplex colit?
IMP. Prohibete, famuli, juvenis accessum improbi:
Removete castis pedibus impuras manus:
Imperia discat spreta nunc demum pati.
CRI. Concede parvam rebus extremis moram:
Moriturus illud, genitor, ut summùm precor,
Largire lucis munus unius breve.
IMP. Diffugia quæris: fraudibus tempus petis.
CRI. Quas, oro, fraudes tempus exiguum instruat?
IMP. Omnes. quid istis moribus sacrum putem?
In rebus arctis tempus est nullum breve.
Miseris malísque nullus est tutus locus.
CRI. Si postulati quæritur causſa, est soror.
Mœstæ sororis ultimum affatum rogo:
Officia cujus summa permitti solent.
Diu cupitæ redde conspectum, precor:
Breve munus, æquum. facile, concessum omnibus.
Fratrem sorori redde moriturum, pater:
Cernat labores fratris extremos soror.
IMP. Te cernat illa nominis nostri luem?
Arcenda si spectaret indignum genus.
An blanda tentas bella naturæ, vafer,
Præsidia causſæ? patris hos sensus moves?
An instruendis spatia quæruntur dolis?
Dum bellicosâ pube stipatus, patris
Decreta, Romæ jussa, rescindas manu?
Subsidia pacis illa, non sceleris, putes.
Quid spes inanes corde decepto foves?
An tibi favere militem speras meum?
Meus est: & orbis ille fortunæ favet:
A me laborum præmia, à me munera,
Et decora pacis, miles exspectat meus.

Me

Me ſcelere inultum nolet oneratum tuo.
CRI. Iudicia nemo ſubita laudavit, pater.
IMP. Iudicia tanti ſubita tu ſceleris vocas,
Supplicia cùm ſint ſera? poſt tantum domus
Dedecus, & aulæ vulnus, & Romæ metus;
Accepta poſt tot damna, poſt tantam luem,
Iudex violentus videor, an lentus pater?
O fraudis architectus! ô terræ pudor!
CRI. Teſtor paternum nomen, & Regis fidem,
Iudicia magnæ ſubita properantur rei.
Ego, ſi ſupremas filii excludis preces,
Nil moror: & æquum patris, & Regis ſacrum
Veniam ad tribunal, lege quâ, Cæſar, jubes.
IMP. Immò profectò lege quâ cogi ſolet
Sacer & ſceleſtus. CRI. Mente quâ natum decet.
Nam quæ premenda eſt cauſſa, vulgari hanc palàm,
Et ad forenſem differi cœtum, eſt nefas:
Nec audietur illa me certè reo.
IMP. Nec audiatur. pone geſtamen ſacrum:
Speciem nec æquum publicam lædi: notas
Ne conſulares mœſta majeſtas gemat;
Si Roma ſacrum pollui cernat decus,
Quod obſoleſcit moribus fœdum tuis.
Privata ritè jura privatus ſubi.
Diſcede lictor: Conſuli accede alteri.
CRI. Succumbe virtus, Regna cum vitâ abdica.
Moriamur. hoc eſt fortis; & juſſu patris
Hoc obſequentis; &, quod eſt magni ac pii,
Auctore Chriſto, cujus exemplo reus
Cauſſam tacebis, Criſpe, quam debes patri,
Reddatur ipſi vita: quod ſolum potes
Repende munus: gratiam gratus refer,
Cui habes: & uni, Criſpe, ſi vitam piè
Reddis, duobus reddis, & patri, & Deo.
Inſigne Regni voce conceptâ exuam,
Sed voce quam tu ſuggeris, mundi ſator,
Præſente te, te teſte, Regnator Ducum,
Fabricator orbis, juris inventor ſacri,
Legúmque diſceptator & lator Deus,
Iudicia ritu fraudis indignæ novo
Placet ordinare. Chriſte, Regnorum metus,
Mundi & magiſter, dædali & cæli artifex,
Qui Patre divo natus, haud impar Patri,
Nec par es idem matre mortali ſatus,
Qui patria geſtans ſceptra Regali manu
Innocuus ipſe crimen humanum expias,
Vltima ſecutus, tractus ad ſævam necem;
Tu qui receſſus penitus arcanos ſubis,

Ac, mentis indeprensus explorans sinus,
Iudicia Regum examinas alio foro;
Tu me refectum luce cælesti fove,
Et quo solebas igne vitali innova:
Dissolve nubem, frange concretum gelu,
Præpande cælum, me tibi tandem asserе,
Custos pudoris, mentis invictæ vigor.
Me nec suprema jussa Romani Ducis
Nec jussa patris summa metuentem sequi
(Quæ sint, & ipse cernis, & cælum videt,
Aliquisque nostram conscius deflet vicem)
Adspice benigno lumine, & mentem patris
In melius olim verte. quod noxæ fuit,
Mihi sit: luatur sanguine & crimen meo.
Vlteriùs odia tendere atque iras veta.
Te redde nato, redde te tandem patri,
Te redde matri: si quid & monstri imminet;
Patrique parcat, parcat & matri precor:
In caput & omnis vile tempestas meum
Abeat. in unam sævias culpam semel,
Satis unus unum crimen exsolvit reus.
Nunc quod videtur, Cæsar: arbitria haud moror.
Meditata perage, vita reddetur patri.
Tibi dona Regni, spiritum addixi Deo.
Discede lictor: Consuli accede alteri.
IMP. Cor pepulit horror: ponit irarum tumor:
Mansuescit iterum pectus, & lenem ad patrem
Iudex relabor, ora cur fletus lavit
Injussus? ignis corde qui serpit novus?
Hoc ut patretur facinus & dirum nefas.
A me parente? natus invictus patris
Iussu peribit? squalor ingentis Ducis
Inflexit oculos. occidat, non est meus;
Meus est, superstit: æstus incertum rapit:
Irámque pietas, ira pietatem fugat.
Instabilis instar æquoris raptum æstibus
Cor fluctuatur, sensus increscit pius:
Luctatur odium. vincor, heu vincor miser:
Placidúsque patris sensus in pectus redit.
Quid, anime, titubas? sæve cur caussæ dolor
Prævaricaris? judices, non sum mei
Potens: severum judicem prodit patris
Natura mitis. meliùs excedam foro.
Iudicia vos transfigite, dum mitis reo
Natura servit. CRI. Cæsar hanc caussam, an pater
Deseris? ad illum provoco, hic si deserit.
Famulúmne Cæsar, filium an linquis pater?
Vterque utrique judicem certè dabas:

Audis

Audis utrumque neuter, ô Rex! ô pater!
CHO. Vitalis esse Ductor infelix nequit.
Res acta: juveni præsidii quidquid fuit,
Periit: amore nixa succumbit salus.
Natura sese prodit. infelix reus,
Quem non furentis ira, sed lenis patris
Opprimit & odiis asper indulgens amor.
Talia quis umquam monstra perituras tulit?
Amore victus filium perdit pater.
Sævitia cessit: sævitiæ clementia
Successit. arma sævus abjecit furor,
Pietas resumpsit mitis: ô rerum vices!
Mollescit ira, lenitas sævit: dolor
Misero pepercit, obfuit clemens amor;
Et, quod magis mirere, fugiendo obfuit.
Iam morere, Crispe; morere, te quid jam juvet?
Natura mores vertit, & Faustæ favet.
Prodesse quod solebat, hoc Crispo nocet.
Semel quod ire cœpit, in pronum ruit.
PRÆ. Eloquere, si quid, Crispe, pro caussâ cupis.
CRI. Caussam quis umquam primus ostendit reus?
Sic judicas? sic patris exerces forum?
Quo more, quo me dicere exemplo jubes?
PRÆ. Ergo rogatus altero dicas loco.
Huc, juvenis, ensem; juvenis, huc chlamydem cedo.
Hæc spolia cernis? cujus hoc ferrum, hæc chlamys?
Indicia sceleris ecquid hæc cernis tui?
CRI. Cerno. quid igitur? hactenus scelus haud liquet.
PRÆ. Cur ergo Fausta protulit? CRI. Numquam
Sic in parentes filii inquirunt suos. (pii
Mandata matris exsequi mos est meus:
Consilia non exploro. PRÆ. Pietatem doces:
Argueris aliud. arma (responde hoc quoque)
Intulit in urbem miles, armatum Ducem
Te prosecutus? CRI. Intulit; nulli tamen
Infesta: patri militans, Romam tegens,
Amica credens cuncta, renuentem sequens.
PRÆ. Obruere numero testium: mater, pater,
Frater, Senatus omnis, & cives docent
Duce te tumultus esse concitos novos:
Et signa facti congruunt, ecquid negas?
CRI. Nego tumultus esse concitos: Ducem
Esse affecutos milites, id non nego,
Sine fraude, nulli noxios. PRÆ. Ergo audias.
Te perduellem Regis & Romæ metus,
Te parricidam hic gladius, hæc chlamys arguit.
Et parricidam scelere convicto pater,

Et perduellem læsa majestas Ducis,
Et, quæ premuntur, reliqua depoſcunt neci.
Iudicia patris esse, non nostra, hæc scias.
CRI. Decreta dura condiunt verbo patris.
Sorbebo nec condita: ne, judex, time.
Non imparatum pectus ad vestra attuli
Iudicia. vitæ summa mors, summum haud malũ est,
Quam nemo sapiens horruit, certam omnibus,
Ipsi invocatam, & sæpè meditatam, & diu.
Ex quo salutis conditor nostræ Deus
Suo cruore diluit terræ nefas,
Mortem & subegit spiritu indignè dato;
Horrere mortem quempiam, non est pium.
Iam victa, jam mansueta, jam demum mihi
Vltima videtur esse, non asperrima:
Hàc abitus, hàc & reditus in cælum est piis.
Exire qui cunctatur, imprudens sibi
Exsulia lento prorogat patriæ exsuli.
Ego cur verebor ante condictum diem
Remigrare? vitæ quidquid in terris fuit,
Anceps, pavendum, lubricum semper fuit.
Nunc liber animus, omnis exempto metu
Discriminis, quò tendit, in patriam evolat.
En ille terror gentium, & Regum metus,
Victo timore mortis, & vitæ simul
Amore victo, sceleris & culpæ inscius
Ad te revertor exsul è terris, Pater;
Rex summe Regum, Christe, virtutum arbiter.
Nunc, nunc pudicæ mentis interpres parens
Matrona cæli virgo; nunc, quæso, ultimos
Crispi labores adspice, & præsens ades.
Abeamus. i præ quisquis ad mortem rapis:
Calcanda cunctis, trita non paucis, gradu
Superetur alacri debitæ mortis via.
Valete cives: Roma terrarum vale
Regina, nostri capitis objectu haud semel
Defensa. CHO. Forti graderis ad cædem pedo,
Et siccus ipse flebilis lacrymas necis
Nobis relinquis? Iuvenis heu quantus cadis!
Heu Ductor! heu! heu Consul! heu Cæsar miser!
Hos ad triumphos Iuvenis infelix redit!
Huc recidit ille miles, huc laudes Ducis?
Miseret juventæ, flore quæ primo occidit
Virtutis omnis: miseret indigni exitus:
Miseret sororis hujus ignaræ mali:
Miseret gemellæ, heu! miseret, heu! aviæ simul
Hujus magistræ; heu misera, quos fletus dabis!
Questúsque quos! heu juvenis, heu quantus cadis!

CHO.

CHO. Vt celsus animus lætus audivit necem!
Vt pectus ingens! habitus ut vultus stetit!
Quid hic paveret miles in ferrum ruens,
Qui sic suæ securus occurrit neci?
CHO. Quid non superet pectoris ardor,
Quondam Chalybum durior ære,
Quondam facili lentior undâ?
Viden' ut noto cognita cælo
Tacitæ laudis conscia virtus
Ardua vultu stetit immoto,
Mortis nullos confessa metus,
Nullas pavidi testata notas?
CHO. Hic qui Scythicas tolerare nives
Didicit, mitis patris imperio
Potuit summam claudere lucem,
Leti impavidus Ducis arbitrio,
Non hostiles horruit enses,
Non expavit Cæsaris iras.
CHO. Qui sic moritur, quicumque ille est,
Iudice me, ni fuit innocuus,
Certè potuit jure videri.
Si causa necis miseranda fuit;
Non est miseri stabilis vultus,
Nullo fugiens terrore color.

SCENA SECVNDA.

Ablavius Faustæ fraudem eruere ex Eunucho tentat. Chorus eâ occasione de insano amore agit.

ABLAVIVS. EVNVCHVS. CHORVS.

ABL. Simulata remove verba. quem frustra paras
Decipere? vici sæpè servorum dolos,
Etiam spadonum. Vana perplexis modis
Consilia, falsæ mentis ambages struis.
Fama est, & omnes voce constanti ferunt,
Sævos furores Regis & Faustæ faces
Diventilatas artibus tantam tuis
Vomuisse flammam: téque Reginæ æstibus
Subservientem, Regiam, Romam, Ducem
Mersisse luctu, crimen infandum reo
Struxisse Crispo rumor hæc passim vagus,
Hæc populus, hæc Senatus, hæc miles canit:
In te odia civis acuit, in te milites.
Iam jam faces videbis, & ferrum, & rotas.
Eloquere: Crispi hoc crimen, an Faustæ, fuit?

EVN.

EVN. Conſule forenſes arbitros : illi hæc docent.
ABL. Volveris eodem. ſubiget invitum dolor,
Quodcumque celas, edere; & diræ mali
Doloris artes igne ſubjecto eruent.
Quin ſponte promis, urbe quod rumor ferit?
Quod & coactus machinâ admotâ exprimes?
EVN. Quid agimus? inſtat conſcio culpæ metus.
ABL. Addubitat? hæret? pallet? hîc, hîc eſt ſcelus.
Crimen pavor develat: incertus color
Vultu pererrat: proprius eſt ſervo metus.
Natura mores ſera dediſcit ſuos.
Benè eſt. tenetur facinus. iterabo metum.
Hàc ſequere tu me, fabricator facinorum,
In capita Regum ludis in vitam Ducum
Baccharis audax? omnis inventor doli :
Hàc perge tu jam. fiſteris Regi reus.
Non ſic abibis: debitas pœnas dabis,
Infame monſtrum, generis humani lues.
CHO. Ecce alia clades. crimen in Fauſtam redit.
Ludibria rerum cerne. prô priſcam fidem !
Quòd ſi ſpadonis ludus infandi ſumus;
Si te novercæ dirus oppreſſit furor,
Miſerande Ductor; cruda quis dignè fleat
Exitia? CHO. Noſtris ſcelera reſpondent ſenum.
Contende fraudes, Roma, cum paribus pares ;
Grajas Latinis junge cum priſcis novas :
Exempla confer. Criſpus Hippolytum miſer,
Et Fauſta Phædram, & Theſeum Cæſar refert.
CHO. Quis jam novercæ credat? heu juvenē pium,
Fortem, innocentem, fraude demerſum impiâ !
Suſpectus ille ſemper Auguſtæ calor
En quò reſidit, fortis in cineres Ducis.
CHO. Vigor æternæ flabilis auræ
Sator, & cuſtos flamen honeſti,
Senſus amoris ſacer ingenui ;
Vtinam cælo decidat ardor !
Vtinam caſtis pura medullis
Miſceat ignes tua flamma tuos,
Penitúſque meo pectore regnet,
Fœdis curis priùs abſterſis !
Niſi tu ſacrâ face præluces
Inter dubii lubrica ſenſus
Cæcis animis prævius ignis ;
Probris nimiùm vita pudendis
Squalet tenebris merſa profundis.
CHO. Verum eſt quod citharæ modis
Docet intonsâ cervice puer,
Dum mulcet rabidi Ducis

Furiata

Furiata ſacro pectora cantu,
Animíque truces temperat æſtus.
Verum eſt quod fidibus docet,
Victum pectus amoribus
Cæcas in furias agi,
Nullâ cupidos lege teneri,
Facilè iraſci ſemper amantes.
Et quos cepit amor, furor
Eoſdem præcipites rapit:
Tenui quando limite diſtat
Furor amentis, fervor amantis.
Hæc vicinia lubrico
Se diſcrimine continens
Tangit amores, tangit & iras,
Dirimítque brevi fine furores.
Affines odio faces
Crebrò jactat amor: nihil,
Nihil iratus diſtat amanti:
Niſi quòd cupida eſt ſanguinis ira,
In ferrum rapido gradu,
In flammas violens manus
Rubra cruentas ſemper itura.
Amor inſanus mitiùs errat.
At non idem parciùs errat.
Calor eſt cæcæ mentis uterque:
Blandior alter, ſævior alter.
Furor armatus dicitur ira:
Furor eſt & amor rurſus inermis.
Quanta furori datur armato
Copia noxæ, tanta furori
Cedet inermi.
Sanguinis æſtus pectora circum
Turbidus iræ ſuſcitat ignes:
Qui ſi magno efferbuit auctu,
Ruet in flammas, ruet in ferrum;
Malus & patriæ, nec bonus hoſti,
Dabit in præceps omnia ſecum.
Amor ex animis æſtuat imis,
Noxius error ſenſibus hauſtus:
Qui cùm laxas fudit habenas,
Animi latè populatur opes,
Nullâque poteſt ratione premi:
Calor inſanus, furor immanis:
Vis in vetitos probroſa toros:
Degener ardor, decorum labes:
Hoſtis honeſti, transfuga recti.
CHO. Odiſſe poteſt, quiſquis amavit,
Errore pari, levitate pari.

Odii messis, semen amoris.
Pòst osuris præluſit amor.
Optat amari quicumque nimis,
Nimis offendi cupit, ulciſci
Volet ingentes læſus amores,
Vbi ſe ſperni ſenſit amantem.
Incipit ira hîc, ubi cœpit amor
Vrere mentes: cúmque ſeneſcit
Mollior ignis; durior exit
Cinere ex ipſo redivivus amor.
Vnius ortus, cinis unius:
Nitidæ formæ carpere florem
Qui non potuit leviore manu,
Graviore volet. dabit armato
Tela furori vindicta ferox.
Herbas gignit terra ſalubres:
Herbas nutrit terra nocentes.
Aconita virent propter acanthum:
Vrit amomum carduus horrens:
Lilia canent ſecus urticam,
Illa nitentis gratia veris,
Pompa colorum; viva venuſtas
Roſa dumetis armata riget.
Illa furentûm blanda voluptas,
Senſus amoris proximus iræ,
Abit ultores læſus in ignes,
Odio effreni tela daturus.

SCENA TERTIA.

Conſtantinus, fraude detectâ, mittit qui cædem impediant; ipſe & ſuum, & Fauſtæ ſcelus execratur.

NVNTIVS AVLICVS. CONSTANTINVS IMPERATOR.

NVN. AFfinis es quicumque Reginæ dolis,
Quicumque Fauſtæ natus aut civis faves,
Effuge: latebras quære ſubmotas procùl
Profugus. Novercæ falſa deprenſa eſt fides.
Exitia nati genitor orbatus, miſer,
Et impiatam dexteram indignè gemens,
Sceleris magiſtros quærit ad juſtam necem.
O Fauſta! ſæcli, Fauſta, portentum tui!
Quæ, fœminarum Phædra ne teterrima
Audiret, atrox miſera geminaſti nefas.
Tu morte natum, clade funeſtas patrem,

Mœror

Mœrore gentes. Si patet tellus, fuge.
Quæcumque tellus mœret, hæc clausa est tibi.
Sed quæ perempto terra non Crispo gemet?
IMP. Properate famuli: eripite Iuvenem innoxiæ
Inhibete mortem: sistite indignæ necis
Decreta: ni vox sera decreto venit
Emissa: nostrum crimen, insontis necem,
Prohibete. Mundi Rector, ætheriæ potens
Frenator aulæ, cernis infandum hoc nefas?
Hæc scelera mitis præteris? montes quatis,
Cùm tela torques? nocte non fœdâ occupas,
Medióque mundo mergis exstinctum diem?
Hoc est quod ille cordis agitabat tumor:
Hoc æstus, hoc præsagia, hoc anceps pavor,
Animi hoc ferebat cæca tempestas mei.
Ducis immerentis funus, & patris nefas;
Fraudes novercæ; gentium luctus; suum
Præsaga mens horrebat occultum scelus.
Huccine ferebar Cæsar? in tantum irrui
Facinus? novercæ credidi? infelix pater
Natum pudicum perdidi? castum, pium,
Fortem, innocentem, supplicem, bello inclytum,
Firmamen orbis, robur Augustæ domus,
Clypeum parentis, columen & Romæ unicum.
Mihi verba dantur? Regiæ illusit spado?
Cur evirato stultus irascor seni?
Fecit, spadones facere quod turpes solent
Hæc mater autem? hæc sceleris inventrix novi
Stolata meretrix, (labis heu fœdæ pudor
Delende numquam!) stipitem nisi me virum
Putasset, hæc auderet? illudor miser,
Illudor. Aulæ fabulam infelix dedi
Vir impudicæ conjugis juvi faces,
Fœdi minister sceleris ut demum forem:
Et quasi novercæ sensus aut esset pius;
Aut nil nocere feminæ posset furor,
Castum impudicæ filium objeci dolis.
Parasitus Imperator, & vecors pater:
Ac ne novercæ munus ingratum foret;
Ingens trophæis, palma lemniscis velut
Ornata, Iuvenis feminæ in gremium est data.
Ergo triumphis antè decoratum novis,
Tamquam infulatam victimam adduxi priùs
Popa, dein Sacerdos, Cæsarem Cæsar, pater
Leno ut novercæ, carnifex nati foret?
Ergo furenti conjugi stultè pius
Assèrviebam? lateris hic ergò dolor?
Hic error ægræ mentis? hic cordis vapor?

O

O machinatrix criminum! ô mundi probrum!
O Phædra præ te casta nunc demum! sacrum
Aggressa natum Phædra, non fallit patrem.
Professa flammas audet ingenuum nefas,
In scelere fortis ipsa meditatum scelus
Invadit ultro: nemini mandans suas
Partes, pudori parcit alieno impudens.
At tu scelestam splendidè mendax facem
Vtramque passa, detegis neutram dolis
Ausura tantùm, si quid hortatur furor.
Ego visus aptus, filium per quem ruens
Amore mulier flecteret suasu patris,
Si mollis esset; durus at si esset, furens
Odiis noverca frangeret jussu patris?
Dolosa semper, scelere si thalamum inquinat:
Probrosa semper, fraude si scelera obruit.
Pejor novercâ, sive cùm turpis fovet
Alimenta flammæ, legitur inductor pater;
Instincta Mænas sive cùm cædem sitit,
Pater interemptor legitur; ut Phædram probes,
At ego virorum somnium, stolidum caput,
Illi favebam: cumque temeraret fidem,
Et conjugalis sacra sceleraret tori;
Natum pudicum feminæ incestæ dabam.
Hem quæ juvabam probra, cùm dixi pater:
Nunc ad vocantem confer Augustam pedem;
Optatus ille portus ærumnis ades!
Lætare Theseu; Phædra lenonem virum
Te non putavit: ipse trabeatus Gnatho,
Et Imperator Phormio Faustæ feror.

SCENA QVARTA.

Mors Crispi refertur; luget eum pater, & Chorus.

NVNTIVS ALIVS. CONSTANTINVS IMP. CHORVS.

NVN. O Dira jussa Regis! ô Romæ fides!
Scelus ô novercę! gentiũ ô summus dolor!
Quas ad querelas, mœstus, & luctus vocor?
IMP. Quoscumque luctus deflet hic, deflet meos.
Proloquere quidquid quereris. heu! miserum juvat
Geminare questus. NVN. Crispus, heu! leto occubat.
Dolo novercæ morte properatâ jacet.
Mortis libenter pignus acceptæ hoc patri
Moriens remittit: teque, dum ferro cadit
Moriens recepto, sæpe conatur patrem,

Sine

Sine mente murmur voce miſerandâ exiens.
Hæc aſtra teſtor, lenta properaſti, pater,
Auxilia, ſerò mitis, & fruſtra pius.
Non ſic premebat Fauſta mandatam necem :
Pietate celeri citiùs exhauſit ſcelus :
Furor novercæ juſſa prævertit patris.
At juvenis animo certus, & vultu ſtetit :
Nec gelidus horror ille morienti fuit ;
Non ille pallor, eſſe qui vulgò ſolet :
Sed lætus, & ſublimis, & plenus ſpei
Animo refuſus intimo effulſit decor :
Qualis cadente Sole purpureâ nitor
Sub nube fulget lucis incertæ brevis.
Flebat ſatelles, aſſeclæ flebant, ſui
Securus ipſe riſit in ſummis malis :
Et jam receptâ morte ſic ambas manus.
Compoſitus, aſtra contuens, IESVM frequens,
IESVM renidens voce languenti ciet :
IESVS ſupremum ſpiritum & vocem occupat.
CHO. Patris heu mœror ! patris heu luctus !
Puer infelix ! miſerande puer !
Pius heu fruſtra puer infelix !
Pudor heu fortis ! ſacer heu fruſtra !
IMP. Nunc monſtra, nunc ingruite; violentũ patrẽ
Obruite, merſum opprimite, preſſum exſtinguite.
Nunc igne crebro mugiat mundus : Pater,
Molire nebulas : bella ventorum undique
Committe : cæcâ nube ſubtexe æthera :
Illiſa plangant littora : exemptum jubar
Fulminibus exple : vindica infandum ſcelus.
Si quæris in quem tela jaculeris ; meum
Caput illa tundant : ſceleris auctorem hîc vides.
Ego ille ſum, qui perdidi juvenem pium :
Ego ſupplicantem filium oppreſſi inſolens ;
Ego novercæ prodidi : nati efferus
Ego interemptor ille, qui, falſum nefas
Effugere cupiens, incidi in verum nefas.
CHO. Patris heu mœror ! patris heu luctus !
Puer infelix ! miſerande puer !
IMP. Audite cives, voſque terrarum ultimæ
Audite gentes, diſſitæ, & ponto inſulæ,
Audite crudi patris infanda, horrida,
Fera documenta. Sæculi en crimen vagor :
Telluris odium, ſceleris exemplum novi,
Hoſtis meorum, carnifex Regum, impiæ
Ludus novercæ, juris exitium ſacri,
Legum ſepulcrum, barbarus leti artifex.
Ego Cæſar ille juſtus ? en factum docet.

Exempla justi discе, quicumque hoc negas.
Ego nempe sanctus ille ? qui justas preces
Immanis, exsecrandus, immitis, ferox,
Sancti, innocentis, supplicis sprevi pater ?
Ego nempe castus ille ? quis verò id neget ?
Tanto impiatum scelere cum luctu omnium ?
NVN. Cæsar, querelis tempus haud umquã perit.
Nunc justa nato solve. per juvenum manus
Viduatus ecce spiritu Crispus redit.
Miserande genitor, excipe infelix onus.
CHO. Heu ! heu ! heu ! heu ! heu ! heu ! heu ! heu ! heu !
Puer infelix ! puer infelix !
Miser heu reditus Ducis invicti !
Patris heu luctus ! patris heu luctus !
Puer infelix ! miserande puer !
Heu ! heu ! heu ! heu ! heu ! heu ! heu ! heu !
IMP. Huc, huc decori militis corpus decens,
Huc dulce pondus, pondus infelix, date.
Heu ! parce nate, parce, quòd castum ac sacrum
Nefastus, exsecrandus attrecto pater.
Hic ille Crispus ? Consul hic ille est meus ?
Hæc illa species oris ? hic vultus decor ?
Hoc sidus, illud frontis augustæ jubar ?
Hic geminus ille fulgor oculorum ? hic lepor ?
Hæc illa cervix ? Cæsar, agnoscis genus ?
En pasce visus, pasce, crudelis pater :
Opus hoc cruentæ dexteræ cernis tuæ ?
Pandite nefandâ cæde funestam domum :
Augusta luctu mœreant atro atria :
Dardania claris tecta lamentis sonent.
CHO. Puer heu leto mersus acerbo !
Miser heu Consul ! miser heu Cæsar !
Generis, Cæsar, columen nostri.
Firmum, Consul, columen Romæ.
Tua dejecit dextra phalangas :
Tua disjecit dextra tyrannos.
Tibi terga fugæ vertere manus :
Viduata suo Duce palantur
Agmina laxis fusa maniplis.
Tua bellipotens dextera vicit :
Tu præsidium patriæ fessæ,
Tu robur eras. Hostis in arma
Tota trahebat robora Regni.
Opibus tantis ipse inferior,
Virtute prior, Numine fretus,
Ante pavores acer agebas,
Ante cruenti fluminis undas ;
Spargens hastas turbine certo,

Vulnera

Vulnera certo mucrone premens :
Aciem in mediam miſſurus equum
Rabidum efflantem naribus ignem ;
Cyllaron olim velut urgebat
Helenæ frater colla comantem.
Decus heu raptum Ducis indignè !
Ducis heu magni funus acerbum !
IMP. Hîc hîc repone, miles, excelſo in toro
Exſangue corpus : aureas veſtes premat.
Hic eſt triumphi currus, heu rerum vices !
Sic ad parentem victor ex bello redit ?
In hæc Senatus verba decretum tulit ?
Victor triumphet : occidat, non eſt meus.
Lauro revinctus Tarpium ſcandat jugum :
Vinctus cupreſſo funebri jaceat toro.
Plauſus ſequatur civium inſignem Ducem :
Plangore reſonent tecta funeſti patris.
Adſpicite cives, cernite ex illo Duce
Quid jam ſuperſit ; mole collapsâ fluit
Exanime corpus : diſperit frontis decus :
Et dubia cervix languet, & languent genæ :
Et illa Regnis docta moderandis manus
Heu gelida languet. Mundus his nixus modò
Humeris ſedebat ? enſis hâc fulgens manu
Rotatus ipſo ex prœlio pacem tulit ?
Hâc tot Duces, tot Regna, tot Reges jacent ?
Hic ille terror gentium ? hic Criſpus meus ?
CHO. Heu ! heu ! heu ! heu ! heu! heu ! heu! heu !
Ducis indigni decus heu raptum !
Ducis immeriti funus acerbum !
IMP. Non tu ſuperba ſceptra Romanâ potens
Geſtabis aulâ, nate; quod vetuit pater.
Non jura populis, jura non Romæ dabis :
Non regna Pori victa, non Mauri, trahes ;
Sparſoſque campis horridos vaſtis Getas :
Non tu Sicambros ſub tuum mittes jugum,
Hominumque Morinos ultimos : non tu Scythas
Non tu rigentes Sarmatas, non tu Dahas
Audax ſequeris, nobiles turmas agens.
O dulce pignus ! columen ô lapſæ domus !
O luctus Helenæ matris ! ô mœror patris !
O vulnus orbæ filiæ ! ô Romæ dolor !
Mœſtumque funus gentium ! ô crimen meum !

FINIS.

BERNARDINI STEPHONII E SOCIETATE IESV FLAVIA.

FLA-

FLAVIÆ TRAGOEDIÆ

ARGVMENTVM.

APollonius Tyaneus, flagitioſus Magus potiùs, quàm doctus Philoſophus, idemque veritatis inimiciſſimus, & Chriſtiani nominis hoſtis acerrimus, T. Flavio Veſpaſiano Principe, qui de Solymis devictis triumphaverat, adeò multorum animos magicis præſtigiis occupaverat, ut Romę, quò ſcelerum omnium, ac flagitiorum eâ tempeſtate colluvio confluebat, illi, ſupra modũ ſuperbiſſimè efferenti ſe ſe, publicè dedicata ſigna fuerint, & decreta divinitas. Hunc tamen ipſum, impuriſſimum veteratorem, Flavius Domitianus, T. Veſpaſiani filius, Imperator, & ipſe divinitatis dementiſſimus appetitor, ſervilem in modum acceptũ ad ludibrium, ad cutem detonſo capillo, & tamquam è cataſtâ ſtigmaticum, habitum oſtentui, periculum facturus divinitatis, in vincula conjecit: an ut illius contumaciam frangeret? an ut ingenium malum malis imbutum artibus exerceret? Vinculorum ſocius idem fuit Apollonio, qui peregrinationum comes, & conſiliorũ particeps fuerat, ſtultitiâ vecors, vecordiâ fortis, ſe ipſo pejor in dies, Magiſtro tantùm peſſimo melior, Damis Ægyptius, & ipſe magicis myſteriis initiatus. Multis adeò diebus in carcere duriter exactis, Fulvii

tandem Valentis Conſulis rogatu, qui Tyaneo multis officiis obſtrictus erat, Domitianus Auguſtus perditiſſimis Magis è vinculis abeundi poteſtatem facit: cum eo, Romam ut ſecundùm illum diem exirent; & exſulibus ad quingenta millia paſſuum extra Europam aquâ & igni interdiceret. Beneficium locum occupavit injuriæ in peſſimis ingeniis; & vehementiùs inflammavit invidiam. Quapropter paulò pòſt, in ſpeciem officii deductus ad Domitianum Apollonius à Fulvio Conſule, ſexdecim Æthiopes Ephebos, nobiles gentis illius, & honorarios Principum filios, ut ipſe dicebat, reverâ diros Lemures, diris carminibus evocatos, qui lymphatum Imperatorem exagitarent, exemplisque peſſimis perderent, antequàm iret exſulatum, Domitiano dono dedit. Eo munere delinitus Imperator, Apollonium occultum hoſtem, palàm ſupplicem, in intimam familiaritatem recepit. Hic, in fidem odii reſtincti, exſilii abrogata lex, veterum offenſarum oblitterata memoria, de graviſſimis rebus communicata conſilia, omnia deinceps benevolentiæ argumenta conſecuta ſunt, collocutiones, ſacrificia, menſæ: quibus amici conterere ſimultates, & amicorum offenſiones ſolent. Et profectò fuerunt ejuſmodi, quibus, ſi fuiſſet humanus, animum hoſtis, quamvis aſperum, emollire potuiſſet. At Apollonio, cujus, ob conſuetudinem ſcelerum, omnis humanitatis

ſenſus obcalluiſſet, doloris aculeus. & ignominiæ vulnus illud altiùs, quàm ſuſpicabatur Imperator, inſederat Itaq;, diſſimulato vulneris ſenſu, tempus ulciſcendi doloris expectans, modum, quo Cęſaris animũ altiùs penetraret, & regnatricem domum illius funditus everteret, animo notabat. Annus erat Sæcularis Romanis, quæ tum erat ſuperſtitio temporũ illorum, ad omnia pulvinaria Deorum luſtralis, ac ſacer: in quẽ Imperator, ad cumulũ publicæ gratulationis, publicum munus, domeſticum gaudium conferebat. Cùm enim illi nulli dum eſſent ad ſuſtinendã Aulam ex honeſto matrimonio liberi, duos FLAVII CLEMENTIS patruelis filios, eximiæ indolis adoleſcentes, ad Imperium adoptabat, & abolitis veteribus nominibus, Veſpaſianum alterum, alterum Domitianum appellabat. Erat in Flavio Clemente temperata virtus è CHRISTI ſcholâ; eaque morum inſtitutio, ac modeſtia, quæ facilè molem illam Imperii ſuſtentare potuiſſet; niſi, quæ fortunæ bona cæteri perditè concupiſcunt, à ſe recuſari præclariùs judicaviſſet. Ergo cum è Conſulatu, quem anno priore tum Domitiano patruele geſſerat, abiiſſet; reliquum omne tempus ætatis in literis, & in divinarum rerum commentationibus, procul ab urbanitatis periculis, in ruſticatione tranquillâ ſibi deinceps exigendũ putabat. Et ipſe CHRISTI moribus erat imbutus: & Chriſtianis inſtitutis, clam

Imperatore, domus ejus omnis erat addicta : DOMITILLA major, ejus uxor ; DOMITILLA minor, ejuſdem ex Plautillâ ſorore neptis; Cæſares duo, Veſpaſianus, & Domitianus minores ejus fiſii, paternæ non magis fortunæ, quàm virtutis hæredes : Nereus, & Archilleus Eunuchi minoris Domitillæ Cuſtodes, homines eximiæ ſanctitatis. Dici vix poteſt, quantum Domitianus Auguſtus ſibi Romanorum animos, cæteroquin infenſos, hâc duarum juvenũ adoptione placaverit, & exterarũ gentium voluntates adjunxerit, & abalienata militum ſtudia reconciliaverit, atque devinxerit. Quod cùm Tyaneus, in ejus exitium intentus, animadverſiſſet ; ſortitus oculis locum, quò vulnus infigeret, CLEMENTEM, & Clementis filios ad perniciem deſignabat : quòd iis maximè munimentis, & Imperatoris ipſius, & omnino Flaviæ gentis fortuna videbatur inſiſtere : quæ ſi quoquo modo corruerent, defutura cernebat præſidia, quibus imminentem ruinam, & Romanorũ vim à ſuo capite Domitianus arceret. Nec eum ratio perditiſſimi conſilii fefellit. Filiis enim Clementis non ita pridem ad Imperium allectis, eodem die unà cum Patre ſublatis, ex Sibyllinis verſibus, & Fortunæ Prænestinæ carmine, quo, quemadmodum Tyaneus explicabat, ad Deorum iram avertendam ex CHRISTI diſciplinâ Pater, & Filii poſcebantur : exutus patruelis opibus, & Cæſarum juvenum

cuſto-

cuſtodia Domitianus, Magicis artibus latus dedit: & in illam ſe ſe perniciem voluntarius induit, quam à ſe, cùm ſuo beneficio, tum propinquorum Principum expectatione depulerat. Ergo fidâ ſtipatione neceſſariorum deſtitutus, à conjuratis, qui non tam ſuum, quàm publicum dolorem ultum ibant, oppreſſus, Apollonio geminam palmam dedit, & hoſtilis exitii, quod in Imperatore quærebat, & implacabilis in CHRISTVM invidiæ, quam Chriſtianæ rei laudibus, & incrementis inflammatam, Chriſtianorum calamitatibus extingui poſſe credebat.

Romæ geſta res eſt anno Seculari, confluentibus ad ſæculares ludos undique peregrinis: quo tempore IOANNES Apoſtolus, Zebedæi filius, unus ex cæteris Collegis ſuperſtes, Romam ex Aſiâ profectus, Romanã arcem, & Eccleſiæ principatum PETRI auctoritate fundatum, PAVLIq; virtute ſtabilitum, ſuâ quoque ſuffragatione muniebat. Igitur ad immane facinus præeunte Tyaneo, Sibyllini carminis, & Prænestini Oraculi interprete, CLEMENTE jugulato, Filiiſq; mactatis in Minervæ ſacro, in omne deinceps Chriſtianæ Reip. corpus ſævitum eſt. In Inſulam Pandatariam, & Pontiam amandatæ DOMITILLÆ duæ, IOANNES in Cycladas deportatus, in omnem ætatem, ordinem, ſexum iterum erupit Neroniana crudelitas.

ARGVMENTVM

ALIVD BREVIVS.

T. FLAVIVS CLEMENS, Flavii Domitiani Auguſti patruelis, & Veſpaſianus, & Domitianus minores Cæſares ejus filii, Chriſtianis moribus inſtituti, pro CHRISTI Religione cæduntur. Res agitur per Apollonium Tyaneum Magũ, capitaliſſimum hoſtem Flaviæ gentis, & CHRISTI, Domitiano majore, qui ſibi fidiſſimorum exitio conſulebat, magicis dolis in ſpeciem religionis inducto. At CLEMENTI quidem, ejuſque filiis, quod hoſtes moliebantur, Imperiũ Romanum cum vitâ ſimul ereptum eſt: nominis verò diuturnitas, & virtutis immortalitas non eſt abrogata. Viget Cœlo recepta, vigebitque in famâ temporum, in memoriæ literis, in animis poſterorum: egregio documento propoſito, nihil facilius eſſe Chriſtianis hominibus, quàm umbram humanæ gloriæ fugitivam, ac brevem, præ cœleſtis felicitatis æternitate contemnere.

PER.

PERSONÆ.

FLAMEN DIALIS CVM MYSTIS.
PVERI NOBILES SENIDENI, SÆCVLARE CARMEN CONCINENTES.
APOLLONIVS TYANEVS MAGVS.
DAMIS ÆGYPTIVS, EIVS AVDITOR.
C. FVLVIVS VALENS CONS. CVM LICTORIBVS.
PAREDRI. LEMVRES SEXDECIM IN ÆTHIOPVM EPHEBORVM IMAGINES EVOCATI.
CHORVS EX PVBERIBVS CHRISTIANIS DVPLEX.
T. FLAVIVS CLEMENS CHRISTIANVS EXCONSVL.
T. VESPASIANVS MINOR CÆSAR, CLEMENTIS FILIVS.
C. DOMITIANVS MINOR CÆSAR, CLEMENTIS ITEM FILIVS.
PRÆFECTVS PRÆTORIO CVM MILITIBVS PRÆTORIANIS COHORTIS ITALICÆ.
T. FLAVIVS DOMITIANVS IMPERATOR AVGVSTVS.
FLAVIA DOMITILLA MAIOR, CLEMENTIS VXOR.
FLAVIA DOMITILLA MINOR, EIVSDEM CLEMENTIS NEPTIS.
VIRGINES ANCILLÆ.
NEREVS, ET ACHILLEVS EVNVCHI, DOMITILLÆ VIRGINIS CVSTODES.
S. IOANNES APOSTOLVS ET EVANG.
DISCIPVLI. QVI IOANNEM ASSECTANTVR.
C. ANTISTIVS VETVS, CONSVL ALTER CVM LICTORIBVS, QVI FORTVNÆ PRÆNESTINÆ ORACVLVM SCITATVM IVERAT.
CONSILIARII, SEV MAGISTRI DVORVM CÆSARVM.
NVNCIVS VNVS, ET ALTER.
FLAMEN FLAVIVS AVGVSTALIS.
PRÆFECTVS CASTRORVM CVM COHORTIBVS MILITARIBVS.
POPA. PRÆCO, MYSTA IN SACRIFICIO.
FALSVS CLEMENS, FALSVS IOANNES, QVI EST TYANEVS MAGVS.

FLA-

FLAVIA
TRAGOEDIA.

BIS ACTA IN ROMANO COLLEGIO SOCIETATIS IESV SVB INITIVM NOVI SÆCVLI
ANNO IVBILEI CIↃ. IↃC. CLEM.
VIII. PONT. MAX.

RVRSVM HAVD SEMEL A NOBILISS. ROMANI SEMINARII ADOLESCENTIBVS
EIVSDEM SÆCVLI ANNO XXI.

SEMPER PLACITA,
SÆPIVS POSTVLATA.

FLA-

FLAVIÆ TRAGOEDIÆ BERNARDINI STEPHONII

ACTVS PRIMVS.

SCENA PRIMA.

Flamen Dialis poſt ſolennes preces, conſultis Sibyllæ libris, indignatur deorum ſacra negligi.

FLAMEN DIALIS CVM MYSTIS. SENIDENI PVERI PRÆTEXTATI, ET CORONATI.

FLAM. IAm Gange Titan aureum promẽs caput,
Agmen minorum ſiderũ extremũ premit.
Curas reducit lætus, ut numquam, dies,
Commune tandem gaudium Romæ vehens.
Fœlicitati Flaviæ mundus ſtudet,
Largâ ſerenus luce: quod nemo Deos
Oraſſet umquam. Vota terrarum fovet,
Quiſquis Deorum Romulæ genti favet.
Nunc, convolutis orbibus magnis decem,
Vertitur Olympo ſęculum verè aureum:
Et Flaviorum tertius ductor Ducum
Domitius, auctus mente meliori, duos
Imponit Orbi Cæſares, dignos patre.
O vota Romæ juſta! Tu, Pubes, ſacris
Aſſueta noſtris, cinge verbenâ caput:
Ex arce puram tolle: tu liquidum, puer,
Inſume fontem. Templa pateſiant Deũm:
Exſuſcitetur ignis heſterni cinis.
Divitis acerræ dona non parcè ingere.
A Iove gerundæ ritè principium rei
Ducatur. Omen approbo: facili comâ
Vltrò reluxit ignis. Haud temerè hoc erit
Viſum. Benigno numen hæc vultu videt.

Satos

Sator Deorum, clara qui nutu quaris
Liquidi astra mundi : tuque consortis tori
Regina Iuno : tuque Mavors inclyte,
Romana clypeo regna qui vasto tegis :
Et tu, Quirine, Martiæ Romæ pater,
Hoc propiùs omen aspice, & firma obsecro.
Vrbem salute sospita, ut semper soles :
Tutare præsens : vota terrarum evehe :
Consilia, quæso, justa fortuna Ducis.
At vos, per Vrbis ritè degressi vias,
Hinc Sæculare carmen, & laudes Deûm
Pueri, recenti flore redimiti comam,
Dicite vicissim, nobile Anchisæ genus,
Iungite Deorum laudibus laudes ducum :
Orate castos sæculi mores novi :
Mitem Senatum, jura Dardaniæ togæ,
Docilem juventam, conjugum sanctos toros,
Aulæ decora regna, populorum fidem,
Auras salubres, fertilem frugum Palem.
At ego sacrorum Pontifex, Flamen Iovis
Iussu Tyranni, tacita longævæ senis
Carmina Sibyllæ consulo. Hinc ite ocyùs.

PVERI. Phœbe, sylvarumq; potens Diana,
Lucidum Cœli decus, *&c.*

Ex Epod. Horatii. Ode ultimâ.

FLAM. Quid hoc ? amicis nemo gratatur Deis ?
Cultu Deorum templa neglecto vacant ?
Hoc simile monstri Luce tam festâ piè,
Non civis has, non hospes has Ædes adit ?
Cùm replicat orbem sæculum : cùm se Deûm
Largiflua Romæ dona gratanti explicant ?
Oblita Divos, Roma, non multùm places :
Hostis Deorum CHRISTVS hos mores docet.

SCENA SECVNDA.

Tyaneus è carcere liberatus antequàm proficiscatur in exsilium, Magico carmine sexdecim paredros evocat, quibus Domitianum perdat.

APOLLONIVS TYANEVS. DAMIS ÆGYPT.

TYA. MVndi nitentis liberum tandem diem
Hausi, negatum Cæsaris jussu diu.
Tandem catenas, carcere effracto, exui;
Rigidumque Chalybum pondus excussi; & situm
Corpore reterso squallidum invisi specus.

Quàm

Quàm prope timore majus exitium fuit!
Nec innocentis Pontifex venefici.
Nec ſceleris architectus unius ſciens,
Nimiùm verebar, conſcius fraudum omnium,
Violenta Regis juſſa: ne, qui Cœlitum
Quaſſare geſtit ſceptra terrificâ manu,
Et criſpiſulcas nube jaculari faces,
Regum Tyrannus; quique Panchæâ coli
Se meſſe poſcit, jure polluti ætheris
Exueret, & me premeret exemplo ultimo,
Infame monſtrum, generis humani lues.
Ille ego nocendi mille Tyaneus vias
Ingreſſus, omni doctor inſtructus dolo,
Erebi Sacerdos, Ditis interpres, diu
Impunè multiformis, impunè improbus,
Multâ piorum cæde reſperſus manus:
Nodis onuſtus ferreis, nexus gravi
Compede, ſub atro carcere extraxi dies?
Mento renatus crinis abraſo niger
Primùm præumbrat pectus incultè jacens.
Quem ſtirpe ab imâ juſſit evelli mihi
(Ludibria noſtræ gentis hæc illi placent)
Falſus Minervæ filius, calvus Nero.
Vt ecce pallet oris exſanguis color!
Pædore macies livido ambedit genas:
Florens receſſit ſanguis: exucto cutis
Corpore reſiſtit arida, & tactu aſpera:
Tempora lacunis bina ſubſidunt cavis:
Introrſus acies abiit: & mœſtis putres
Oculi cavernis penitus abſtruſi latent:
Crevere digiti: pectoris crates loco
Emergit omnis: tubere immodico artuum
Structura ſurgit: prominent ſupra modum
Nexus latentes ante: compago oſſium
Artus per omnes, carne ſubductâ, patet:
Menſura nulli juſta membrorum manet.
Hoc ille noſtri ſpecimen impurus dedit;
Contuſa flagris membra dum vinclis domat,
Et lenta mulctæ ſpatia per ſontem trahit
Diro ſub antro, nocte ferali obſito.
Huc me redegit, odia qui pœnis alit,
Et ſcelere proprio fruitur, alieno furit.
Nunc ſibi litatum credit: & raptæ priùs
Dat dona lucis: ſponte nunc tandem eximit
Attrita membris vincla. Pœnarum ſatis
Eſt, inquit, exi: munus hoc noſtri ferens,
Quòd non periſti: ſtatue nunc demum modum
Fraudi, periclo doctus: è vinclis abi.

Vt otioſe ſævit? è vinclis abi,
Tuo pericio doctus. E vinclis Magus
Inultus abeat, ſpretus, irriſus, lacer?
Glacialis Auſter citiùs incernet nives:
Boreas aduret proximâ Æthiopes face:
Eripiet Euro Zephyrus Orientem domum:
Occiduus Eurus divitem invadet Tagum:
Gracili Corinthus maria committet duo
Iſthmo remota: junget Hiſperiæ latus
Siculum Pelorus: ſævient Syrtes minùs:
Accincta monſtris Scylla latratu fero
Terrere nautas deſinet: rapido vorax
Flexu Charybdis, vortice explicito, rates
Sorbere parcet, ſemper æquato mari:
Amicus aſtris Erebus, & terræ priùs,
Quod reperit ipſe crimen, infectum volet,
Et jura terræ, jura reſtituet polo:
Quàm mihi reſidat cordis inſani furor.
Tam facilis ira, quòd ſciam, non eſt Magis:
Mihi major æſtus, major irarum tumor,
Armatus omni fraude, vindictæ imminet.
Non ſic recumbent odia. Qui lentè dolet,
Dolere neſcit. Quiſquis immiti fovet
Sub corde flammas, pronus in pœnas ruit.
Placatus hoſti citiùs ad mentem redit,
Quicumque facinus hoſtis ulciſci nequit.
Me ſic inermem, ſcelere confixæ meo
Negant maritæ, virgines, juvenes, ſenes,
Toties tributim, noſtra dum ludit manus,
Longo per urbes agmine illati rogis.
DAM. Nil merita, nil officia te vincunt Ducis?
TYA. Ingenia meritis neſciunt vinci mala:
Pejora fiunt. DAM. Vita, libertas, dies,
Communis aura, ſpiritus, donum eſt Ducis:
Huic dede dextram. TYA. Vita, libertas, dies
Communis aura, ſpiritus, juſti locum
Odii occupavit. DAM. Majus eſt irâ hoc malum.
TYA. Fateor. DAM. Sed eſſe ſimile portenti reor.
TYA. Hoc fateor etiam: juris at non ſum mei:
Trahit ira præceps: error & cordis trahit.
DAM. Et ira, & error cordis in rectum poteſt
Iter reflecti, ratio ſi mentem regit.
TYA. Cùm ratio mentis imperat, nullum eſt ſcelus.
Eſt dextra ſegnis, deſes, & virtus jacet.
DAM. Præſtat jacere, nemini ſi ſic nocet.
TYA. Nocere qui vult nemini, huic cuncti nocent.
DAM. Noceant: ſed auctor ſceleris eſt pejus nocens
Quàm cui nocetur. TYA. Iſta ſi ratio valet

Omnia

Omnia licebunt improbis. DAM. Nil improbis
Verò licebit, vera si ratio placet.
TYA. Desiste tandem. Falsa, non vera assequor.
Materia nostri sceleris est donum Ducis.
Vt viperarum virus ex ipsâ dape
Augescit, odium dona sic augent meum.
Nunc, anime, perge : crimini laxas novo
Immitte habenas, quà licet, quà non licet.
Nunc quid dolentem deceat, & Magum, vide.
Nunc omne præceps facinus, & magicos dolos
Aggredere : non es fortis, immitis nisi es.
Incumbe in iras, quantus ex alto trahit
Sinu, procellis Africus stridens nigris,
Libyci Tyrannus æquoris : quantus rotat
Ad saxa fluctus, jura dum dubii maris
Hinc pluvius Auster repetit, hinc Scythicæ nivis
Molitor : æstus quantus Ætnæis sonat
Piceus cavernis : qualis, Ætnæis pares,
Vertice triformis fumido eructat globos
Liquidos Chimæra : qualis abreptas procul
Siculo in profundo fabulæ notæ rates
Devorat hiatus : qualis in gyrum citat
(Nam magica cogunt murmura) ex imis nemus
Turbo revulsum stirpibus ; crebrâ face
Cùm porta Cœli mugit, & sciſſo æthere
Fulmina rubenti nubilo ingeminant metus :
Humilis ferarum tecta cùm sternit pavor,
Et tristis aër nube densatâ coit,
Illisa tectis grando cùm fractis crepat :
Cùm tunsa fluctu littora incusso gemunt,
Et terra nutans cardine emoto tremit :
Aut qualis olim, regna dum vexat Dûm
Audax Gigantum, matris hortatu, cohors,
In pavida montes astra frondosos jacit :
Aut ipse quantus inferæ rector domus,
Sidera minaci clara pavefecit statu,
Dum læta summi sceptra molitus Patris
Gelidos triones pube discordi quatit.
DAM. Impar furori dextra nequidquam furit.
Metire temet, hostis, haud iræ modo.
TYA. An qui movere pallidum cantu chaos,
Solvere trifaucis ora qui possum canis,
Et flexa retro flumina, invito pede,
Attonita fontis hortor incunabula
Iterare ; qui cum saltibus sylvas sequi,
Et ire cautes carmine auritas meo ;
Qui pura sulco signa sulphureo traho
Refixa Cœlo ; nocte qui tacitâ queo

Deripere Lunam, ſorte qui mira eloqui
Vocale ſaxum doceo venturi exitus
Metus latentes : cereas imagines
Inire greſſus : è ſepulcretis domum
Remeare functa corpora, & vulgò cavis
Volitare formis : frontis humanæ modo
Animas ferarum terga ſævarum truces
Induere ſetis horrida ; & ſolis vagas
Errare campis, murmur ut juſſit meum,
Colchi ſuſurro, & Theſſalo potentius :
Nihil in Phalaridem hunc virium noſtros querar
Habere cantus ? Paverit vultus truces,
Invulneratus ipſe, vulneribus meis ?
Dolore noſtro riſerit terræ dolor ?
Pædore noſtro geſtiat mundi pudor ?
De me triumphet, ſpolia de nobis gerat ?
Irriſus, & contemptus, & Romæ jocus,
Nullo repenſo ſcelere, Tyaneus gemam ?
Imo popello fabulam de me dedit :
Nullum reponam facinus illuſus Duci ?
DAM. Donare crimen ſæpe vindictæ fuit.
TYA. Donare crimen hoſtibus, ſtulti eſt reor,
Vindicta inauſa, Roma me ſpretum videt,
Quem modò colebat pecore votivo Deum :
Nec ibo in hoſtes ? frigidæ credo manus
Languent, cruentæ ſanguine ætatum omnium.
An nil Magorum ſacra læſorum valent,
Quæ mundus horret omnis irato Deo ?
An ira languet prima, ceu flammæ vapor,
Quam ſegnis animi ſubitus inſtigat furor ?
Si bene furores pectoris novi meos,
Ludibria ſi quid longa, ſi pœnæ graves,
Diuturnus animum ſi quid accendit dolor,
Memor ira flammas mente vivaci geret,
Nullâ Tyranni clade ; nullis hoſtium
Saturanda monſtris. DAM. Ede, quid tandem paras
Minor Tyranno? TYA. Fulmen invadam Iovis :
Mirante victor Gange præcipitem diem
Reprendam in ortus : Solis exemptum jubar
De nocte mediâ mundus emeritus dabit :
Tremulæ coruſcâ nube diſcurrent faces :
Scopuli natabunt : crebra riparum toros
Pulſabit unda : vaſta committam locis
Dirempta vaſtis maria : labefacto ſpecu
Tellus dehiſcet : cernet Acherontem dies.
Pœnas in hoſtis ordiar Cœlum, Styga,
Vivos, ſepultos, belluas, fluctus, faces :
Rabiemque, mœroremque, & horriſonum Chaos.
DAM.

DAM. Stringentur enſes : impetus noſti Ducis.
TYA. Libet ire in enſes : aggredi clades libet,
Quas omnis ætas audiat, nemo probet.
DAM. Fortuna vires abnuit tantas tibi.
TYA. Natura cæcæ noſtra fortunæ imperat,
Aſſueta ſceleri. DAM. Inermis armatum petes?
TYA. Audax, inermis eſſe non umquam poteſt ;
Quem ſcelus, & ira ſtimulat, armatum puta.
Quid proderit, me numini Plutonio,
Surgente Lunâ, menſtrui voti reum,
Dextram, nefandis impiatam victimis
Luſtraſſe ad aras, ſanguine humano oblitas?
Quid, vulgus inter Inferûm vultu truci
Stetiſſe medium ? quodque vix rector Stygis
Auderet ipſe, noctis illunis ſacrum
Iugulaſſe in ignem parvulos ? graciles acus
Egiſſe in artus ? conjugum irrevocabili
Fixiſſe thalamos turbine ? optatis toros
Orbaſſe natis ? omnium ſcelerum luem
Sparſiſſe terris omnibus ? claras Ducum
Funera per urbes ſæpe duxiſſe ? impio
Fœdaſſe luctu regna ? turbaſſe æthera ?
Voviſſe Diti ſpiritum, & ſcelerum fidem
Firmaſſe ? votum jurejurando impium
Sanxiſſe, fractis hoſpitum cervicibus ?
Iteraſſe ſacrum ſemper ex illo vetus
Novendialis victimæ inceſtâ face ?
Habuiſſe numquam ſceleris immunes manus ?
Servaſſe nulli fœderis pacti fidem ?
Temeraſſe jura gentium, mentis, DEI?
E pectore exturbaſſe probitatem, metum,
Verum, pudorem, jura, pietatem, decus ?
Mox, decore pulſo, pectus impurum omnium
Hauſiſſe turbam facinorum, infandum ſcelus,
Inhoſpitalem Caucaſum, & fraudem, & dolum,
Et ſævam Erynnim, & crimen, & Ditem, & Styga?
Age, mens, in omnem prona nequitiam irrue :
Accinge ſceleri pectus, ad nullas iners
Fraudes : vetuſtum temet hortare in ſcelus.
Eſt tanti, in omni ſcelere verſatas manus
Non eſſe, cùm quid tempus exegit, rudes.
Iuvat eſſe ſævum : fraudis expertem juvat
Numquam fuiſſe : criminum refert vias
Remeaſſe toties. Quiſquis eſt doctè nocens,
Huic dextra vulnus irritum nullum dabit.
Quem cæcus error cordis audacem facit,
Idem ad latentes inſcium cautes feret,
Nimiùm ſecundus Auſter ut quondam rates.

Ante acta vita facilè desponder nefas.
Ludens peregi scelera, suspensâ manu,
Innumera, inausa, infanda, truculenta, horrida,
Erebo pavenda : dextra quid faciet gravis ?
Mansueta tantùm sævit improbitas mea ;
Quid provocata ? læsa quid tandem parat ?
Hæc sunt amicis dona quæ ludo damus :
Quod speret hostis, hoste de læso, malum ?
Nulli pepercit mollis artificis manus,
Artificis ulli parcat offensi dolor ?
Mihi vacavit hactenus magicus furor :
Aliis locatus profuit, numquam mihi :
Nunc nostra nobis serviat demum manus.
Cur, ira, questu protrahis segni diem ?
Hostis petatur : vindici pœnas luat,
Quas debet. Aulam cinere cumulabo arduam :
Effusa latè flamma, Romanas opes
Populata, templis equitet, & victrix globos
Ad astra fumi volvat : ex alto ruat
Regia : Tyrannum culmen eversum opprimat :
Fragore vasto tecta Dardanidum sonent :
Sonitum ruinæ diffitæ gentes procul,
Quascumque tellus educat, mœstæ audiant.
DAM. Sile, magister, obsecro : nimium rege
Animi dolorem : supprime, & magnæ sonos
Linguæ : tacere quisquis, aut animo valet
Patiente ferre, gravia sint quamvis mala,
Referre melius poterit. Ignarum premes
Citiùs, fefellit ira quem tutò latens.
Magnus tegendo tutiùs sævit dolor.
Professa verbis ira vindictæ perit.
TYA. Quisquis dolorem regere consilio potest,
Et clepere sese tacitus : aut falsò dolet,
Verum aut dolorem segnis ulcisci nequit.
Iuvat ire contra : perdet, aut perdam scelus.
Ruat ira præceps : magna se produnt mala.
DAM. Animum ruentem siste : vix tacitum quies
Defendet ulla : bella quid stultè moves ?
TYA. Fortuna fortes evehit : segnes premit.
DAM. Fortuna placeat, regere quam virtus potest.
TYA. Nil regere virtus vera, non fortis, potest.
DAM. Rabidè incitatum nulla te virtus juvat.
TYA. Animus juvabit, ipsa si virtus vacat.
Sic tibi Magorum notus est, Damis, furor ?
DAM. Furore quid jam restat ex illo tibi ?
TYA. Tyaneus ipse. DA. Victus ærumnis. TYA. Malè
Erras : medullis noster innatus furor,
Abire nullis victus ærumnis potest.

DAM.

DAM. Tyanee. TYA. Cedam? DAM. Sceptra non horres Ducum?
TYA. Quæ ſæpe fregi. DAM. Sæpe: ſed ſemper favet
Fortuna nulli. TYA. Non habet caſus locum,
Vbi certa virtus dexteram certam regit.
Fortuna noſtrum ſæpe præteriit caput.
DAM. Quæ ſæpe præterivit, aliquando excipit.
TYA. Excipiat: hoſtem dummodò per me petat.
DA. Neſcis quid inſtet. TY. Arma, ni fallor, Ducis.
DAM. Et pejor armis lenta morituro fames.
TYA. Huc adige torvas belluas, flammas, rotas,
Hydræque ſuccos: memet impendam ſuper
Hoſtis ruinam. DAM. Vita tam vilis tibi eſt?
TYA. Votum eſt Magorum, poſſe damnatum caput
Objicere morti. Rumpe ſermonis moras.
Mihi ſtat per enſes obvium ſtrictos neci
Offerre nudum pectus. Huc flavum mihi
Accerſe Theſpim noſtra tu fidè occule
Conſilia fraudum: perge, dum mecum modum,
Aptumque tempus exigo.

(Hic Damis abſcedit.)

Abſceſſit. Vacat
Hæc teſte regio? commodè in cantus vacat.
Demurmuratum carmen Hecateium ſonet.
Hic ritè præſtat inferum exciri Chaos,
Magicæque murmur noctis, & diræ precis
Ferale carmen. Crudus umbrarum arbiter
Vt ſemper adſit, igne luctifico facem
Megæra quaſſans pectus inceſtet meum.
De more peragat reliqua.

(Hic mutatur Scena, in ſpeciem horridæ ſolitudinis.)

Quo ritu ſacrum
Placet ordinare? jura quo læſi omnia,
Cùm memet antè perdidi: quò me pudor
Fugiente fugit. Crinis effundat ſacer
Ab aure lævâ turbinem, fronti incubans:
Hoc noſter irretitus ad nutum venit
Vulgus Sororum, ſibilâ impexus comâ.
Diſcincta nodo tunica reſoluto fluat,
Quò flamen omnes inferùm intendat ſinus.
Læſurus hoſtes, ante Tyaneum furor
Exagitet: ipſe neſcit iraſci ſatis.
Majore monſtro pectus impleri decet.
Aptetur humeris (moris id Suſis viget)
Tenui papyro varia conſuto chlamys,
Notis arata ſplendidè Babyloniis.

Vbi vis veneno textili præsens latet
Implicita, donum Bactrii quondam senis.
Qui dape (ferebat fama sic vulgò) senex
Custos Draconis pavit Hesperii famem.
Hâc explicata, sæpe præcipitem diem
(Vix orbe medio stabat) exegit polo.
Hâc peste, centum multiplex serpentibus,
Extulit ad auras Cerberus stridens caput.
Nunc sileat anguis multiplex; currat dies
Per pura Cœli spatia. sic usus monet.
Laneus in orbem vinciat nexus comam:
Terno colore discolor cingat caput
Ter vitta; numerus inferos impar trahit.
Puniceus ignes, cærulus fluctus solet
Concire, furvus pallidos Manes ligat.
Percussa Diti sanguinem mittat sacrum
Sinistra vena. Sanguis hic Diti datur,
Quem reddet hostis arte mactatus meâ.
Nunc exeratur Virga; quam, noctis nigris
Defensus umbris, dexterum nudus pedem,
Gelidas ad Arctos, falce cantata, suâ
De matre raptam, fronde fraxineâ exui,
Silente Lunâ: Libra dum somni pares
Æquaret horas. pellit hæc Cœlo diem,
Vt libet, & atrâ nube subtexit polum:
Hîc fulminantur ictibus Ceraunia
Majore numero: sudat in templis ebur:
Inopinus ignis transvolat: manat cruor:
Succussa tellus subsilit: mugit solum:
Culmina laborant: maria curvatis tument
Fluctibus, & æstus naufragas Phocas agunt.
Venena nunc spargantur, & raucæ strigis
Avulsa vivæ viscera, & serpentibus
Expressa sanies: spuma Gorgonei locum
Prævitiet anguis: hostis, & furtim modo
Sublectus unguis: ungue nunc hostis lito:
Mox corde, si quid carmini, Pluto, faves.
Stat omnis ordo sceleris. In ritus sonent
Carmina venenis nostra non istis minùs
Metuenda. Mundus vocibus primis favet.

Hic fit terræmotus, & obscuratur locus.

Tremefacta tellus nutat, aufugit dies,
Omina probantur prima, succedet nefas.

Sequentes Trochaici, totumq; incantamẽtum altâ, & feráli voce pronunciandum.

INferi specus Barathri, semper inamœnũ Chaos,
Semper intẽpestũ, semper nube mœstificâ obsitũ,

Turpis

Turpis ô gementûm ſedes turpium, illætabilis
Tænari præceps hiatus, lucis ô vivorum egens,
Orbus orbis ô nocentûm, vosque Avernales lacus,
Lividæ paludes, vosque torridæ ripæ vado
Igneo liquentis ſulphuris, miſtim quæ fervidis
Fluctibus rotatis noxias animas, hoſtes poli : (co.
Vos precor, vos ſupplex ſacris corde nõ ſano invo-
Tuque rector atræ noctis, triſtis umbrarum Deus,
Criminis repertor primi, ſceleris inſtructor novi,
Ductor iræ certus, iræ facilis aſſenſor meæ,
Tu meis, quæ grata perpetrantur, aſſiſtas ſacris :
Vulgus audax huc effũde, effunde violentũ impetũ,
Subdolos indute vultus, verſipelles & dolos,
Verſipelles effer artes, ſubdolos monſtra dolos :
Digna te patrantur ; hic dies tuas poſcit manus.
Exequor ſceleſtus, malles exequi quod tu, ſcelus.
Ducat orbem virga triplicẽ; ſiſtat in medio gradus.
Cujus unguẽ ſpargo, poſcit cantus hic pœnę caput.
Age, diræ noctis arbiter,
Arbiter Orbis, age.
Ades, omnis fraudis artifex,
Ætheris horror ades.
Mea corda præſens obſide,
Viſcera fige mea.
Cujus unguẽ ſpargo, poſcit cantus hic pœnę caput.
Pice ripas linque fervidas,
Plus mea corda calent.
Face cor triſulca percute,
Non ſatis ira furit.
Rege noſtræ tela dexteræ,
Dextera noſtra tua eſt.
Cujus unguẽ ſpargo, poſcit cantus hic pœnę caput.
Tibi ſi tepeſcit ſanguine
Hoſpitis ara frequens ;
Tibi ſi cruore menſtruo
Luna renata rubet ;
Tibi ſi venena Colchica
(Triſte miniſterium
Sceleris) per omnes ordines,
Per caput omne fluunt ;
Cujus unguẽ ſpargo, poſcit cantus hic pœnę caput.
Tibi ſi puer cunabulis
(Nil tamen ille miſer
Meruit, parens nec flebilis)
Tactus ab enſe perit ;
Tibi crebra ſi jugalibus
Imminet ira toris ;
Cujus unguẽ ſpargo, poſcit cantus hic pœnę caput.

Duce te libens, te præside,
Si ſcelus omne ſequor ;
Tua juſſa ſi capeſſimus,
Vel renuente Deo ;
Tua ſigna ſi producimus,
Quà Deus ipſe vetat ;
Cujus unguẽ ſpargo, poſcit cantus hic pœnæ caput.
Age, diræ noctis arbiter,
Arbiter Orbis, age.
Ades omnis fraudis artifex,
Ætheris horror ades.
Cujus unguẽ ſpargo, poſcit cantus hic pœnæ caput.
Tibi zona diſſolutos
Explicat ad terram ſæpe recincta ſinus.
Tibi vitta per ſuſurros
Implicuit magicos tempus utrumque triplex.
Tibi læva turbinatas
Pars alit in fraudes irreligata comas.
Tibi vena rore rubro
Sæpe ſiniſtra meo vulnere læſa fluit.
Tibi virga, circinato
Pulvere, non notas ducit ab arte notas.
Tibi ter notatus orbis
In triplices cogit nomina terna dolos.
Tibi verberata tellus
Ad magicos cantus agmina juſſa movet.
Criminis ſator triformis,
Clari vaſtator Olympi,
Ductor ô ſerpentipedum catervæ ;
Lucis horror, almæ lucis,
Sancti fœdator honeſti,
Concitator nimbiſonæ procellæ ;
Guttur ô trilingue, monſtrum,
Veri deſertor, & æqui,
Arcis obſeſſor glacialis audax ;
Multiplex genus draconis
Lernæ pollentius hydra,
Squameæ dux centimanus cohortis ;
Multiformis artis auctor,
Patrii populator honoris,
Cui Meduſæo gemit angue crinis :
Mille monſtra, mille vultus,
Fraudum tibi nomina mille,
Huc ades primi ſceleris repertor ;
Horridi turmas Averni,
Cocytia monſtra recenſe,
Vulgus eructa furiale terris.

Hic latratus canum exprimitur : flamma per rimulas penetrans viſitur.

Audior : tenentur vota :
Terno jam gutture latrat
Carceris cuſtos truculentus imi .
Peracta vis eſt ſceleris : infernus vapor
Trifidas ter, anguis inſtar, evibrat faces,
Cùm, vere primo, diſcolor tergi notis,
Sub Sole ſpiras ſolvit, & linguis micat.
Neſcio quod Erebus horridum exſpumat ſcelus.
Id quidquid eſt, haud moris aſſueti eſt, reor,
Ita ſit. Quirini regna quatefiant dolis :
Temerentur aræ crimine : inſonti fluat
Regia cruore : quidquid eſt clarum, occidat :
Cadat hoſtis in me : dummodò per me cadat.

Hîc, aperto antro, monſtra prodeunt variis formis : Cerberi, Hydri, Centauri, Draconis, Harpyiæ, &c.

TYA. Malè agis, ſatelles turpis; hinc greſsũ amove
Rediturus ore lætior, vultu, gradu.
Graſſamur aſtu : fœda ſimulacra exue
Artibus inepta : Viperas frontis breves,
Torquem draconis flexilis, piceas faces,
Setas rigentes pone. quæ ſceleri nihil
Proſunt doloſo : fallere ignaros paro.
Molire faciem callidis aptam dolis :
Oculis amicum quære Romanis decus.
Membris, coactâ nube, compoſitis placent.
Prætexe ſpecimen fraudibus. noſti modum.
Si quæris ex me, dulcè quæ viſus meos
Ætas laceſſat : flore vernanti lepos,
Iuvenile flagrans, ſpiret animoſas minas :
Quem vos amatis, ater infuſcet color
Efficta membra, qualis Æthiopas ſolet
Vini miniſtros regii : quales Duci
Barbara Syene nutrit, & paribus jubet
Pharetris Ephebos ire : vel quales citò
Præire docuit, more famulari, gradu
Nini uxor audax, Bactra dum bello quatit,
Mentita ſexum puberum turmas agens.
De more gentis, crinis intortus, brevi
Criſpatus orbe, flexiles cirros dabit.
Certent labella purpuræ, dentes nivi :
Aures Erythræ degravet pondus teres,
Et nuda colli flava præradiet cyclas,
Baccata gemmis brevibus : armillis graves

Ambæ coruſcent arte Mygdonia manus.
At crocea veſtis, barbaro ritu fluens,
Zephyros procaces provocet: geminis pareo
Humeris utrimque pendeant auro illitæ
Manicæ: fluentes religet admorſu ſinus
Rutilo pyropus: ſura Sidonio decens
Niteat cothurno: gemmeo lævum latus
Suſpenſa nodo muniat (gentem decet)
Harpe recurvus enſis: ex humeris ſonent
Pictæ pharetræ: fronte primori lita
Guttis mitella luteis, fingat comas.
Nec ſegne vulgus, artium aut poſco rudes:
Saltu, palæſtrâ, literis, cantu, fide,
Cæſtu, ſagittis, puberes celeres volo.
Regale munus apparo. hæ laudes placent.
Dapibus venena dulcibus tutò latent.

Hîc monſtra in cavernam redeunt.

At me, doloſa monſtra dum fraudes ferunt,
Confingere alios ſubdoſum vultus decet.
Prætendat aſtus humilis in vultu pavor,
Frontem ſerenet riſus incertæ ſpei:
Æquata pellat ruga mœrorem gravem:
Suſpicio ne qua retegat inceptum ſcelus,
Redeat ad oris priſtini mores color.
Sinus recincta veſtis undoſos legat:
Adſtrictus ora detegat crinis ſacri
Turbinis: Iarchæ munus, auri circulus
Lucis hodiernæ pollicem ritè ambiat.
Hoc ille pignus ferre diſcipulo dedit
Vates futuri, ſiderum interpres, meæ
Fictor juventæ, fonte Tantaleo madens.
Monumenta fidei, dixit, hæc noſtræ cape,
Tyanee: vitæ fume tutamen tuæ.
Adſtricta vis eſt orbibus fulvis ſua,
Suumque nomen ſingulis, ſeptem capis:
Numerum dierum numerus æquavit ſacer.
Noſti Magorum ſcita: Memphitim quoque
Ogdoada noſti lege replicantem dies.
Nomina dierum ſingulos orbes notant,
Sacer anulorum eſt numerus, & nomen ſacrum eſt,
Sacer uſus etiam: debet aptari ſacris
Vt quemque Sol evolvit ad numerum diem,
Ejus diei, forte quem nomen notat
Ex ordine orbem pollici inſertum gere.
Munitus illo, regna conſpirent licet,
Solvantur orbis cardine effracto Poli,
De morte mediâ liberum expedies caput.

Hæc

Hæc fatus, Hecaten pollici aptavit: dies
Ogdoadis alter ibat: ex illo die
Expers pavoris pectus objeci omnibus
Vltro periclis; ſoſpes emerſi omnibus.

Hîc iterum ſit terræmotus, & ignis è cavernâ.

Contremuit ecce terra: Tænario ſpecu
Emicuit ignis. Erebus ornavit dolos.
Matura fraus eſt. Anime conſurge, & vaca.
Exite, Iuvenes: ore pellaci vafræ
Conſilia mentis tegite: non uno mihi
Crimine probati rapite, non uno mihi
Crimine probandi, ſpiritũ hunc veſtrũ in chorum:
Vexate monſtris pectus inceſtum novis.

Hîc exeunt ſexdecim pueri ad ludos exhibendos, Æthiopum more veſtiti.

Exite, cauſa fraudis, & pretium meæ:
Numero vocanti turba reſpondet Stygis.
Vt ſemper, Erebe, crimini noſtro faves!
Ne fructus operæ pereat, hic vobis dies
Reus innocentis victimæ votum luet.

SCENA TERTIA.

Tyaneus ſexdecim paredros per Fulvium Valentem Coſ. ad Domitianum mittit.

APOLLONIVS TYANEVS. FVLVIVS VALENS CONSVL. PAREDRI.

TYA. SEd ecce, vitæ fortis aſſertor meæ,
Ex more noſtrum Conſul affatum petit.
Hujus rogatu Cæſar horrendi ſpecus
Mihi vincla demi juſſit: huic ſaltem ſua
Officia proſint: feritur huic noſtrum ſcelus.
Servite Iuvenes: tempori ficti meo,
Sepite denſi latera famulari globo.
Inviĉte ſalve Conſul, Aſſaraci genus,
Tutela noſtri capitis, & noſter Deus.
CONS. Majora meritis loqueris, eſt laudes citra
Tuas, & infra vota, Tyanee, omnium,
Studiumque amici, ſi quid impendi tibi.
Perimere cùm te vellet, evictus prece,
Domitius iras poſuit, exſilium dedit.
TYA. Pœnam putabam; munus exſilium vocant.
CONS. At ſpatia. TYA. Novi. brevia conceſſit viæ;

Vnius

Vnius ægrè lucis extorta eſt mora :
Et amputaſſes aliquid ex iſto licèt,
Nimium impetraſſes. ſæpe momento brevi
Momenta magna rebus infœlix trahit.
CONS. Crudelis ut bis eſſet, incluſum die
Excluſit orbe : ſpatia definit loci
Longinqua. TYA. Sed jucunda: cum Græcis ero
Epheſo receptus. CONS. Iſta quis, quæſo, priùs
Vulgarit, uni credidit quæ Rex modo
Mihi, & id ſeorſum? TYA. Cũcta qui præſens videt,
Auditque cordis hoſpes, & ſoſpes DEVS.
CONS. Comperta memoras : ſæpe præcurris meas
Tyanee, voces. TYA. Vota præcurram quoque
Tua, Conſul : olim ductor hos faſces dabis,
Quos nunc, Tyranni munere, acceptos geris.
CONS. Iſta DEVS aliquis viderit : nunc hoc age.
TYA. Lactare verbis Principes non eſt meum.
Natum benigno fidere, & dextro Iove
Ad regna ſeries certa ſtellarum trahit.
CONS. Exilia nobis mœſta : defeſſus malis
Diſpone tu, præſidia quæ vitæ putas ;
Meo paratu cuncta non parcè feres.
TYA. Regale, Conſul, pectus in donis probas.
Nunc multa Conſul, plura mox Cæſar dabis.
CONS. Volveris eodem: regere, qui norunt, regant.
Partes ſecundas agere tam tutum reor,
Quàm mihi decorum. Fare, quæ glomerat latus,
Hæc unde pubes atra ? qui juvenes domo ?
Qui genere? TYA. Sobolẽ, Conſul, Æthiopũ vides,
Iuvenes abuſque Solis æſtivi plagâ,
Claros parentum gloriâ, claros ſuâ.
Hos Theſpis Epheſo ſervus adduxit meus :
Gratum Tyranno munus hos duci volo,
Qui Regis iram leniant. CONS. Vti foro,
Tyanee, noſti ; machinam fortem admoves
Nam dona Reges, dona conciliant Deos.
TYA. Pirata, multis uſus officiis meis,
Sidonius Ægon, hoſpes, & Patris vetus
Subjecta Cancro regna dum velis obit,
Et littorales ſtrenuè prædas agit,
Meroën aduſque vectus, hunc omnem gregem,
Dum fortè gentis ludicro exercet diem
Portis ſub ipſis herbido in campo, manu
In ſervitutem aſſeruit : & procul ab domo
Avexit Epheſum, miſit, & dono mihi.
Procerum fuiſſe liberos, vultus docet.
CONS. Videtur, oris indoles ſpirat genus.
TYA. Ex grege fuiſſe regio, niſi pejerat,

Hic

Hic ipſe planè dejerat cuſtos gregis.
CONS. Credibile narrat: puberes tales, merum
Miſcere ſoliti, regiam menſam ambiunt.
TYA. Iuvenes in omni laude præſtantes: pedum,
Iaculi, palæſtræ, barbiti, linguæ, manus.
Hos educavi à parvulis, & pro meis
Habitos amavi ſemper, & dixi meos.
CONS. Vt ipſe taceas, multus, haud dubiis notis,
Eminet in ipſis auctor: in vultu ſedet
Tyaneus ipſe, mirus animorum artifex.
TYA. Vſus ad omnes, omnium gnaram artium,
Atque expolitam litteris pubem omnibus,
Græcis, latinis, barbaris, per te Duci,
Si fas, dicabo lucis acceptæ memor.
CONS. Tyanee, quondam magna debentur tibi:
Minora merito quæris; id facilè impetras.
TYA. Ars mira pubis (munus ut dignè queas
Ornare verbis) poſſe Saturnum gravem
Amœnitate frangere, & genio Iovis.
Cultura ſolers fecit, horarum omnium
Ingenium ut eſſet ſingulis, varium, elegans
Fertile, jocoſum, volucre, verſutum, vafrum,
Petulans, ſed aptè; ludicrum, ſed non leve:
Gratè facetum, ſuaviter mœſtum in loco,
Animis juvandis facile, numerorum omnium.
Ad diluendas miſerias natum ſcies.
CONS. Quid, ſi Deorum prædices clarum genus,
Tam multa narres? TYA. Multa, ſed vera eloquor.
CONS. Mercede tanta civitas vendi poteſt,
Exilia nedum longa donari reo.
Tyanee, juſſam mitre meditari fugam.
TYA. Quin tute, Conſul, indolem juvenum vide.
Oculis obito corporum ductum, ac ſtatum,
Flexuſque doctos ludicro in ſpectaculo.
Agite, Nigelli ſpecimen ingenii edite.
Simulacra pugnæ more gentili, chelys
Committat index: miſtus armorum ſonus,
Et plauſus aeris agmen ad numerum citet,
Infeſta binis tela diducens choris
Mox dubia turbet arma, delphinum modo,
Cum Libyca prono maria diſcurſu ſecant.
Si quando veſtram poſſit hic artem dies,
Verius, & uſquam utilius abſumi nequit.
Nam mos amico geritur, & digno velim
Placere; per quem placeo, ſi placeo, omnibus.

Hic Paredri Pyrrhichen, ludicram armorum pugnam, ad chelyn ſaltant.

PAR.

PAR. Age nigra quate cohors,
Quate cita pede ſolum.
Age gravis, age potens
Dea rege, Dea præi
Rata bella pubis atræ,
Fera corda quæ laceſſis.
PAR. Miſeri ficto ludere bello
Arma jubemur; quibus amiſſo
Orbe paterno (numinis iras
Diſce ſeveri) ſemper amaros
Rumpere queſtus, ſemper acerbos
Noſſe dolores datur. Exulibus
Licet hoc tantum, promere queſtum:
Nullo queſtu vincere luctus.
PAR. Age, nigra quate cohors,
Quate cita pede ſolum.
Age gravis, age potens
Dea rege, Dea præi
Rata bella pubis atræ,
Fera corda quæ laceſſis.
PAR. Miſeri fictis cogimur armis
Paſcere viſus: quibus, erepto
Iure ſerenæ lucis, Olympus
Vetat æternùm cernere Solem,
Dedit æternùm cernere noctem.
Ede querelas, mœſta juventus.
Tantum hoc miſeris datur exulibus,
Pectora longo rumpere queſtu.
PAR. Age, nigra quate cohors,
Quate cita pede, &c. ut ſuprà.
PAR. Miſeri, varium volvimus agmen,
Ludere juſſi: quibus abſtractis
Aurea Patris ſepta negantur:
Vbi verna die ſpirat amico
Aura Favoni ſemper: & almâ
Luce ſerenant prata colores.
Prome querelas, genus infelix,
Tantum hoc miſeris licet exulibus.
PAR. Age, nigra quate cohors,
Quate cita pede, &c. ut ſuprà.
PAR. Genus ah quondam, genus ah fœlix,
Iuvenes ſævo ſidere nati.
Qui dum temerè per prata vagi,
Vrbe ſub ipsâ, bella ciemus,
(Aliud pugnæ genus illud erat)
Procul à patriis finibus acti,
Omne laborum genus experti,
Cogimur acres ferre dolores.

PAR.

PAR. Age, nigra quate cohors,
Quate cita pede, &c. ut ſuprà.
PAR. Miſeri jam tum cœpimus eſſe,
Cùm, ſub primo limine lucis,
(Ducis ab furias) rapta ſecuti
Vexilla, gradus tulimus contra.
Nullâ natum ſcelus ex causâ
Querimur nullo minui luctu.
Alium ex alio viſimus orbem:
Alium ex alio volvimus æſtum.
PAR. Age, nigra quate cohors,
Quate cita pede, &c. ut ſuprà.
PAR. Flebile vulgus, malè nata ſeges,
Erit an umquam, fortis ut acres
Numinis iras tua damna levent?
Numquam miſeris, numquam dabitur
Alium vitæ noſſe tenorem:
Miſeri fuimus, erimus miſeri:
Nulla dolorem finiet ætas:
Dolor, & nullas finiet iras.
PAR. Age, nigra quate cohors,
Quate cita pede, &c. ut ſuprà.
CONS. Exilia juvenes flebiles plorant ſua.
Exilia redimet ille ploratus tua.
Exul fuiſti: municeps ſalve meus.

SCENA QVARTA.

Pueri Chriſtiani audito profano cantu, quem Flamen Dialis indixerat, ſe ad Chriſti, & Mariæ laudes canendas animant.

CHORVS EX PVBERIBVS CHRISTIANIS DVPLEX.

CHO. 1. HVc nos adire feſtus hortatur dies,
Ab Exquilinâ ſede dimiſſos: mane:
Hic ſceptra parvis Flaviis Cæſar dabit.
CHO. 2. Hac ſacra magnus verba condixit ſenex
Zebedæus æde: caſta quam viſit Fides,
Et Pax, ſororque pacis, & mitis Pudor.
CHO. 1. Hæc tecta, fœlix prole fœlici, tenet
DOMITILLA mater: neptis hîc CHRISTO placet,
DOMITILLA virgo: &, vera ſi rumor ſerit,
Huc remeat hodie Cæſarum fœlix parens
CLEMENS, decoræ purpuræ æternum decus.
CHO. 2. Agedum, corollis impedi mecum caput,

Canora

Canora pubes : fume, ſi lætus dies
Arriſit orbi : Roma ſi, miſſo Iove,
Chriſti recepit fræna. CHO. 1. Ne vivam ; niſi
Deſipere caſto gaudio nobis licet.
CHO. 2. Audiſtis, Vrbe cantus ut totâ ſonat
Inſanientûm puberum ? quantum Deûm
Flamen Dialis juſſerat, tantum canunt
CHO. 1. Portenta rerum mille, Iunonem, Iovem,
Phœbum, Dianam, Liberum, Cererem, Palem.
CHO. 2. Quid non? Pavorẽ, Februum, Peſtẽ, Dolum,
Iam nunc propitia numina, hæc dum ſic colunt.
CHO. 1. At nos tacemus Virginis caſtum genus
CHRISTVM, decoræ lucis, & vitæ ducem ?
Qui tantus animos urget oblitos ſtupor ?
CHO. 2. Age ; provocemus impios cantus pio
Carmine, corollis paribus umbrati comas.
CHO. 1. Quis ſcit, minores carmen an noſtrum piè
Imitentur olim, ſæculi in ritum novi ?
CHO. 2. Neſcio quod olim ſæculum certè meus
Præſagit animus aureum : cùm ſe Deus,
Exſibilato Numinum infami grege,
Oſtendet orbi verus : & CHRISTO duce,
Terras habebit caſta virtutum cohors.
CHO. 1. Auguror. amicè numen advertit Deus.
Meliora Mundo ſecla meliori precor.
CHO. 2. Ingredere ductor : nexiles flores manu
Inſere, canorâ voce dum nectis preces.

CHORVS

Continet laudes Chriſti, & B. Virginis.

PARODIA EX HORATIO.

CHRISTE, virtutumque potens Virago,
Aureum Cœli decus, ô colendi,
Nuper & culti : date quæ precamur
Tempore ſacro.
Quod Sibyllini monuere verſus,
Sæculo feſtas referente luces,
Vos quibus ſeptem placuere colles
Dicere cantu :
Vere Sol, vultu nitido diem qui
Promis, & celas, aliuſque. & idem
Naſceris : malis nihil Vrbe Roma
Viſere majus.
Rite ſpem terris aperire certam,
Lenis, ô Virgo, Superûm voluntas :
Sive tu mavis hominum vocari
Soſpita mater.

Diva,

Diva, producas ſobolem, patrumque
Proſperes ritu meliore curas.
Vxor & ſervet thalamos feraces
Lege maritâ.
Certus ut denos decies per annos
Orbis à primo revolutus, aris
Puberum cantus, referatque ſacræ
Frugis honorem.
Voſque veraces ceciniſſe Vates,
Quod ſemel diâ docuiſtis aurâ
Carmen, en ſæclis bona jam peractis
Pandite ſæcla.
Fertilis laudum, decoriſque tellus
Laureâ donet meritâ labores
Abluant mentes & aquæ ſalubres,
Lenis & aura.
Condito mitis, placiduſque telo,
Supplices audi pueros, Trionum
Nobilis vindex Michaël, & aurei
Vltor Olympi.
Roma ſi, verſis Solymis, coruſcæ
Arx erit dextræ memor, & tuarum
Magna pars laudum, tripliciſque ſedes
Certa Tiaræ.
Cui per undoſum ſine fraude marmor
Petrus, & ſacris patriis ſuperſtes
Paulus has nuper reſeravit arces
Soſpite curſu.
Vos probos mores docili juventæ;
Vos ſenectuti placidæ quietem;
Romulæ genti date vos honeſtæ
Lucis amores.
Quinque vos centum veneratur aris
Iuris Antiſtes, decoriſque CLEMENS
Regnet in victos facilis; ſuperbos
Acer in hoſtes.
Auguror: triplex diadema Romæ
Subditis Medus pharetris adorat:
Iam Scythæ reſponſa petunt, repoſti
Nuper & Indi.
Iam Fides, & Pax, & Honor Pudorque
Priſcus, & Cœlo Pietas aperto
Viſitur vulgò; tumuitque pleno
Gratia rivo.
Acer, & vultu roſeo decorus,
Chriſtus, & claræ dominator Vrbis,
Qui ſalutari levat amne feſſas
Crimine mentes.

Si Vaticanas videt æquus arces,
Remque Romanam, Latiumque fœlix;
Alterum in luſtrum meliore ſemper
Proteget ævo.
Quæque Aventinum tenet, Algidumque
Quindecim Diana nefas virorum,
Cedat; & virgo melior Latinas
Imbuat aras.
Hæc Patrem ſentire, Deique Matrem
Spem bonam, certamque domum reporto
Doctus & Chriſti Chorus, & Parentis
Dicere laudes.

ACTVS SECVNDVS.

SCENA PRIMA.

Flavius Clemens rure redux, à filiis quos recèns domitianus adoptarat, excipitur: at eos ille de regni periculis monet.

CHORVS. FLAVIVS CLEMENS. VESPASIANVS MINOR. DOMITIANVS MINOR, EIVS FILII.

CHO. VIdeóne reducem Flavium, patriæ patrē,
Aulæ propinquum, proximum Auguſto caput?
CHO. En illa rerum certa noſtrarum fides.
Hic ille pacis auctor, hoc ſidus togæ
Clemens Latinæ, fida Chriſtiadum ſalus,
Firmamen orbis, inclytum Regum genus.
FL.CL. Declive linquens mollis Vſticæ latus,
Quà Fabaris humor vitreo ſerpens vado,
Murmur volutat ſaxeo cluſus ſpecu,
Adſum: propinqui Regis accitu redux.
CHO. Ad dona Regni dignus optari, redis.
CHO. Non fama mendax dona vulgavit Ducis.
FL.CL. Aliquod ſalutis pignus hic ſpondet dies,
Meos Sabinos, arduis ſparſos jugis,
Et gelida Tempe patrii quondam ſoli,
Otia ſereni ruris, & nulli loca
Pervia procellæ, regna privatæ togæ
Guſtata poſt imperia plebei laris,
Mutare juſſus Dardanæ Romæ jugis,
In ſtrem revolvor anxiam, & regni vices.
CHO. O te beatum! liberos tandem vides
Famulantis orbis jura tractantes, pater.

CHO.

CHO. O nos beatos! ſera qui quamvis, Deo
Auſpice, videmus regna terrarum, piis
Conceſſa natis, lege frænari patris.
CHO. Tandem vocatum rebus afflictis adeſt
Numen benignum; reſpicit tandem ſuos.
FL.CL. Nuper quietis liberæ tacitum ſinum
Vt abdicatis faſcibus, cupidè petî
Exconſul, omni mente complexus polum;
Quæ mira viſu cæterî rentur bona,
Vexata magnis ſceptra miſerabar malis.
CHO. Altâ receptus arce ſecuræ domus
Meliùs, quod infra fluctuat, cernit, ſuum
Extra periclum poſitus, alieno dolens.
FL.CL. Mirabar acri regna lacerari metu:
Expoſita prædæ dona fortunæ rapi:
Vndare turmis vaſta legionum ſola:
Firmas, adactis machinis, urbes quati:
Obliterari cladibus clades novis:
De cæde cædes, bella de bellis ſeri.
CHO. Quàm vera narrat! decuit huic regnũ dari,
Qui bella deteſtatur, & paci ſtudet.
FL.CL. Alios, avitâ ſede contemptâ, procul
Alio calentes Sole meditari plagas;
Terrâ relictâ, regna ventorum ſequi;
Exercitatas fluctibus Syrtes rate
Obire fragili, belluas ſiccis truces
Oculis natantes cernere infidi maris;
Arcere tabula mortis exili minas,
Tenuemque ſpem ſuſpendere è rudentibus:
Vt pauca purgamenta, nequaquam metu
Quærenda tanto precia, concharum legant:
Quo lana ſaniem varia Sidoniam bibat,
Bis aere Tyrio merſa. CHO. Terrarum pudor,
Probrumque! tincta ſceptra queîs tabo placent.
FL.CL. Altè repoſtas itur in venas ſoli;
Paſſim, regeſtis inferis, tellus hiat:
Everberati luce tabentes genas
Manes, diei lumen inſuetum pavent:
Rimantur aurum, meliùs in terris ſitum,
Ferrea quod ætas extrahit; nocentius
Ferro per uſus ſplendidos pejus furens.
CHO. Vt unus auri geſtet articulus notam,
Quàm multa teritur opere difficili manus!
FL.CL. Tum gemma collũ, gẽma diſtinguit caput;
Gemmæ ſiniſtram, dexteram gemmæ gravant.
Illuſa conchis aſperis ſoüallet chlamys.
Sordes adoptat pulvis Erythræas Arabs.
Aures rotundi murices laſſas trahunt.

CHO. Quibus obſoleſcit animus, his corpus nitet.
FL.CL. Hinc jam labores cernere operoſos licet.
Statuuntur ecce, Regio ſumptu, domus,
Ingentis inſtar urbis amplexæ ambitum.
Atria columnis fulta millenis ſedent:
Immane viſu, celſa murorum minis
Moles in auras arduum exertat caput.
Excluſa jactis maria cæmentis, retro
Abiere: pontus, fine contracto, brevis
Denſis natatur piſcibus: ponto incubans
Vndas opacat penſilis ruris nemus:
Digeſta laxis ſpatia porticibus ſequi
(Per tot remenſum retro reſponſus fugit
Penetrale ſedis intimum) aſpectus nequit.
Variata ſaxo tecta Tænario, calent
Strepitu clientûm: turba famulantûm terit
Achate limen lubricum inviſæ domus,
Prætexta gemmis aula, populorum capax,
Explicat avara dona longinqui maris:
Pictæ lacunar aureum tollunt trabes:
Certata paries bella Gangaridum indicat.
Hic vel ſuperbis ſplendet auleis nitor,
Vel fila tendit varia belluatus labor,
Seu quem Sophenæ, ſive quem Phryges trahunt.
Elephante dives albicat ſecto torus:
Elephante texto culmen auratum albicat:
Conchyliatâ veſte pulvinar ſacrum
Geniale ridet: barbaro luxu domus
Hilareſcit omnis: ſpirat effigies Ducum
Folle aut Lyſippi ducta, vel cælo Scopæ:
Simulamen oris, arte quod mirâ faber
Extudit. CHO. Vt, inter poſteros priſci ſenes
Poſiti, nepotum ſtudia degenerum arguant.
FL.CL. At tripode fulvo ponitur lautæ gulæ
Fulgens ſupellex, cymbium, crater, ſcyphus,
Patera, catinus, urceus, lebes, onyx,
Lychnus, ſalinum, fuſcinæ, guttus, calix,
Solium, paropſis, trulla, lanx nugæ meræ.
CHO. Ridenda cæcæ dona Fortunæ hic putat.
Meliora forſan mente complexus tenet.
FL.CL. Tum citrea menſa pluribus ſurgit locis
Sedes per amplas. Lucet in menſis nitor
Aureus; &, uſus qui ſit argenti, memor
Numerare cuſtos neſcit: è ſcripto docet.
Quod apparatu quæritur tanto bonum?
Materia ſcelerum facilis. CHO. E luxu potens
Animi libido. CHO Cordis excordis tumor.
CHO. Preſſurus alios faſtus. CHO. Effrænis furor.

CHO.

CHO. Opulenta egeſtas, opibus in mediis inops.
CHO. Invidia vecors. CHO. Mœror exanguis. dolis
Ambitio fallens ſemper invidiæ comes.
CHO. Et illa mentis Helena deceptæ procax,
Decorum Charybdis, terra populatrix opum,
Legum ſepulcrum turpe, virtutum rogus,
Laudum Voluptas prodiga, & fraudum finus.
FL.CL. Hoc fonte derivata vitiorum lues
Omni redundat clade per populos vaga.
Aurum fititur impium; hoc precio manus
Ferrum laceſſit, ſanguinis gliſcit ſitis,
Inſtigat auri ſacra dum gentes fames.
Armatur ecce claſſico audito phalanx,
Vt ſpes in auro fulſit hoſtili levis.
Viduantur urbes pube juvenili, modò
Nimiùm frequentes: vacua fareſcunt viis
Solata vacuis tecta: collapſæ domus
Sidunt in alto pulvere, & dominos premunt.
Et quaſi ruinis terra non pateat ſatis,
Velivola torvum bella ſollicitant fretum.
Hic decolore cæde cœrulei maris
Marmora rubeſcunt; claſſe lunatâ phalanx
Inſtructa, telum ſpargit, & quaſsâ rate
Inſultat ardens; monſtra ſaturantur dape
Squamea cruentâ: cæde pingueſcit ſeges
Inarata campis: horridis albent agris
Diſjecta latis oſſa. Sic ferrum nocet,
Dum petitur aurum. CHO. Vtroque fic fœtu, gravis
Fœcunda culpæ, ſæcla, non tantùm ſibi
Prodiga, ſed etiam fluctibus, tellus parit.
FL.CL. Scelus inquietæ pacis effari piget,
Vltima malorum, maximum vitæ probrum,
Quodlibet egeſtas ſuadet, & patrat nefas.
CHO. Nec minùs inermis ſævit armato furor.
FL.CL. Lites avari civis exſurdant forum,
Hîc lingua præpes verba divendit reis,
Emptas, & aures voce venali tenet.
Natis parentes, fratribus fratres, avis
Malum nepotes aliquod infenſi creant:
Hoſpitibus hoſpes, civibus civis, viro
Vxor, ſorori damna molitur ſoror.
CHO. Certatur æquo jure, certatur malo.
FL.CL. Livor, beati liminis cuſtos, pedè
Timido per aulas errat: adjunctus comes
Aſſiduus Angor rebus in lætis adeſt.
Pectore ſubeſo Cura prætendit gravis
Inane frontis gaudium: greſſu arduâ,
Demiſſa vultu graditur Ambitio impotens:

Ofura, cui blanditur, Invidia anteit.
Expoſita Regum capita tot populis ſcias,
Quot aſſequuntur. Regna, non Reges amant.
Cùm patuit aditus Regiæ, cautus Dolus,
Odiumque Regis intrat inviſi ſimul,
Tectumque ferrum. rara fœlicem fides
Comitatur: Aulam Veritas primam fugit.
CHO. Decus invidendi nominis falsò placet.
FL.CL. Gemmâ venenum bibitur: & pauci diem
Obiere ficci morte maturâ Duces.
Ad Ditis umbras trita nobilium via
Capitum, per ipſa jura ſocialis tori,
Per fœdus hoſpitale, per dulces dapes.
Quoties renatus ſubmovet noctem dies,
Toties Tyrannus naſcitur. nam quid moror,
Exempla promens? Cæſarum ſpecta genus.
CHO. Cui, quod recuſat innocens hoſtis, nocens
Pyxis propinqui fecit, & menſæ cliens. (docet.
FL.CL. Quid fando memorem ſcelera, quæ luxus
Quàm blanda tàm nefanda, Lernæis magis
Ramoſa monſtris? creſcit ex pœnâ lues,
Ferroque ab ipſo pullulat fœdum malum.
Luxuria, peſtis blanda, nil ſanctum putat;
Nil impudicum: quidquid hæc juſſit, decet.
CHO. Titulo ſepulcri digna res: octo viros
Infamis uxor, quinque per meſſes, rogis
Denupta mittit: cùmque tam ſæpe improbus
In nuptiales ardor exiſtat faces,
Numquam ad pudici pectoris mores redit.
FL.CL. Matrona caſta, rara: cui ſudat Cilix,
Methymna ſpumat, navigat Phœnix, arat
Ægyptus, ardet Colchis, Alpini gelant,
Meliboea texit, colligunt Seres, micat
Dubio Corinthus ære, depectit Lacon,
Piſcatur Indus, Noricum paſcit pecus.
CHO. Numero beati damna ſervitii docet.
FL.CL. Innuba maritæ diſcit, & ridet probrum,
Iam matre pejor, Virgo: maternis procis
Blandâ renidet fronte, ſed ſervit ſuis.
Gradus per omnes errat ætatis calor.
CHO. Aſſidua nutrimenta cui dubiæ dapes,
Et preſſa prælis uva Lesbois dedit.
CHO. Nulloque ſegnis judice abruptus ſopor.
CHO. Aurique fulgor, & rigens gemmis labor.
FL.CL. Spectat puella matris effœtæ nefas,
Longæva patris probra condiſcit, puer.
Iam marcet ætas fracta: jam ſulcat genas
Putres ſenilis ruga: defectum riget

San-

Sanguine cadaver; fervet in venis tamen,
(O pudor, & imis offibus fixum nefas !)
Vivax libido : cordis exufti vapor
In cinere vivit. Summe pro rerum fator
Prô prifca virtus! quid juvat fas, aut nefas ?
Quid jura profunt facra conforti tori,
Si cæcus ardor mentis ex animis fidem,
Numen, pudorem, jura, pietatem fugat?
Quid expiata nuper infontis D E I
Profunt cruore fæcla, fi nullum nefas
Oblita tellus præterit ? terræ quota
Ablura pars facinore deleto caret?
Colluvio fcelerum varia, populorum lues,
Exempla per tot peftis antiquæ fluens,
In nos redundat : fæculo urgemur gtavi,
Quod te, per ipfa cædis oblatæ precor
Divina dona, lucis æternæ fator,
In nos amoris mitte fententum jubar.
Et, quos acerbæ cædis abfterfit liquor,
Ignibus honeftis fanctus exurat calor.
Vt te, tuorum terra meritorum memor,
Vereatur olim melior, irrifo Iove,
Rex CHRISTE Regum, patriæ mentis vigor,
CHO. Pignus beatæ pacis, optatæ jubar
Geminum falutis, Flaviæ fidus domus,
Munimen Aulæ, Cæfarum fœlix genus,
Ad reducis ecce prodit adventum patris.
VESP. Nati parentem, Roma quem votis petit,
Remeaffe falvum mente gratamur piâ.
FL.CL Facilè probatis indolem notam patri :
Quam fuftinete, ô filii. DOM. Vultus tuus
Defideratur rebus in lætis, Pater.
FL.CL. Nihil effe lætum conftat in terris diu.
VESP. Sunt ifta, Genitor, vera, quæ narras : tamen
Ad prima Romæ vota gratari decet.
DOM. Commiffa natis aula te pridem vocat.
VESP. Te frater, ultro regna partitus fuis.
FL.CL. Partitus etiam cordis affiduos metus,
Curas edaces, fortis ancipites vices.
VESP. Regnare, genitor, poffumus patrui fide.
FL.CL. Quâ regnat ipfe. VESP. Munus hæc faciet ratum. (decus.
FL.CL. Inftabile regnum. DOM. Maximum vitæ
FL.CL. At inquietum. DOM. Parta quod fundat quies. (tes tegunt,
FL.CL. Armata femper, VESP. Arma, quæ gen-
Tenuiffe pulcrum eft. FL.CL. Bella, quæ gentes pavent,

Odisse præstat. VESP. Sæpe sed pacem ferunt.
FL.CL. Sæpiùs amorem cædis, & luctus graves,
Et vastitates urbium, & Regum rogos.
DOM. Si tela jaceant, audeant quidvis mali.
FL.CL. Vtinam jacerent : læderet nemo bonos.
VESP. Publica quiete causa privatâ est prior.
FL.CL. Sit melior etiam : multa bellorum tamen
Vitia decori nominis specie latent.
VESP. Malè sustinentur regna, si friget manus.
FL.CL. Eadem obteruntur, cæde si semper calent.
Invisa nemo sceptra possedit diu.
DOM. Invisa paucis, plurimùm virtus clepit.
FL.CL. Invisa paucis creditis ? quisquis bonum
Ait esse regnum ; quisquis eximium putat,
Suum esse mavult. mira qui credit bona,
Aliena quærit. Gentium huic omnes greges
Adscribe numero, nemo fœlicem vocat,
Nisi comparatum : nemo fœlici studet,
Nisi comparandus ; invidet, quisquis cupit.
Hic ipse custos lateris, hic fidus globus,
Hoc assectarum mentis examen piæ,
Ne nostra, vereor, sæpiùs quàm nos, amet.
Non, quæ decora, tuta sunt semper : mihi
Credite ; pericla splendidis verbis placent.
DOM. Ne fidat ergo quispiam cuiquam doces ?
FL.CL. Preciosa si sunt scelera, sic planè reor.
Proposita merces stimulat audaces manus.
Gratuita nulla est noxa, sit quamvis mala.
Aliquid petebat, cùm quis invasit nefas.
Exigite mecum dicta sic, Nati, mea.
Si pulcra sunt, & mira, quæ circa locum
Vestrum remident ; ampla si vulgus canit ;
Stipata circum turba miratur stupens,
Inhiatque pulcris : fulgor attonitos trahit
Oculos, & animos : dulcis aspectus rapit.
Hinc jam cupido cordis accensi furit,
Eodemque partu livor obliquus fatus.
Nam quod decorum cupidus, & rarum vocat,
Idem assequendum censet, & sperat statim.
Si falsa spes arrisit, hoc ipsum, improbè
Quod expetendum credidit cæcus furor,
Mox invidendum, cupidus ut frustra fuit,
Animus sequentis censet, ex cupido invidus.
VESP. Præclara verè, vera præclarè exigis.
DOM. Quis deget igitur mente tranquillâ, Pater,
Invisa regna possidens ? FL.CL. Qui nec cupit,
Nec extimescit quidpiam, qui nec dolet,
Gaudetque temere, sceptra qui gestat, citò

Reddere

Reddere paratus, juſſit ut reddi DEVS;
Fœlicitati fræna qui novit ſuæ
Injicere, mentis rector; & voti potens
Numquam reflantis extimet ſortis minas.
Stat mole celsâ rectus, & certus ſacri
Delibrat animi vota, ſecurus cadant
Quo regna talo: læva ſi pennas quatit,
Aliis datura dona, quæ dudum dedit
Fortuna nobis: ille ſi, cenſu ſuo
Metitus, æquâ mente deſpectat fugam
Aliò ferentis rapta meliori bona;
Non ora mœror, verba non mutat gravis
Spiritus ab alto ductus; haud ullæ exedunt
Curæ gementem, corde ſecluſæ ſacro.
Virtute quippe ſemet involvens ſuâ,
Suo beatus, liberè mentis canit
Sapiens receptum rebûs humanis prior.
Sin certa manſit; facilè non animum tamen
Levat inſolentem cordis inſani tumor,
Faſtidientis ſi quis, obſcuro lare
Editus, acervos ſpectat haud plures ſuis
Ardentis auri: premitur, & vultum regit
Cives in omnes juris æquati tenor:
Eſt animus idem, frontis eſt idem color:
Nil verba ſupra civium voces ſonant.
O quàm beatum eſt, fine præſcripto ſequi
Arbitria mentis integræ; rebus modum
Statuiſſe certum; noſſe quâ pulcri notâ
Conſilia fœdis caſta ſecerni queant;
Qui limes æqui; meta quæ recti; duos
Quæ ducta fines inter ad verum decus
Linea feratur: ſigna quæ rebus ſuis
Sapiens inurat arbiter: ſeu quas fugâ
Declinet ultro, ſive quas ultro petat:
Tenuiſſe, quid ſit omnium rerum Patri
Commune nobis: jure quàm ſancto coli
Iuſtitia fœlix debeat: tum quid DEO,
Quid ſit ſecundò patriæ dandum piè:
Quæ pars propinquos tangat officii: quoto
Gradu receptus hoſpes humanâ in domo
Sit homine potior: civibus civis probè
Quid largiatur: pauperi quantum affluens
Emetiendum dives ex pleno putet:
Sibi quid amicus poſcat: inimicus, ſibi:
Iras in hoſtem quatenus fas ſit geri:
Vt mitis hominum mater, humanum genus
Commendet homini lege primævi patris
Natura, nomen publicum, nulli invidens,

Benevola, ſuavis, dapſilis, conſtans, pia.
An ſimile quidquam regna Romulidum dabunt ?
VESP Romana regna quæris an quidquam dabunt
Huic ſimile, quæſo ? melius hoc, Cœlum nihil
Largitur homini. DOM. Melior hoc ipſe eſt DEVS.
FL. CL. Hæc ſatis ad ædes. Vxor, & neptis valent?
Satísne ſalvæ ? DOM. Prorſus ex animo fluunt
Omnia. VESP. Quod optes, omnis hilarata eſt do-
Famulus, amicus, mater adventu tuo. (mus;
DOM. Domitilla virgo, ſervus, affinis, cliens.
Tuum hoc cor eſto, patre pro reduce, Pater.

SCENA SECVNDA.

Præfectus Vrbis Cæſarum adoptatione latus milites luſtrari iubet.

PRÆFECTVS VRBIS. MILITES PRÆTORIANI.

PRÆF. ADverte mentem, Miles; auditus bona
Effabor. Hodie Flavios juvenes, ſacræ
Stabilimen aulæ, dulce Romulidum decus,
Imponit Orbi Cæſar ; ut laceræ rei
Componat artus. Vota terrarum omnium,
Commune Romæ gaudium, plebes, Patres,
Equites ſequuntur ſcilicet : ſtudiis ovat
Populus Quirini : feſta celebrantur Deûm
Delubra : ſacris thura liquefiunt focis :
Ornatur altum Flaviæ columen domus,
Vnde auſpicari regna Veſpaſii ſolent.
Auguſtus ipſe geſtit, & tanto libens
Subducit humeros ponderi : Auguſto favet,
Et ritè votis Roma ſubſcribit ſuis.
Nunc eſſe noſtri muneris, Miles, reor,
Studiis adeſſe, vota populorum ſequi,
Decreta Patrum, Regis imperium, novæ
Auſpicia trabeæ, Cæſarum geminum jubar.
Curſu citato Miles è caſtris redit,
Qui clauſtra regni, limite inſeſſo tenet:
Adeſt Atlantis terror, & Gangis metus :
Et qui pruinas tolerat Arctoas, adeſt :
Et quî Latinum perpeti cogit jugum
Babylonis arcem : ſola Romanæ togæ
Ceſſat juventus ? Ite, quò cunctas opes,
Fortuna vergit : Ite (quod vertat bene)
Quò jura Romæ prima tranſcribit DEVS.
Explete partes, partis aſſenſu cito :
Officia ſera, magna ſint quamvis, jacent.

Luſtretur

Luſtretur agmen. Luſtricum in morem, gradu
Iuſto explicetur ordinum notis cohors
Adjuncta ſignis. diſcolor campum occupet
Effuſa legio. Signifer, pubem præi :
Pubes ſequatur antecedentem Ducem.
Caſtris movendis increpet notus canor :
Lituo remiſta carmen elidat tuba.

Hic luſtratur agmen Militum.

SCENA TERTIA.

Domitianus Chriſtianam religionem ferro flammâq; aboleri iubet, magnoq; ſtudio profana ſacra procurari, ludos quoque exhiberi in gratiam adoptatorum nepotum.

DOMITIANVS IMPERATOR.
FLAMEN DIALIS.

IMP. An ? Latina ſacra Iudæi expuunt ?
Iugulentur, obruantur, incenſi flagrent.
Tantósne Solymis ſpiritus verſis gerit
Recutita proles ? FLAM. Alia Iudæo ſeges
Admiſta curto, nomen inſeruit novum
Subnata veteri. Principem quendam crepat
CHRISTVM, Pilato judice, exactum in Crucem.
IMP. Ridicula ſemper monſtra Iordanis creat,
Ne non Anubin Nilus Hortenſem colat.
FLAM. Imò, quod ipſe Nilus explodat nefas,
Illum triumpho nobilem terno, canit
Vivere ſubactâ morte : demiſſum neci
Populaſſe Stygia regna : Tænarium Ducem
Oneraſſe vinclis : caſſa vitali die
Corpora, ſepulcris, illius nutu, quoque
Excita narrat : deinde victorem polo
Credula redonat : perque Majorum globos
Spoliis opimum, Ditis exuviis gravem,
Aëra ſecantem, pube glomeratum alite,
Proſequitur, & reponit in ſceptrum Patris,
DEVMq; Patrem jactat, & Natum DEVM,
Æternitate generis æquævum Patri.
IMP. Aures bibaces quidquid infundas, bibunt.
FLAM. Arcana reſtant. hactenus ferri poteſt
Delirus error gentis, & cæcus furor.
IMP. Eſt, quò probroſus error ulteriùs ruat ?
FLAM. Eſt, imperator. IMP. Perge. nõ novi omnia.
Si ſemel Apella cœpit, in præceps abit,

Vt

Vt ſibi videtur fortis, & fato obvius.
FLAM. Eſt Myſus hoſpes prodigè mendax domi,
Sinone pejor. IMP. Nota Myſorum eſt fides.
FLAM. Is ſacra gentis, more gentili, colit,
Aut colere ſimulat: callidè ſe ſe gregi
Inſinuat, ore præferens ſenſum pii.
Obſtipa cervix, mœſtus in vultu rigor,
Inſana labra, crinis impexus viro,
Talare tegumen veſtis, & furvus color:
Dentes adeſi turpiter ſcabro ſitu:
Caries aduncis unguibus livet nigra:
Is mihi reperta narrat, aſtutè impius.
Aurora poſtquam noctis humentem polo
Dimovit umbram, jubare ſub primo, ſacrum
Initur. Ater populus huc furtim affluit,
Numero timendus. IMP. Infimæ fæcis reor.
FLAM. Hæc fama fertur, vulgus hoc paſſim canit.
Errat. timore longiùs ſerpit nefas.
Nec plebe continetur immenſum malum
Sed clara jam per nomina è gurguſtiis
Illuſtre facinus prodit: in majus palàm
Exitium eundo creſcit; ut quondam vides
Vndare flammas, validus à tergo Notus
Si, cùm reluxit ſemen occultæ facis,
Vortice ſonanti incumbit in denſum nemus:
Aut cùm ſonoro flumen illuviem freto
Meditatur agris: vere ſeu primo trahens
Nivium rapinas: ſive majoris vehens
Humoris incrementa, jam ponto imminens,
Iam ſe tributo turgidum undarum extulit
Vndique coacto: gracilis ad fontis caput
Vix gramen undâ rorat exili breve.
IMP. Contage fœdæ labis expertes vacant
Proceres? an illos crimen infecit quoque?
Quid iſte Myſus narrat? FLAM. Obſcurè negat,
Et dubia muſſans verba ſub linguâ movet.
IMP. Servile forſan vicit ingenium metus.
FLAM. Aut empta pretio, Cæſar, addubitat fides.
IMP. Sunt templa? ſunt delubra? ſunt Aræ ſtatæ?
Qua ſede fœdis vulgus operatur ſacris?
FLAM. In Vrbe vaſtâ quodlibet ſe ſe ſcelus
Impune jactat. Certa non illi domus,
Nec una ſedes vulgus innumerum rapit:
Paſſim per Vrbem regnat. Exquilias ferunt
Caput eſſe gentis: ille Myſtarum locus,
Hæc ſtatio certa: varius huc ordo fluit.
Vbi ſe pudendis imbui ſacris PVDENS,
Principe Nerone, paſſus, egregii notam

Generis

Generis recepit primus hoſpitii fide,
Vt hoſpitalis jura violaret Iovis.
IMP. Audita memoras: notus ex vultu ſenex
Animo recurſat: hujus inſtinctu ſenis
Olim Senator nominis primi PVDENS,
Ex orbe toto profuga Chriſtiadum ſacra
Intulit in Vrbem primus, & Latio hoc malum
Inſevit ultro: dubia lanugo mihi
Signabat ora: flamma cùm vento cita
Depaſta primò proximos Circo lares:
Mox pervagata longiùs, quidquid novem
Sæclis cruento Marte ſudavit labor,
Pacata quidquid peperit Æneadûm manus,
Abſumpſit: imas tandem ad Exquilias ſtetit.
Et hinc retortum, rurſus exuſtis locis,
Latè volumen peſtis accenſæ ſonat.
Hæc inter, ipſe tempus umbratus ſacrâ
Vtrumque lauro, chlamyde ſtellata Nero, &
Sardonyche fulgens, ſede conſpecta editus;
Plectrum laceſſit, Troicum excidium canens,
Vetuſta damna ludicrè aſſimulans novis.
Vſtæ flagrabat Vrbis invidiâ Nero.
Emanat ecce rumor extemplo, ſenis
Illius eſſe crimen Æneadûm luem,
Hauſtaſque flammis Vrbis ingentes opes.
Proinde noxam luere ſupplicio ſenem,
Et Vaticanum verticem cæde imbui.
Hæc fama vulgò ſparſerat. ſed rem Patres
Aliò trahebant: improbè inſanum Ducem,
Odio æſtuantem Civium, ludo impio
Agitaſſe fœdos patriæ inviſæ rogos.
Nunc vindicandæ fraudis averti notam,
Diffugia quæri ſceleris, Hebræi ſenis,
Sed immerentis, nomen obtendi Duci.
Ad reliqua perge: gentis arcanum ſacrum
Expone. FLAM. Poſtquam cœtus opplevit domus
Penetrale tacitum. Myſta præfatus DEI
Ex more honorem, latice luſtrali abluit
Populum apprecantem. Sede ſublimi ſimul
Inſtruitur Ara veſte barbaricâ: vigil
Prælucet ignis: Pallas in vitro natat,
Alimenta præbens. opere Muſivo locus
Variatur omnis: triſte monumentum necis,
Venerantur auro plurimo accenſam crucem,
Et hinc, & illinc arte diſpoſitæ micant,
Et Dædaleas nutriunt ceræ faces.
At ipſe quiddam immurmurans ævo gravis
Antiſtes, aræ ritè ſuccedit loco,

Vtrumque

Vtrumque ſeptus pube ſacrificâ latus.
Præraſum amictu linteo obnubit caput.
Dein alba lino texili ad talos fluit,
Prolixa tunica : fune quam torto ſtatim
Adſtans miniſter undique in nodum legit :
Vocant maniplum, læva quem nexum manus
Subſtricta geſtat ſericum : palmum brevis
Menſura ſuperat operis : è collo ſtola
Demiſſa pendet : opere tum phrygio chlamys
Adaperta utrimque, divite injectu ſuper,
Exterior humeros, pectus interior tegit.
Spoliis referri vera ſimulatis putant,
Injurioſas Principis quondam notas.
Hoc apparatu Myſta præfulgens, preces
Præit, & favere poſtulat linguas preci :
Exin ſuſurro carmen arcano premens,
Concepta verba, voce ſubmiſsâ, brevem
Orbem ſacratæ Cereris ambabus tenens
Palmis, in ipſam emurmurat frugem priùs :
In dona laticis deinde vitigeni incubans,
Rata verba promit : aureum poſt hæc ſcyphum,
Vt ante frugem, verticem elatum ſupra
Tantiſper adſtans manibus oſtentat ſacris.
Procul ore populus cernuus, nixus genu,
Sublime rapta dona devenerans, piè
Suſpectat, & clam vota prænarrat DEO.
Hæc ſumma ſacri : quippe vim quandam notis
Præmurmuratis eſſe non dubiè autumant,
Certam, efficacem, vividam, expreſſam, citam :
Adeò ut ſequacis numen eliciat DEI
In ſacra dona frugis, & vini illico,
Modò rite perpetrarit Antiſtes ſacrum.
Non eſſe verba : ſanguinem vino ſtatim
Subire, frugi corpus abeunti citum :
Et eſſe cum ſpe ſanguinem planè docent,
Idem diſertè corpus, & juſtum quidem,
Et undequaque partibus plenum ſuis,
Et explicatum, & arduo dignum viro,
Quod ille quondam CHRISTVS, exhauſtus nece,
Geſſiſſe fertur. Ille nunc ergo DEVS
Homo ille mirus, ille bis natus, DEO
Semel parente, matre mortali ſemel,
Æternus, & mortalis, & vitæ parens,
Et mortis ultor dictus : audivit ſimul
Arcana verba, fruge depulsâ, ſimul
Inſinuat, aſtris lapſus, in frugis globum,
Et in liquoris penetrat ejecti locum,
Imago facti viva, ſimulamen necis,

Amoris

Amoris irritamen, exemplum ſui.
Blanditur oculis, naribus, linguæ color,
Odor, ſaporque panis, ac vini quidem:
Vtrumque verè, quiſquis hæc credit, negat.
Tegumenta tantùm panis, & vini manent:
Quæ citima ſenſus hominis attingunt levi
Specie, ſed intus quidquid eſt, ipſe eſt DEVS,
Idem ille CHRISTVS, quantus æquævo Patri
Aſſidet, honeſtâ luce præcinctus comas:
Quantus rubente tela jaculatur manu,
Et nube vectus terga ventorum premit,
Sub orbe Cereris tantulo tantus latet.
Hoc incruentæ cædis exemplum, vocant
Quondam cruentæ cædis imitamen pium.
IMP. O ſterile mentis vulgus! En quorum meus
Hominum triumphum jactat egregium Titus.
FLAM. Ridenda, Cæſar, ſacra rideri putas?
Immò hæc coluntur, Cæſar, hæc gentes probant,
Hæc æmulatur Roma jam ſupplex palàm.
Non verba ſunt, Auguſte: deſpecto Iove
In Vrbe CHRISTVS regnat: obſcuro ſitu
Tumulantur aræ: victimæ nullæ cadunt:
Delubra valvis vacua reſeratis ſilent;
Quantum Deorum fœminæ Cœlo Deæ
Fœcunda partu Dyndime, Iuno, Venus,
Latona, Semele, Eleuſa, Cyrene, Thetis
Peperere, periit: vindicas ni tu ſcelus.
IMP. Omitte queſtus; enſe cùm ſtricto eſt opus.
Subtexe ſi quid reſtat, & cuncta edoce.
FLAM. Ad hæc (amici tantus eſt ardor DEI)
Poſt pauca verba myſta, quem Cælo modò
Traxerat, honorem Cælitum libans, DEVM
Avidè latentem fruge ſub geminâ vorat
Attonitus, & ſe major, & Divo ebrius.
IMP. Saris id amicè tamen: & hæc populus videns
Iejunus ipſe patitur abſumi DEVM?
Quid ille? FLAM. Saturo ſupplicans myſtæ favet,
Saturandus ipſe poſtmodùm. IMP. Fare ociùs.
Epulum triumphi regium audiri placet.
FLAM. Effertur ecce pyxis ex arâ capax:
Hac multa frugis fruſta ſervantur ſacræ.
Prorepit humili populus affuſus prece,
Inhiatque anhelans ferculum diæ dapis.
Orbem minorem frugis hinc myſta eximit:
Paulùm moratus, pauca præfatur piè
De more verba: deinde progreſſus virûm
Mediam in coronam prodigè parcus, brevem
Diſpenſat orbem in ſingulos fœtum DEO:

Eum-

Eumdemque CHRISTVM, millies mille orbibus
Vnum latentem, diribet. Tanta est fides.
IMP. Quo dona sensu vulgus hæc amens capit!
FLAM. Qualis Lyæo Mænas accepto furit,
Nemorosa lustrans nocte sublustri juga:
Catulis ademptis qualis ad Gangem fera
Virgata sævit: stabula vel qualis Lea
Vexat Libystis: talis ac major rapit
Populum æstuantem, fruge libata impetus,
Non ille famæ damna, nec vitæ pavet:
Tauros Berylli ridet: imperterritus
Intenta jugulo tela nudato excipit.
Voti vocatur summa, pro Christo mori.
IMP. Moriantur, istuc facilè donari potest.
Satis est querelis: reliqua nunc melius meus
Mucro peroret. Nostra tu, fidum caput,
Exequere jussa. dira lanienæ mala
Molire fortis: strenuè exerce graves
Artes doloris vinculis, flammis, rotis,
Sævis ferarum dentibus, lentâ fame.
Exhausta soboles esse nunc demum suo
Discat periclo vindices Divûm Deos.
Imperia Regum solvit irrisor Deûm:
Quicumque Superos lædit, & Reges simul.
Vis inquietæ plebis à Divis Duces
Deserere læsis discit. Haud parvo stetit
Regibus inulto scelere, contemptus Deus.
Despecta pietas jura regnorum obterit.
Hoc nempe regnum cardine immotum sedet;
Hoc dissoluto, strage cum Regum ruit.
Tu jussa propere sequere: quod flecti nequit,
Frangatur. Æquor quidquid horrendi expuit;
Hercynia quidquid nemora truculenti creant,
Quidquid Goastæ, quidquid Heniochi pavent,
Ingere. Procrustæ lectuli, pinus Scinis,
Diomedis aræ, squalor Augiæ gravis,
Odrysia mensa, lenta Mezentî lues,
Collata nostris levia sint monstris mala.
Nunc patria sacra festus instauret dies.
Limine sub ipso, sæculi in morem novi,
Preces virorum quindecim Phœbe audiat,
Phœbus virorum quindecim accipiat preces.
Epulentur aris, ritè sternantur tori
Per templa Divûm, quotquot Æneadæ Deûm
Posuere memores, veteris exemplo Numæ.
Cœlum vaporent thure succenso foci:
Et destinatas cæde votivâ inquinent
Ædes Clitumni victimæ. Sed vos penes

Istæc

Hæc ſacrorum cura, Pontifices, erit.
Vos alia, Cives, cura ſacrorum vocat.
Quod juſta Romæ ſtudia fortunet Deus;
Auſpicia Regni prima, quæ multùm, & diu
Animo voluto, ſæculo læti novo
Studiis ſecundis (dona quæ vertant benè)
Excipite mecum Flaviæ numen domus,
Geminum quietis pignus, & regni obſides,
Meos nepotes, bina Clementis mei
Lumina, meorum vota Romulidum aurea.
Iam nunc Quirites quos amant, cernant duces,
Veſpaſia geminos aula quos fœlix alit.
Exigite lucem ludicro, circi ſonent;
Theatra plaudant; pulverem primum legant,
Circenſe munus, fervidæ curſu rotæ:
Fixas tumente laxet Euripo rates:
Mœnibus Enyo clauſa, nec verâ minor,
Simulacra pugnæ claſſe commiſsâ ciens:
Arena Threces, Roſcios Scenæ dabunt.
Ipſi per Vrbem, militum invecti globis,
Iuvenes Quiritûm vota ſollicitent pia:
Mentiſque celſæ regium oſtentent jubar.
Præcipite nunc ſpem Principum, mox Cæſarum.

SCENA QVARTA.

Dum populus Romanus Idololatriæ vacat, Fl. Clemens ſuos cum muneribus ad S. Clementem Papam mittit, pro Cæſaribus Deum deprecaturos.

FL. CLEMENS. VESPASIANVS, ET DOMITIANVS CÆSARES. DOMITILLA MAIOR. DOMITILLA MINOR. NEREVS, ET ACHILLEVS. VIRGINES ANCILIÆ.

FL. CL. AT nos, recenti læta dum lauro ſuper
Piè ſceleſta Roma gratatur Deis,
Diverſa templis; caſta Chriſtiadum ſacra
Obire fas eſt: ritè veneremur metum
Chriſtum Deorum, Virginis magnæ genus,
Patrem ſalutis ſoſpitæ, & mundi ducem,
Ad Exquilinæ ſedis arcanam domum:
Vbi Rex Sacrorum maximus, triplici ſenex
Honore regni clarus, antiſtes Dei
Clemens, ad aras fruge cœleſti litat,
Humectus ora lacrymis, plenus Deo.
Præite, noſtræ dona fortunæ hæc Seni,

Fulvo ex metallo vasa divinæ rei,
Lychnos, acerras, urceos, pateras, scyphos
Ducite. salute plurimâ verbis meis
Augete Patrem. vota pro Regni statu
Narrate ad aras, mente quâ castos decet:
Mox ego, vocantis Regis affatu brevi
Perfunctus, adero: vota nunc absens sequor.
Tu, socia thalami fida, communis tori
Pignora dicabis Cæsares pueros Deo,
Tu virginali, virgo, comitatu preces
Prosequere, Achilleu, feminas deducito.
A me rogabis plurimum Romæ Patrem,
Vt hæc egenis flava, quos dignos putet,
Dispenset æra, pauca sunt; paucis tamen
Accessit animus dives, ut plura afferat.
Agmen movete, virgines; nulla est mora.
Vos ite mecum, liberi, ad Romæ Ducem.
Nereu resiste Christe, Rex Regum, fave.
DO.CÆ. Rosas, recenti rore gemmatas adhuc,
Has sume, mater. Plexile hinc sertum Cruci,
Monimentum amoris, rite redimiri volo.
DO.MA. Laudo pietatem: munus ætatem decet.
At cui dedisti corda? DO.CÆ. Cui, mater? Deo.
DO.MA. Quid tibi reservas? DO.CÆ. Mater, ut spero, nihil.
VESP. Domitilla, pacis osculum verbis meis
Libabis inter sacra; sed pacem refer.
DO.MI. Quid ipse reddes pacis acceptæ memor?
VESP. Si regno: setis horridis tegmen rigens
Reddam, & flagella bina, delitias tuas.
DO.MI. Astute pergis ludere? Ad Patrem citò.
VESP. At inter ipsa sacra ne, quæso, genas
Corrumpe fletu. Risit: at parcè, ut solet.
Verè hæc beata: larga cui pronâ manu
Munera redonat prodigum numen sui.
DO.MI. Textilia templo dona mea ferri jubes,
Discreta filo, mater? DO.MA. En, rectè mones.
Huc mihi quasillos, virgines. DO.MI. Flores ubi,
Opere variati Serico? VIRGO. Hîc ipsos vide.
DO.MA. Vbi vestis aræ, lucidis nuper mihi
Illusa gemmis! VIRGO. Cistulâ hac, Mater, fero.
DO.MA. Phrygii lacinias operis appendiculas,
Lilia repandis floribus, floccos rubros,
Cætera parerga subsuit? Vestem explica.
DO.MI. Quàm fontis unda, dona tã nihil hæc olẽt.
DO.MA. Laticis odori rore spargantur levi.
DO.MI. Afferte nimbum. VIRGO. Nimbus in cistâ latet.

DO.

DO.MA. Quid reliqua dona? ACHIL. Perge: provisum est probè.
Præite, pueri. DO.MA. Christe, nos, quæso, bonâ
Salute serva: luce, qua castos soles,
Perfunde mentes, obsecro, & præsens ades.
DO.MI. Tu quoq; secũdo sequere nos, quæso, pede,
Matrona Cœli, Virgo, virtutum parens,
Specimen pudoris, Cælitum, atque hominũ lepos.

SCENA QVINTA.

Tyaneus Fulvium Valentem excitat, ut imperium invadat.

APOLLONIVS TYANEVS. FVLVIVS VALENS CONSVL.

TYA. QVid influenti subtrahis regno finum?
Gratâ Deorum munus excipias manu.
CONS. Vt jure rupto sceptra terrarum auferam?
TYA. Vt sceptra gestes jure, quo reges solent:
Vt lege regnes, lege, quâ Romæ licet:
Commune jus; commune fas rectè voces.
Ius imperandi publicum in medio jacet
Positum occupanti: quod licet, Romæ decet.
CONS. Commune jus protegere, civile est magis,
Quàm rapere. TYA. Sed protegere, quod rapiat ista-
Deterior alius, civis ignavi est, reor. (rint
CONS. Quisquam insolentem civium civem ferat?
Novitate nostrâ regii juris decus
Respuitur: hæret capite privato malè
Inauspicati stemmatis princeps nota.
TYA. Id insolens, id Consul, appellas novum,
Id inauspicatum? Roma quam crebro ducum
Infesta pilis pila convertit, duas
Secuta partes? deinde victrici manu
Vltro recepit fræna, potiori obsequens.
Ne prisca fando dona Gracchorum sequar,
Ne sæva Cinnæ regna, ne Syllæ jugum;
Pharsalia, bis cruore Romano tepens,
Quid Consularem deceat ostendit ducem.
En ille princeps, publicæ obsessor Rei,
Ex Cive Divus, Cæsarum Cæsar parens,
Alpibus apertis, Marte civili gravis,
Genero subacto, sceptra possedit socer:
Dein patris hæres, melior Augustus patre,
Aquilam recepit militum: vindex patris,
Brutoque, Cassioque, Sextoque obrutis,
Augusta princeps decora gestavit togæ.

Exin Canopi regna, proſtratâ ferox
Ægyptiorum claſſe, vaſtavit manu.
Et, quà Jugurtha captus inceſſit viâ,
Hàc victor egit laureâ fulgens rotas:
Admota mammis Aſpis ex vero ducem
Ornat triumpho nobilem Mareotico.
Hinc longus ordo Cæſarum; hinc hæres Nero
Vltimus, & idem peſſimus Galbæ ſeni,
Et Galba Othoni lampadem Imperii dedit.
Othone pejor Aulus, & victo ſenex
Veſpaſius Aulo, vate me, regnum occupat.
Titus parenti, Domitius frater Tito,
Nec fratre melior, patre nec potior ſubit.
Is nunc ſuperbè, Cæſarum ſupra modum,
Animæ tumentis ſpiritum impurum efferens,
Patriam jacentem calcat: & templis Deus
Amat vocari: patre Veſpaſio ſatus,
Se genere tanto, ſcelere gratuito, abdicat:
Virgine Minervâ genitus, inceſto Iovis,
Audire mavult. Roma quid poſſit pati
Tentat, jubendo thura, mentiti patris
Fulmine coruſcus. Sceptra ſic ſordent ducum:
Tam vile nomen generis humani putat.
Odium Deorum turpe, populorum metus
Incedit aras inter; & Cœlo imminet,
Ritu Gigantum. Longa myſtarum trahit
Agmina, per urbem celſus, inviſum gerens
Diadema regni. ſtemma radiatum trium
Signis Deorum, capitis ambitu tegit
Vitium recalvæ frontis, & raram comam.
Hunc Roma Regem patitur? O nullo ſcelus
Credibile in ævo! pateris hunc, Conſul, ducem,
Quem dirus ardor cædis, & fœdi vapor
Impurus ignis vexat: inſtinctu fero
Rabidè ruentem, cæca quâ cæcum rapit
Tumidi ira cordis, pejor atque irâ Venus!
Dii meliùs iſta: prole qui nullâ virum
Hoſtem Deorum munerant: orbi Ducis
Collapſa rident regna: nec victi prece
Pignore labantem ſuſtinent aulam patris.
Ergo propinquum fratris aſciſcit genus,
Vt orbitatem fulciat viduæ domus.
Ridiculus aulæ Cæſares binos parat,
Quæ pellet unum. Regna non capiunt duos.
CONS. At flore primo vernat Auguſtum decus
Juvenum duorum: Roma pubentem indolem
Amplexa, mores patris in natis amat;
Vitaque nullâ labe tranſmiſſi dies

In

In ſpem Quirites maximam attollunt ſenes.
TYA. Memini Neronẽ Claudium, memini trucem
Ipſum hunc Neronem Flavium, Romæ Duces
Haud abnuendos, vota numerosè omnium
Expleſſe primo limine in regni rudes,
Nec dum paratos frangere alienos toros,
Nondum cruentos : fæda dein morum lues
Corrupit ambos. Prima cùm pubes viget,
Cùm floret ævi ſanguis integri recens,
Tum prima fervent gaudia, & regni grave
Non mole totâ pondus ignaros premit ;
Reges amantur, munere ætatis placent.
Vt cœpit ætas ire, deterior ſubit
Conditio regni : prima vaneſcit citò
Ætate virtus læta : fortuitum bonum,
Eadem & caducum, forma juvenilis fugit :
Hîc prima languent gaudia ; & feſſos Duces
Regnum fatigat mole jam totâ incubans.
Exempla doceant irritæ eventum ſpei,
Quam forma præfert Regis, aut ætas rudis.
CONS. Hîc certa ſpes eſt. TYA. Certa, quæ nondum
Matura baccam ? certa, quæ primum negat (dedit
Caduca florem ? certa, quæ dubiâ tumet
Blandita fronde ? certa, quam ſpondent duo ?
Vix unus uni credit, ita nulla eſt fides :
Credam duobus ? Roma vix unum feret.
Quin ipſe Regna fortis invade ociùs ;
Et te bonorum finge muneribus parem,
Quæ certa ſpondet chorea ſtellarum tibi,
Et fixus ordo temporum, & Cœli cyclas.
An ſine Deorum munere id factum putas,
Latiis quòd annum faſcibus Conſul notas,
Cum ſæculari tempus elapſu volat,
Et aula Regem vacua meliorem petit ?
Cùm dubia nutant regna, quò pondus trahant,
Et exterarum gentium variat fides ?
Cùm feſſa duro Roma dominatu gemit,
Et magna Divûm ſpreta majeſtas labat ?
Te feſſa poſcit aula meliorem ducem ;
Te dubia regem ſceptra terrarum vocant ;
Tibi ſe reſervat exteræ gentis fides :
In te recumbit feſſa Dardanidum ſalus :
Tu jura Divûm ſpreta tutari potes.
CONS. Heu rapior : & quò neſcio, ſed quâ ſcio ;
Incertus animi, certus arbitrii, æſtuo.
Regni hinc cupido, laudis hinc veræ calor
Vtroque pronum turbine ambiguo rapit.
Sic pinus æſtus inter in dubio mari

Luctatur anceps, regna cùm ponti tenent
Congressus Euro Zephyrus, Aquiloni Notus.
Eloquere, Marte vindicem regni decus,
An fraude ? fraude Marte spectatum pudet.
TYA. Vtrumq; pulcrum est, æqua cùm facto subest
Vtrique causa : dexteram fortem tamen
Accinge bello : fraude nunc nullâ est opus,
Cùm fluctuatur regia, & dono Deûm
In te Latinus ora conversus refert,
Aquilæque lapsus decidit gremium in tuum.
Præsidia Regni fida tu pubem prior
Præverte : Iuvenes Cæsares ultro cadent,
CONS. Tyanee cedo : tu vide me quò voces,
Ego te fidelem rebus in magnis ducem
Expertus aliàs, sponte præeuntem sequor,
Auspicio vocanti vela te pandam duce :
Tu flecte clavum rector. TYA. Aspiciat Deus
Bene cogitata : perge non dubio gradu
Ast ego Nigellos hosce (quod munus Deus
Malè vertat illi) pauca præmoneo : ut sui
Obire partes muneris doctè sciant,
Cùm, te jubente, regis aspectum petent.
In rem tuam prospicitur, hi quidquid movent.

SCENA SEXTA.

S. Ioannes Apostolus Romam venit, ut rem Christianam promoveat.

APOLLONIVS TYANEVS. PAEDRI.
S. IOANNES APOSTOLVS.
DISCIPVLI.

TYA. ABiit : secundo labitur Zephyro ratis
Hæc lingua mendax vicit : in tutum mea
Odia recepi : crimen in portu natat.
Tantisper hostis vivit, & lætus meo
Squallore regnat ? omnis in vultu est novi
Sceleris imago : verba sed dentur tamen
Vltima dolori : regnet : at regnet mihi.
Nunc vos, doloso nigra flagitio cohors
Allecta, blandum fraudis illicium meæ,
Animis adeste. sæva si cædis sitis,
Si vos adussit tristis invidiæ vapor ;
Eltote macti : fœdus hic vestros dies
Sedabit æstus : ulla si sedant tamen
Excidia vestras sceleris æterni faces.
Ferus hic Minervæ filius, crimen Iovis,
Regum tyrannus, laureæ Anchisæ potens,

At

At ſegne terræ pondus, eſt veſter, ſcio :
Quem rapite vobis : rapere vos meritum decet.
Numeros adulti ſceleris hic omnes habet,
Inexpiandæ labis immerſus luto :
Me melior uno : cæterum enervis, levis,
Iners, inane mentis humanæ caput.
Cur fruge terræ veſcitur ſtolidè ferox ?
Rapiatur : hoſtis noſter eſt : cauſæ eſt ſatis,
Quòd me ſuperbè vexat ; & veſtrum eſt dolis
Terras adortum perdere, & vobis parem
Scandere parantem ſcelere communi polum.
Si videor Erebo dignus, & doctum ſcelus
Si pejus aſtris, pejus & terris obeſt ;
Abripite monſtrum ſegne : jactura eſt levis.
An nihil ad omne crimen accenſum juvat
Habere pectus ſcelere conſulto ? nihil
Sociaſſe vobis cuncta perdendi fidem ?
Sed ſit dolentis cura Tyanei levis :
Quid ? ſumma rerum cauſa veſtrarum eſt levis ?
Nihil Deorum templa, nil aræ valent,
Nil lapſa Ditis regna, nil vacuum Chaos ?
At, niſi cavemus, ſtolidus hic cuncta eruet.
En, ille tradit fræna terrarum quibus,
Futilis, inepto ſcelere dumtaxat ferox.
Quos optat aulæ Cæſares ? caſtos duos
CLEMENTE patre, matre DOMITILLA ſatos,
Hoſtes Deorum, puberes CHRISTO ſacros,
Quàm malè tuetur, regiæ trabeæ allegit.
Igitur in urbe Martiâ, pulſo Iove,
CHRISTVS triumphet ? Iura bellorum, & togæ
Metus ille veſter, ille vaſtator Stygis,
DEVS ille dictus, orbe luſtrato, reget ?
Hoc columen orbis inclytum, has omnes opes,
Hæc ampla regna, Dite perdomito, obtinet.
Hac arce fixus ille, quid deinceps rei
Emoliatur, quempiam credo latet ?
Igitur reducta gentium pietas placet ?
Vobis adempto, ſancta virtutum cohors
Orbi redibit ? puriùs Cœli faces
Poſthac micabunt ? læta pax, caſtum genus
Terras tenebit, ſcelere ſuperato, pias ?
Obtrita Divûm ſigna, templorum ſitus,
Aræ incruentæ, veſter ex vero dolor,
Superûm triumphus tertius demum placet ?
Heu! bis ſubacti Ditis æternus pudor !
Hærere terris neſcit ejectus polo.
En quò duorum Cæſarum caſtus pudor,
(Niſi diſtinctis patrui enervis nefas)

En quò parentum ſtudia, quò, dono ducis,
Commune CHRISTO Romulum evadet decus.
Quin vos in aulam irrumpite ; & primi ociùs
Præripite fraudem temporis : ſtolidum caput
Servate fraudi : ſceleris incœpti truces
Exigite pœnas : patris inviſi genus,
Et decora caſtæ pacis emolimini.
Differte monſtris pectus impuri ducis :
Lacerate ſomnos cordis inſani æſtibus.
Diripite curas. Alius è Stygiis rogis
Raptas in ora fontis impingat faces,
Rabidamque diræ cædis inflammet ſitim :
Alius pavore territum, &, totâ vagum
Aulâ, repoſcat conſcium ; & pœnis ducem
Exagitet inſtans, viperis tortis ſonans.
Cætera tenetis, ite. PARE. Quis ſubitus mihi
Quatit horror oſſa? PARE. Nã quis inſinuat pavor?
PARE. Quid hoc? timorẽ miſcet an major Deus?
PARE. Miſcet profectò : ſentio certè Deum
Adeſſe. PARE. Vindex numinis virtus adeſt.
TYA. Quo dubia titubas nigra conſpectu cohors ?
PARE. Diffugite, ſocii, petite longinquas citi
Latebras. PARE. Perimus. TYA. Fare qui terror novus
Exanimat agmen ? magnus eſt, quando hi pavent.
PARE. Fulmineus ille terror, & doctrinæ apex,
Zebedæa quondam junior proles adeſt.
PARE. Aſiæ hic magiſter, una biſſeni gregis,
Quæ nunc ſuperſtes, vera Chriſtiadûm patet
Cortina rebus ; acer eloquio ſenex ;
Præcipua quondam cura mortali D E O.
TYA. Vnde hic repentè prodit ? O factum malè !
Nil potuit importunius. Victi ſumus.
Romæ Ioannes ergò, Tyaneo inſcio ?
Pudet fateri ; pectus huic ſoli ſapit.
Solum hunc timere quippe Tyaneus ſolet :
Examen, ædem Conſulis noſtri ſubi,
Hinc aucupabor verba : præſtantis viri
Vix ſuſtinere lumen, & numen queo.
DISC. Aliquem Cerinthus miſcet inſanus metũ ?
IOAN. Nihil hinc timemus; ſtrenuè hic fractus jacet :
Indocile veri pectus effodi ſtylo.
DISC. Expone nobis ordinem pugnæ, Pater.
Si quid juvare cognitus mentes poteſt.
IOAN. Ordine volumẽ cũcta diſtinctè hoc docet.
Hoſtis ſuperbè pertinax, CHRISTVM, DEVM
Negat Cerinthus : lucidum Cœli decus
Diſcerpit ergò : generis æterni immemor.

DISC.

DISC. Qua fronte? IOANN. Quam protrivit.
DISC. Humanum ſupra
Modum coruſca dextra nil hominem movet?
Mapale fulgens luce nocturnâ nihil?
Nil vagientis parvuli cunabula,
Tepefacta pecudum anhelitu? Cœlum nihil,
Sideris amici jubare vulgatum novo?
Nihil tributa Gangis, &. Regum ambitu,
Teſtata DIVVM thure Nabathæo plaga?
Nil diſſolutus alitum in choreas polus?
Nil alia centum ſigna non dubii DEI?
IOAN. Hæc ſi moverent, ſaperet: inſanè furit.
Ne tantus ergò in poſterum erumpat furor,
Libata leviter cæteris, plenè haurio
Arcana Verbi. Matris ingreſſi genus
Alii, vetuſtum ſemen ex alto petunt,
Et in his morantur: Ille, quæ morti objacens
Exhauſit ultro, Patris imperio obſequens.
Superiùs ipſe exorſus, æterna indico
Principia generis. quippe de DEO DEVS,
De Mente Verbum, Patris exemplum, Patri
Par erat, & æqui Numinis Numen potens.
Nondum ſerenâ luce ſtellatos globos
Tornarat auctor; Orbis aut molem in duos
Librarat axes; multiplex nondum poli
Verti volumen juſſerat; nondum fuga
Temporis obibat ſiderum ad numerum dies:
Secretus aſtris ignis ambitum ſupra
Aëra rubebat nullus: aut infra faces
Fluitabat aër ſubdito levior freto:
Non picta bruti riſerat ſpecies ſoli:
Cùm Mentis hæres patriæ, vivo è Patre,
Vivum refulſit ſpecimen æterni boni,
Candor decoræ lucis, ubertas DEI,
Copia paterni pectoris, Verbum Patris,
Filius, imago mente fœcundâ emicans,
Virtutis ævo, & numine æqualis Patri,
Æternitatem continens ſummi boni.
Exterior, atque inferior eſt mundi nitor,
Immanè quantò! lege, quâ juſſit faber.
Poſterior illo temporis volucris fluit
Ad juſſa Cœli ſpatia declivis rota.
Molitor operis ergò cùm varii Pater
In membra mundi certa ſecrevit Chaos,
Deſcriptor operis adfuit Natus Patri,
Certaſque certis rebus adſcripſit vices.
Nec ſine Parente Natus, aut Nato Parens
Quidquam, quod extet uſpiam, rerum extudit.

Nec, opere ficto, ſubtrahit ſeſe DEVS:
Adeſt, & æquâ lege, conſtanti fide,
Cùm Mente Verbum temperat mundi vices.
Et vitæ in ipſo ratio divinæ viget,
Ipſumque Vita & Lucis eſt ſemen ſuæ,
Et Lux in ipſo, luce quod cuncta irrigat.
Nec nox in illo eſt ulla, nec vitæ vices,
Quem lucis almæ regit inacceſſus dies.
Hoc igitur almum Numen, hunc fœtum DEI
Sine matre quondam Patre fœlici editum
Ne quem Cerinthus ducat in fraudem impius,
A capite magnæ prolis expedio genus;
Expertus olim lucis ingenuæ bonum,
Cùm Patris ille juſſa ſuprema exequens,
Iam noſter, & ſub carne mortali DEVS,
Vtriuſque fœdus generis æternum dedit.
Hæc ipſe teſtor, ipſe tractavi hæc manu;
Numinis amici hæc uſus alloquio ſequor.
Nam ſimile Patri ſpecimen affatu dabat,
Qui ſimile Patri ſpecimen aſpectu gerit.
Nunc ite, ſocii: cura vos alia huc tulit.
DISC. Quę te, exigentem pulcra, ſepoſita in domo
Pauliſper uſum temporis furto brevi,
Et providentem plurima humanum in genus,
Et conſulentem poſteris doctè, ut ſoles,
Huc rurſus egit cauſa feſtinum, Pater?
IOAN. Reditus amici, cauſa properandi fuit,
Animuſque gratus, quæque CLEMENTI meo
Officia tempus quærit, & reddo libens.
Suo ex Sabino, Regis accitu virum
Remeaſſe Romam, & fama ſermonis meas
Afflavit aures; redditæ & dudum mihi
Noti fideles affore hîc illum monent.
Veniſſe ſalvum; regna Romanæ rei
Ceſſiſſe parvis Flaviis; lætum diem,
Et prima pacis ſigna gratari decet.
CHO. Num forma viſus falſa fruſtratur meos?
Aſiæ ſalutem cernitis, Cœlo vagam
Aquilam miniſtrum fulminis, caſtum ſenem
CHO. Eſt ipſe; reducis petite conſpectū Patris:
Adeſte, cives: aureum ô verè diem!
Quàm multa Cœli congruunt in nos bona!
IOAN. Hæc quæ, corollis nexa, nos pubes petens?
Et unde prodit, ſigna lætitiæ efferens? (docet
DISC. Noſtra hæc juvētus. IOAN. Noſtra de vultu
Genus eſſe ſanctum, placida Chriſtiadum indoles.
CHO. O pater, & ô Magiſter. CHO. O morum artifex.

CHO.

CHO. O dulce vitæ fidus. CHO O ſalve, Pater.
IOAN. Vobis abundè dona divina affluant,
Pueri : Latini generis effigiem en vide.
Sudore proles digna non noſtro hæc erat ?
CHO. Erat profectò : quando nil cuiquam negas.
IOAN. Dicite, Quirites nobiles, votum meum,
Mei laboris palma, ſidereum genus,
Quæ res profuſam flore præcinxit comam ?
Non ille, credo, ritus, & cultus levis,
Redeunte ſęclo Roma quem Divis novat.
CHO. Non, pater: ut illos fulmen extinguat tuum
Velut ante PAVLI fulmen, & fulmen PETRI.
IOAN. Quæ cauſa flavas igitur ornavit comas ?
CHO. Fortuna noſtri læta CLEMENTIS, Pater.
Non ergo noſti ſceptra Romani ducis
Dediſſe patruum Flaviis ? TYA. Nondum dedit.
Quædam eſt amico utriſque Tyaneo mora,
Dum decora capitis apparat, regni inſulas.
IOAN. Novi: quid ergo? CHO. Pace quod CHRI-
Poſthac licebit, pacis inſigne indui. (STI frui
TYA. Ne nimis inepto gaudio pecces, vide.
Adibo : magnum ſtrenuè excipiam ſenem.
Quid, anime, ceſſas ? perge, cur ſegnis ſtupes ?
Aſiæ magiſter, ſceleris extinctor, Pater
Invicte ſalve : jura Dardaniæ rei
Regia redire Cœlitum CHRISTO Duci
Gratulor, & orbis ſæculum verè novum. (dit,
IOAN. Quis tu? TYA. Nec oris notus aſpectus re-
Nec fama ſaltem nominis noſtri admonet ?
Tyaneus hic eſt. IOAN. Ille contemptor DEI ;
Tyaneus hoſtis ille virtutum omnium ?
Inſigne verò columen, ô ſalve, rei.
TYA. Nos ergo noſti? IOAN. Peſſimũ novi quidẽ
Hominem cruentum, perfidum, impurum, levem,
Varium, tumentem ſcelere, perjurum, efferum,
Infame monſtrum, generis humani luem,
Legum Charybdim, vorticem laudum, rogum
Decorum, baratrum criminum, Euripum doli,
Syrtim, procellam, turbinem, peſtem, ſcelus.
TYA. Viris at iſta parciùs, quæſo, ſenex.
IOAN. Parciùs ? at omnes attigi nondum tuas
Laudes : tuarum capita virtutum hæc erant.
Abi. TYA. Superbè ſceptra geſtatis nimis.
IOAN. Nimis es ineptus ipſe, ſceleratum caput.
Abi nefande. TYA. Mitior certè fuit
In me tyrannus : exſuli donat diem.
Durè. IOAN. Cadaver criminum non hinc abis ?
TYA. Abeo. Sed aliquot exſules, comites fugæ,

Oppe-

Opperior. ante lucis occaſum ſcies :
Vel forſan illos antecedentes ſequar.
IOAN. Aliquid cruentæ vultur hic prædæ videt,
Sortitus oculis vulnus. haud ſanè placet.
Iuvenes cavete : ſceleris hic palmam gerit.
TYA. Si pote, cavebunt. IOAN. Perge: nõ ſemper (ſcelus
Fœlix ſequetur : inſtat à tergo DEVS.
Vindicta non eſt ſera quæ tandem venit.
Quæ pœna lentè graditur, haud leviter ruit.
At tu ſalutis auctor, & patriæ potens
Regnator aulæ ; cujus ad nutum citæ
Veniunt procellæ, fulmen excuſſum pavent
Vtriuſque Solis diſſitæ longè plagæ ;
Extolle tandem ſigna virtutis, precor :
Ordire mundo ſæculum verè novum.
Redire terris audeat per te decor :
Per te reductus regnet in terris amor.
Oenotria CLEMENS regna moderetur parens
Nunc : alius olim, ſtemmatis triplicis potens.
Sed vos ſecundo carmine ingentes DEI
Geminate laudes, Puberes : mundi Ducem
Efferte cantu. CHO. Virginem dici licet ?
IOAN. Quidni licebit ſiderum incinctu caput
Dici ſerenum, & Sole diſcincto ſinus
Vndique fluentes, ſubditam, & Lunæ facem ?

CHORVS
CHRISTIANORVM DVPLEX.

Continet laudes Chriſti, & B. Virginis.

CHO. 1. DIve, rex vitæ, domitorque mortis
Cui caput flavum radiata circum,
Pacis obſiſtit nota ſempiternæ,
Diſcolor Iris :
CHO. 2. Virgo, dux pacis, genitrixque lucis,
Cujus in gyrum duodena frontem
Aſtra tranquillant, releguntque purâ
Cyclade flammas :
CHO. 1. Tu Patris magni ſoboles, & hæres
Mentis æternæ, ſimili decore
Ducis exemplum Patris, & perenne
Numinis ævum.
CHO. 2. Tu (licet Natus, melior ſecundâ
Matre, ſupremos ſuperet nitores)
Proximos Nato tamen occupaſti,
Mater, honores.

CHO.

CHO.1. Te nihil majus, potiuſque pectus
Patris immenſum generat: ſed æquat,
Cordis expirans utriuſque vires,
Flamen Amoris.
CHO.2. Te nihil terræ peperere, Virgo,
Pulcrius, quondam parientque: quamvis
Gentium mores referant in aurum
Sæcula priſcum.
CHO.1. Dive, ſi ſævos cohibes tyrannos,
Mente ſi mundum moderaris æquâ,
Regna CLEMENTIS, geminumque fratrum
Stemma ſecundes.
CHO.2. Virgo, ſeu gaudes juvenum pudore,
Innubæ gaudes face ſeu ſororis,
Cæſarum caſtas propiore lauros
Numine ſerva.
CHO.1. Cùm tibi centum ſtatuent per Vrbem
Templa, cùm Divûm ſimulacra ſortes
Surda turbabunt; generis pudici
Regna probabis.
CHO.2. Læta tunc centum memores ad aras
Virginum primas, juveneſque lectos
Sæpe ſpectabis tibi, Filioque
Promere laudes.

ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

Milites in gratiam Cæſarum ludicra exercent.

PRÆFECTVS CVM MILITIBVS.

PRÆF. TAntúmne ſegnem, miles, elabi diem,
Pateris? decebat principum juvenum, & patris
Imperia placidi, ludicro bello exſequi.
Nudentur enſes: paribus in binas phalanx
Diſcedat acies frontibus: flexu cito
Perplexa telis tela conſertis micent:
Dubiumque fulgens pugna Mæandrum rotet.
Quo more deſes otium irritat ferox,
Cum Marte lento ceſſat in caſtris, cohors.

Deſcriptus armorum Mæander à Militibus hic datur.

PRÆF. In lenta Romæ vota proluſum eſt ſatis?
Converte, miles, arma quò Cæſar vocat.

SCE-

SCENA SECVNDA.

Antistius Vetus, Consul redux à Dianæ Præneſtinæ oraculo triſtia refert reſponſa.

ANTISTIVS VETVS, CONSVL.

ANT. PAſſim fatiſcens imbre perpetuo via
Exhauſta tandē eſt; Conſul & magnæ ſuus
Succeſſit Vrbi. Rite veneremur Iovem
Reduces ad aram: & Soſpitis ſignum DEI,
Huc thuris affer maſculi donum, puer.
Rector Deorum Soſpes, hoc æquâ, precor,
Adverte munus mente, quod gratus fero.
Ad Regis ædem, lictor, hinc greſſus refer.
Haud molle dictu carmen effabor Duci.
Iam gravia ſunt, quæ volucris emiſit Dea
Oracla, nigro templa quæ luco tenet,
Declive quâ ſupina ſubducit juga
Præneſte campis, Cæculi, & dubiam domum;
Horrida, cruenta, dira, memoratu aſpera
Sunt, quæ ſilenti Diva reſpondet ſpecu.
Ante hac quotannis pecore votivo Dea
Placata, læto reddidit ſortes ſono.
Annum hunc pavendum Romulæ genti canit:
Sed, quod pavetur, ſorte perplexâ latet.
Neſcio quid inſtet, quidquid eſt, Orbi eſt grave.
Obteſtor: Vrbi timeo: ſed mundo magis,
Mundo labores ultimi, credo, imminent.
Oppreſſa tellus ſcelere diuturno labat.
Quicumque rerum fræna moliris DEVS
In melius oro, verte, quæ cæco tument
Portenta partu. Columen hoc terræ aſpice:
Mundi vacillat dubia defeſſi ſalus,
Cùm Roma titubat: Orbis eſt Vrbis labor.

SCENA TERTIA.

Tyaneus Fulvium Conſulē rurſus concitat in Domitianum.

APOLLONIVS TYANEVS. FVLVIVS CONSVL.

TYA. MEditata, Conſul, perage; nec ſegnē diem
Patiaris ire, Diva momento fugit,
Quæ tarda venit, lubricæ inſiſtens rotæ:

Auxilia

Auxilia pubis occupa: regnes modò,
Largire, prensa, falle, mentire, obsecra.
Omnia licere crede, dum regnum petis,
Cui mox licebunt cuncta, cùm regnum geres.
Munus Deorum maximum regnum scias.
Nunc hos Ephebos Domitio duci jube.
Cætera sequentur. CONS. Milites, sectamini,

SCENA QVARTA.

Flavii Clementis iussu Cæsares coram S. Ioanne disserunt de virtutibus Imperatoriis: at eos Apostolus dirigit, monetq; quid maximè iis sectandum.

FLAVIVS CLEMENS. S. IOANNES. VESPASIANVS, ET DOMITIANVS CÆSARES. CONSILIARII.

FL.CL. SVperis amicũ, & proximũ Cœlo caput,
Certumq; Asylum rebus incertis, Pater,
Fieri periclum Cæsarum tandem placet,
Ad sceptra ne mox afferant dextras rudes?
VESP. Per me licebit. DOM. Nulla, Pater, in me mora est.
IOAN. Effare, Domiti, Regna quis rectè gerit?
DOM. Qui regere motus pectoris novit truces.
VESP. Qui regere semet didicit. IOAN. In regno putas
Quid esse primum? VESP. Regis æterni metum.
DOM. At ego pudorem rebar, & castam fidem.
IOAN. Vtrumque verè dicitur: nam cui fides
Intacta cordi est, numen is verè timet.
Et, quem refrænat regis æterni metus,
In hoc pudoris suavis elucet color.
VESP. Non limes aliquis ista disjungit, Pater?
IOAN. Disjungit: at, quæ confluunt tandem, bene
Confluere dicas. summa nunc rerum sequor
Sermone primo: reliqua sectentur scholæ.
Tu quid decorum regium, Domiti, autumas?
DOM. Permulta nosse. IOAN. Sanctius quiddam velim.
VESP. Permulta facere. IOAN. Rectiùs. Verum,
CONSIL. Pater,
Si fas, disertè dicta distingui jube.
Fortassis aliquid melius ex his audies.
IOAN. A capite rursus ista. Quid Regem decet?
DOM. Permulta nosse. IOAN. Vocis ambiguę genus
Discerne,

Discerne, sodes. multa convolvis, puer,
Qui multa dicis. DOM. Forsan erravi, Pater.
Tamen hoc volebam. Turpis est omnis, reor
Stultitia, Regi maximè, & rerum omnium
Ignarus animus : quippe, quem multi timent,
Et multa certo regere consilio decet,
Nescire quidquam dedecet. Non sit meum
Errare, multis prætulit si me DEVS.
Demendus animo fixus est multis dolor :
Multis levandus angor, & falsus timor :
Est dedocendus error : & motus feri
Animi premendus, cordis & cæci tumor :
Suadenda lex est mentis, & vitæ decor :
Laudanda virtus : mortis obeundæ locus
Monstrandus etiam. Verba ne tutò volent
Irrita, decebat antè lustrasse omnia,
Quæ dubia dictu, certa, quæ suasu forent,
Quæ grata demum cognitu. IOAN. Nondum tamen
Doces disertè, multa quæ, Domiti, voces.
DOM. Fingitur Vlysses exteras urbes vagus
Adiisse multas : gentium mores catus
Lustrasse varios : pulcra quæ scitu forent
Animo notasse : cumque crepuissent tubæ,
Virumque bello poscerent, tum quæ vagus
Didicisset antè verba, consilium, manum,
Retulisse in usum bellicum : mox quæ togæ
Tempora requirent jura, justitiam, fidem
Tribuisse paci. VESP. Limites tangis meos :
Id multa, Domiti facere, non nosse est. vidè.
DOM. Non hic facetè lautus est Cæsar, Pater?
Ergò supinam, quæso, virtutem mihi
Placuisse censes, Vespasi ? Reges volo,
Notitiam in actum provocent : Virtus iners
Paulum sepultæ distat, ut Pater hic docet.
Qui multa norunt, multa fecerunt probè.
Iunguntur ista fine, ni fallor, brevi.
Fingitur Achilles ille, Trojugenum metus,
Doctoque Vlysse fortior. Clypeo is gerit
Vtriusque laudes temporis, belli, & togæ.
Creditur Homero fictus Heroi color :
Privata vitæ decora nec Regi negat
Publica gerenti. stellifer Cœli labor
Induitur illi dexteræ, quæ Pergama
Recidiva quassat : ense quæ Phrygias obit
Acies micanti : regna quæ fundo eruit
Pollentis Asiæ : quique prostrato ferox
Corpore sonantes onerat Hectoreo rotas. (quidē.
CONSIL. Vtrū ista laudas, Vespasi? VESP. Et valdè
IOAN.

IOAN. Subscribis igitur huic tuam sententiam ?
VESP. Subscribo sanè, facere si nolle est, Pater,
Et verba bina discrepant vocis sono,
Adnexa rerum copula. IOAN. Quid ad hæc, puer?
DOM. Memini, quod ipse dixeras : non hæc schola
Sermone summo prima sectamur, Pater : (est:
Retrusa præterimus : hæc Græci docent.
VESP. Qui novit ergo fecit ? ô rerum fidem !
DOM. Qui fecit ergo novit ? ô nexum rei !
VESP. Non ista, Cæsar, dixeram. DOM. Dixti qui-
Tetigisse qui me limites dixti tuos. (dem,
Mi Cæsar, ecquid mentior? VESP. Non tu quidē.
Sed, quos vocabam limites, fines erant.
Vlterior illa est regio, quam dico meam :
Tu prima tangis. DOM. Vespasi, non hæc schola est.
Tu semper ipsam pellis hanc chordam tamen.
VESP. Sit docta tantùm lingua, quid Regem juvat?
DOM. Sit sæva tantùm dextra, quid tandem valet?
VESP. Mens, destituta viribus, segnis jacet.
DOM. Vis mentis expers, mole succumbit suâ.
VESP. Vi bellicosâ regna servantur diu.
DOM. Vis temperata mentis auxilio viget.
VESP. At bellicosos milites omnes timent.
DOM. At temperatos milites omnes amant.
VESP. Fortior, agendis rebus est aptus magis.
DOM. Doctior, agentem viribus mente adjuvat.
VESP. Non est gerendæ commodus doctus rei.
DOM. Est, si gerentis temperet fortis manum.
IOAN. Satis ista, pueri : nullus est pugnæ modus.
Quid fortitudo est, Vespasi ? VESP. Virtus rei
Fortiter agendæ, mentis ut ratio monet.
IOAN. Quem temperatū nomines, Domiti, edoce.
DOM. Omnia gerentem mentis auxilio, ut decet.
IOAN. Vterque vires mentis adjungit sibi :
Hic sceptra forti, sceptra sapienti hic daret :
Vterque verè ; ratio si fortem docet,
Vel si docentem dextra rationem juvat.
Id quoque doceto, Vespasi : forti præest
Regina quædam ratio, quæ dextram regat ?
VESP. Præest, & illam regis aurigam voco.
IOAN. Laudo : quid ipse ? viribus fortis negas
An contineri regna? DOM. Non equidem, Pater.
IOAN. Re convenitis igitur : ac mirè cuidem,
Fortem esse Regem vultis, & doctum, reor. (reff.
DOM. Sic mihi videtur. VESP. Esse non aliter pu-
IOAN. Quin igitur hæc sic ponitis ? Regem decet,
Vi temperata cuncta consilio aggredi.
At illa rerum domina, virtutum parens,

Regina pacis, æqua bellorum fides
Iuſtitia, cur præterita, quæ prima eſt, jacet?
Domiti, quid hæres? Veſpaſi, quid cogitas?
VESP. Non jacet; at illam ſtrenui primam petant.
DOM. Non, Pater; at illa prima ſapienti placet.
Qui cuncta novit, juſta non neſcit, puto.
VESP. Qui cuncta ſervant, æqua non perdẽt manu.
IOAN. Sed multa, Domiti, noſſe, qui pulcrũ putat,
Aliò feretur avius, quàm quò voles.
Quæ multa dicis? DOM. Vſui quæ ſint duci;
Injuſta, juſta: vera, falſa: turpia,
Honeſta: tum quæ dedecent, & quæ decent:
Profana, ſacra: humana, divina, infera:
Peregrina, noſtra: regia, & civilia.
Quicumque neſcit iſta, dominari nequit.
IOAN. Ambigit, opinor, aliquid hîc Cæſar meus.
Ecquid requiris, Veſpaſi? VESP. Haud quidquam
IOAN. Tamen?
VESP. Quiddam verebar, neſcio an prudens ſatis,
Ne multa quærens, multa dimittam manu:
Si quando volucer animus in multas vias
Ad multa rerum genera dilapſus, ſtatim
Areſcat: uber fontis ut quondam latex,
Quem multa multis vena deduxit viis,
Vt multa diſcat, multa rimari volet:
Labore tandem fractus in multis jacet.
Humana mens finitur anguſtè nimis:
Diviſa curis mentis hebetatur citò
Acies ſciendi multa: quam pernix amor
In mille rerum capita diſpergit vagam.
DOM. Ideò monemur, NE Quid in vitâ nimis:
Hæc hauſta, non exhauſta prudenter velim.
Eſt ratio vera, quatenus tendit gradum.
Ducatur ardens animus auctoris manu.
Sit, qui reprendat incitum temerè impetum:
Sit qui reflectat turbidè effuſum retro.
Arripiat æqua, vera diſcernat, ſibi
Imperet, & illa multa non multùm velit;
Vtilia, quàm jucunda, potiora æſtimans.
Quædam recuſet; differat quædam in locum:
Hæc ſumma libet; illa ne libet quidem.
Ad hæc refectus revolet, hinc feſſus volet:
Momenta captet; tempore utatur ſuo:
Curâ recenti ſemper hoc ſpatium voret:
Numquam ſerenâ pace deſuefcat frui.
IOAN. Hoc erat, avebam noſſe quod de te, puer:
Da, quibus amicâ pace non ceſſem frui.
DOM. Adeóne videor impudens, quæſo, Pater;

Vt

Vt diſputare hæc audeam coram ſene,
Puer, audiente maximo? VESP. Non eſt ita.
Sed hîc rogamur, Cæſar: & cautè priùs
Tentamur, an cùm fræna Romanæ rei
Flectemus, illis ſimus uſuri, ut decet.
Si Barbarorum ſceptra, non Romæ geras:
Si tibi tiaram Crœſus, aut Cyrus daret:
Si Parthus aulam offerret Arſacidûm tibi,
Præſidia placidæ mentis oblitus, manu
Rem gerere poſſis. Alia Romanæ togæ
Conditio Cæſar: alius eſt regni labor.
Manſueta vita, mite Romanum eſt genus.
Civis tyrannum, mitis immitem ferat?
DOM. At iſta, ne me neſcias, nondum, Pater,
Satis ut decebat, animus advertit meus.
Ex hoc requiras potiùs. VESP. Hoc verò optimum.
Quaſi cuncta potiùs noſſe conſuerim, Pater,
FL. CL. Quin ipſe lætæ pacis elementa edoce.
Expone, quæſo: Cæſares pueri, Pater,
Imis reponunt ſenſibus, quæ tu doces.
IOAN. Principia revoco. fare, quid dixti modò
Primum eſſe regi? VESP. Regis æterni metum.
IOAN. Eſt aliquid iſtuc. Cæſar, ad rem quam volo.
Quid tu? DOM. Pudorem dixeram & caſtam fidem.
IOAN. Hinc quid ſequatur, aſſequi nondum potes.
Vbi vis? acumen illud ubi, Cæſar tuum?
VESP. Nunc video, quorſum quæſtio evadat, Pater,
Hoc nempe noſtris effici ex dictis ais?
Certâ fruetur pace, qui Numen timet.
DOM. Bonis fruetur pacis ingenuus pudor.
VESP. Nullum timebit, qui metuit unum piè.
DOM. Nullâque vi lædetur illæſus decor.
VESP. Timida feruntur ſceptra, quæ florēt manu.
DOM. Diu vigebunt regna, quæ caſtus geret.
VESP. Erit ille victor, corda cui vallat metus.
DOM. Erit ille fœlix, corda cui placat pudor.
VESP. Sanctè timentem gloriâ clarat DEVS.
DOM. Sanctè pudicum numen in Cœlo locat.
VESP. Vt dextra ferro, corda ſic pollent metu.
DOM. Vt gemma frontem, corda ſic ornat pudor.
VESP. Vt vitis ulmo, ſic duci decori eſt timor.
DOM. Vt platanus horto, ſic pudor decori eſt duci.
VESP. Vt flore rident prata, ſic pavidus DEO.
DOM. Vt rivus herbam, ſic alit caſtum pudor.
VESP. DEVM timenti regna fortunat DEVS.
DOM. Idem pudicum lætus ex alto videt.
VESP. Tunc me negem timere, cùm nihil pudet.
DOM. Tunc me negem pudere, cùm timeo nihil.

VESP. Timor pudorem ſepit, ut ſpinæ roſam.
DOM. Pudor timorem pingit, ut flores color.
VESP. Vt decorat aurum ſtemma, ſic reges pudor.
DOM. Vt decorat aurum bacca, ſic reges timor.
VESP. Pudore nullo læditur caſtus pudor.
DOM. Timore nullo vincitur ſanctus timor.
VESP. Iucunda cordis regna circumdat pudor.
DOM. Beata pacis regna defendit metus.
IOAN. Doctè & diſertè. Vertite huc mentẽ quoq;
Et, unde placidæ mentis erumpat quies,
Audite: quiddam, Filii, majus ſono:
Ipſius altum pacis evolvo caput.
Ad ſe reductus animus, ut planè ſui
Sit Imperator ipſe, nec, victus metu
Dedecoris, ullam colligat labem pudor:
Vt regnet, ut ſit pacis invictæ potens:
In ſe moretur, laudis, & vitæ arbiter
Acri timore ſeptus: hîc figat pedem.
Exinde victor animus, hinc jacto gradu,
Ad aſtra ſurgat, infimo inſiſtens globo.
Et jam novenis medius ordinibus, poli
Acies oberret, luce jam lætus novâ,
Propius reviſat, unde digreſſus gerat
Mortale corpus; ipſe vitalis diu
Temperet an artus hoſpes, an dominus regat.
Vt evolarit, liber hoſpitii fidem
Ad tempus aliquod deſerat: lapſi cinis
Corporis an olim luce recaleſcat, ſui
Animi regreſſu, carnis indictu novæ.
Mox, ad tribunal ultimum, humanum genus
Vndique coactum, ſæcla generatim paret
Reddere, recepto ſpiritu, juſſu tubæ,
Tumulis reclusis funerum, quotquot tulit
Primævus orbis, quotquot extremus feret.
Quid ſit, quod orbi præſidet, quem nos DEVM
Dicimus: at ipſe notus eſt tantùm ſibi,
Vtriuſque mundi, lucis & lætæ faber,
Et ſæculorum ductor, & vitæ ſator,
Vber, beatus, præpotens, verax, bonus,
Concretionis, generis, exorſus, loci
Immunis, expers finis, & numquam fluens,
Numquam recurrens: jubaris æterni rotam
Complexus omnem: nomen amplexus triplex
Ferrile ſereni Numinis, gravidum Deo,
Genitoris almi, Prolis ingenuæ, Halitus
Ambobus æqui: ſumma mens, ſummè bonus,
Ter optimus, ter maximus, ter præpotens,
Indictus, indeprenſus, inſuperabilis.

Scilicet

Scilicet id animum labis expertem juvat,
Hoc auget, & colorat, hoc verè beat.
In id redimus, liberâ elapsi fugâ,
Vbi nos honestæ lucis afflavit lepos.
Hæc summa voti nempe. Quàm melli est piis,
Accêsse propiùs fontis immensi caput!
Nec divagari languidâ arentes siti
Ad rivulorum venulas! O quàm libet,
Et quàm decet, per astra provectum sui
Initia generis nosse! simulacrum Dei
Vt mox reponat pristinam in laudem Deus.
Formâ refectâ, luce respersum novâ.
Exin, resumpto spiritu summi Patris,
Hausisse specimen indolis dignum Patre;
Et nolle prorsus, nolle quod Patrem sciat;
Et velle rursus, velle quod novit Patrem:
Habitare secum: posse fortuitas opes
Despicere vulgò: velle rationem sequi:
Præripere fraudi sponte materiam malæ:
Partes in omnes laudis explicitâ fide
Dividere curas: seque non civem loci
Vnius esse, mœnibus circumdatum
Meminisse mundi: quidquid humani uspiam
Ævum sub astris agitat, unius Patris
Sobolem putare. Rarus angustas cliens
Ædes frequentat scilicet; nemo interim
Limen superbi postis excubitor tenet;
Non ebore thalamus, lapide non Pario domus
Inopis refulget divitis. Sed non timet.
Sed non timetur cultor, & Superûm, & sui:
Sed tuta pax concelebrat exiguos lares,
Rebusque parvis vera præstatur fides,
Nisi construuntur regio sumptu dapes;
Si non tributa gentium abdomen vorat,
Nec classe jussa pretia piscatur maris:
Si non palatum Lesbii irritant scyphi,
Nec Chia fumant gemmeo in carchesio:
Si nec Lacænæ purpuræ splendent domi:
Si nulla, sericum redorditus globum,
Stamina Lacænis doctior vermis trahit:
Si nullus ultra Bactrios fines ager
Colitur: nec undâ Nilus æstivâ tumens
Irrigua latè culta fertiliter lavit:
At castus animus regnat in castâ domo,
Exire velox optimi ad nutum Patris:
Secura nullos æstimat casus quies:
Longè tumultus exulant, rixæ tacent:
Custos decoris corda submittit timor:

Tranquillitatem ſanctitas mitis fovet :
Pietas pudorem vera, pietatem pudor
Tenax, & æqui jura cuſtodit fides.
Immane regnum eſt, poſſe pauperiem pati.
VESP. Animis ſedebunt iſta, quæ laudas, Pater ;
Manſura ſemper, ſpiritus donec reget
Mortale corpus. DOM. Antè cardinibus polus
Geminis revulſus, antè fluitabit vago
Aëre refixa ſedibus tellus ſuis :
Quàm docta dicta tempus evellat rapax
Obliviosis ſenſibus. VESP. Nullo metu,
Terrore nullo victus abolebo fidem,
Sententiarum degener : non ſi minax
Nudetur enſis undique, & variè meis
Oculis oberret plurimus cædis pavor.
DOM. Infeſtus armis omnis addenſis licèt
Coniuret Orbis, quique naſcentem diem,
Quique morientem cernit, & gelidi novem
Qui Tanáis ora ſolvit in Scythicum mare,
Et qui propinquis ſudat exuſtus rotis.
VESP. Congeſta rurſus dona Lydorum Indici
Cumulentur auri, quidquid in lucem refert
Formica Dardis ; quidquid Heſperium nemus
Blanditur : Ammon quidquid, aut Phœnix legit,
Aut fabuloſo Caſpii cœlant ſpecu :
Nullo labaſcam præmio, fretus D E O.
DOM. Licèt catervis ripa Thermodontiis,
Peroſa ſexum, ſerviat ſceptris meis :
Licèt ſecures Parthus Albanas colat,
Cydarimque Cyri laurus Æneadum premat :
Crœſi aut tiara ſplendida cingat comas :
Nullo labaſcam præmio, fretus D E O.
FL.CL. Vt vos (amicum numen!) agnoſco meos,
Agnoſco gentis indolem, agnoſco D E V M.
Quales fuiſtis, eſtis : & tales fore
Vos ſpero, & opto, ô filii optatiſſimi,
O cariores luce vitali mihi.
IOAN. Nunc tu, ſalutis obſes, & ſoſpes D E V S,
Bis genite, vivum Patris exemplum optimi,
Et Matre melior optimâ : virtutum apex,
Sincera vitæ vena, largitor boni,
Fundator almæ pacis, & ductor ducum :
Tu nos, egenos lucis, ignaros viæ,
Per dubia vitæ, turbinum per tot metus
Dirige, decori jubaris auſpicium efferens.
Tu ſtudia, tu conſilia, quo pacto ſoles,
Tu vota noſtra promove in majus, precor.

SCE-

SCENA QVINTA.

Nuncius refert quomodò Domitianus Tyanei munere, captus eum in familiaritatem ſuam receperit.

NVNCIVS.

VBi ſum ? Satíſne vigilo ? num video ſatis ?
Vivúſne vidi, quæſo, quæ vidi modò ?
Prô ! ſumme rector Cœlitum, quantò dies
Die videtur doctior ! nulli ſemel
Omnia pateſcunt : aliquid obſcurum prior
Dies reliquit : cùmque poſterior ſubit,
Quod erat relictum, lucis in aprico locat.
Quæ monſtra vidi ? Nuper ut Regis pavens
Tyaneus ædes adiit, & pronâ Duci
Cervice ; ſupplex munus egregium dedit,
Pretiumque dixit muneri Conſul nigro :
Mitem recepit illicò ſenſum trucis
Animus Tyranni : cordis eraſus tumor
Abiit : renidens, exſulem mœſtum bono
Eſſe jubet animo : mutet exſilio domum
Proinde poſthac, Regis adſcitus gregi.
Hîc ille, dono celſus, & plenus ſpei,
Portenta rerum mille nigrantem jubet
Edere cohortem. Citiùs hîc dicto, cohors
Pollice canoræ verba ſollicitat chelys.
Ad verba ſaltus, aeris ad ſaltum ſonus.
Reſponſat ictus vocis armorum, pedum.
Dein literata pugna, modulatu cita,
Ingenia mira pubis exercet nigræ,
Numero rotunda verba devolvens ſono.
Dircæa tantus, voce grandiloquâ, ſenex
Carmina citabat : tantus Ogygio minor
Daunius : utroque plenior tantùs modos
Smyrnæus ales urbibus ſeptem dabat.
Aut, gravior illo, bella Mantous canor
Latina volvens. Pubis eloquium citæ
Subitum Tyrannus ipſe miratur ſtupens,
Attonitus hæret, aſſidet quiſquis Duci.
An, quos ad Ædes Cæſar acciri jubet,
Adeſſe cerno Flavios ? Romæ Duces
Salvete. Rector orbis, & natos tuos,
Et te requirit, Cæſarum felix pater.

Quid hos recenti laureâ ornari vetat?
Non fulgor Augustalis aptatur notæ?
Divite paratu trabea non humeris fluit?
Induite cultus regios. ipse hoc jubet.
Prô quanta Romæ Cœlitum infinuant bona!
Auditis? aeris raucus increpuit canor.
Ecce ipse Cæsar prodit: hinc secedite.

SCENA SEXTA.

Tyaneus ex Flavio Flamine Augustali intelligit se à Domitiano gratiam iniisse.

FLAVIVS, FLAMEN AVGVSTALIS.
APOLLONIVS TYANEVS.

FLAV. GRatare supplex: dona respexit tua
Castæ Minervæ filius, semen Iovis.
TYA. Humilisne quæso, dona servitii? O bonum,
O mite numen, semen ô verè Iovis.
At destinatas victimas nondum dedi.
Quid si dedissem? Roma, quos Divos paris!
FLAM. Dare thura cessas? antè non adytis tibi
Responsa Vates reddet instinctus Deo.
TYA. Date thura palmis. citiùs an quemquã colam
Fumo Deorum? Palladis castum genus?
Hæc pauca nunc; mox munus exsolvam reus
Majus hecatombe. Numen ô fœlix ades.
FLAM. Oracla pando. pectus afflavit Deus,
Ipse ego Sacerdos numinis sortem eloquor.
Dimitte curas exul: evictus prece
Remuneratur supplicem dono Deus,
Dominusque noster: nectaris succos bibes
Allectus aulæ: mitte moliri fugam.
TYA. Ponti secabunt cærulos fluctus aves:
Squammea volabunt monstra Delphinum priùs;
Et Vesta pisces, Tethys, & fruges dabit;
Quàm fixus animo numinis tanti metus
Effluat: honorque corde decedat meo.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Flamen Dialis Fortunæ, cui litarat, mentem explicat, quâ auditâ Imperator auctore potißimùm Tyaneo ſacra iterari iubet.

DOMITIANVS IMPERATOR. FLAMEN DIALIS. ANTISTIVS VETVS, CONSVL. APOLLONIVS TYANEVS.

IMP. SAcrate Divis, patris Antiſtes Iovis,
Reſponſa prome, fata quæ Romæ canat
Longæva vates: effer, & cæcos metus.
FLAM. Sit mihi repoſti carminis ſortem, precor,
Vulgaſſe tutum: dira ſunt, fatu horrida,
Vrgent Quirites monſtra quæ feſſos diu.
Nec ira Divûm juſta decedet priùs,
Quàm, Cæſar, aulam victimis luſtres ſacram.
Neſcio quid illa parturit magnum, ac ferum.
Fatidica certè Regiæ Vates timet.
„ Feſſa diu ſcelerum, fœdos averte tumultus,
„ Regia: decedet cedentibus ira Deorum.
IMP. Voces tenentur ſortis ambiguæ: licet,
Vt mos Sibyllæ, carmen occultet metus.
Tu quoque doceto fata, quæ nobis timet
Mobilis in annum Diva, quæ verſat rotam.
Expone, quamvis horrida, Antiſti, efferas.
Ad hæc vocavi pectus ad dubia haud rude.
ANTIST. Itinere vario flexa ſuperata eſt via.
Aſpreta ſaxo pendula, & celſo jugo
Impoſita vidi tecta, quæ vaſto triplex
Coluiſſe fertur corpore, & multo ferox
Sparſiſſe tabo, ſtratus Evandri manu
Herilus: nec illum matris æternum genus,
Nec arma, triplici terna quæ nato dedit
Movenda mater, Arcadis ferro eximunt.
Præneſte denſis frondet ilicibus nemus,
Incæduæque ſæculis multis comæ:
Nox propria luco, & dira relligio loci
Attonita primo corda perſtringit metu:
Crinis rigeſcit, oſſa percurrit gelu.
Poſthæc receſſu panditur longo ſpecus.
Hîc tacita ſedes, volucris hîc numen Deæ.
Penetrale dives rupe præruptâ ſilex
Præmunit: unda ſilice ſcatebroſo ſonat
Incluſa: raucum murmur ex imo ſpecu

Frangitur : & uber undique erumpit latex.
Dirupta venis lympha diverſis coit,
Tandemque pigro ſtagnat in luco palus
Maculoſa, pecudum cæde multarum rubra.
Hîc rite ſupplex thura congeſſi focis :
Et vota Divæ dona ſuſpendi tholo.
Mactatur Aræ candidum tergo pecus,
Cùm pronus undas peteret occiduas dies.
Strato ſoporem præſes in tergo petit :
Et volucre numen corde ſopito accipit.
Vt nox abacta eſt, pectus inſanum tumet,
Oculi relucent Vatis, horreſcunt comæ.
Paveſco referens. Subitus ingeminat fragor
E ſede tacitâ, ſibilat motum nemus.
Excita latè terra ſub pedibus micat,
Nec dubia Divæ ſigna præſentis dedit.
Hic ora Vates, numinis nondum potens,
In hos futuri præſcia exſolvit ſonos,
,, Non priùs infenſi miteſcet Numinis ira,
,, Candida nec mœſtæ ridebunt ſidera Romæ :
,, Quam ſcelerum fœcunda dabit verruca ruborem
,, Sanguinis, & pronam diffundet Aquarius urnã.
,, Quam minime reris, mactatu victima diro
,, Dardaniæ reddet, Ductor Romane, ſalutem.
Hæc fatus ora preſſit, excuſſa eſt Dea.
IMP. Reſponſa dira cecinit implexis modis.
Incertus hæret animus, ancipites metus
Ambage nexos tacitus evolvens pavor,
Variumque pectus carmen ambiguum trahi
Cùm quid timetur, animus id ſecum movet
Aut falſus, aut præſagus, aut certè pavens.
Tyanee, tu qui ſiderum noſti vices,
Qui dubia noſti fata : quem numquam latent
Arcana Divûm ; lingua cui volucrum loquax,
Trifidumque fulmen paret obliqua face :
Tu verba dubia fortè perplexa explica.
TYA. Per ſacra pacem Numinum exquiri jube,
Quæ ſola monſtrant Cælitum, & placant minas.
Depulſus agnus matris uberibus cadat
Laniger ad aras, graminis primi memor ;
Veſpaſius Aulæ Flamen operetur ſacris :
Flamen Dialis adſit, & cæcæ hoſtiæ
Conſulat Aruſpex exta : conceptâ prece
Cæſar præibis. Ipſe, prætentum caput
Velatus, Augur ſortis expediam exitus.
Delubra Soſpitalis ornentur Patris,
Qui cuncta nutu regna terrarum movet.
IMP. Nihil hinc retractes, turba Myſtarum : pecus

Admo-

Admoveat aræ ritè ſuccinctus Popa:
Libetur Aris. ipſe concipiam preces.
Nunc, feſta Romæ ſacra ne fœdet dies,
Vultu ſerenent aureo triſtes metus
Clementis Aulæ columen, Auguſtum genus,
Daphnide decori, pubis accepti globis.
Et, militari more, ſublimes novæ
Auſpicia Trabeæ Cæſares bini efferant.
Cives ſoluti gaudio lætum diem
In ſpem recentem Cæſarum ludo trahant.
Tyanea ludos ſequere Romanos cohors.

Hîc datur armorum pugna.

CHORVS.

Ieſu nomen invocatur.

PVlsâ nocte dies appetit aurea;
Sed momenta vacant nulla periculis.
Hoſtis nocte dolos callidus inſtruit:
Hoſtis luce malus vulnera dirigit.
Fœcundam ſcelerum contere belluam,
Vires egregii nominis exerens,
Lapſis ſubſidium, præſidium bonis,
IESV, dulce decus, nomen amabile.
Non hoc immeritò nomine prænites,
Summi vena boni, copia munerum?
Tu ſervile jugum, tu ſcelus exigis,
Tu mortis dominum funere ſubjicis.
Nomen quod Genitor cœlitus indidit,
Quod Virgo genitrix mox tibi reddidit:
Nomen, quod meruit mors tua fortiter:
Hoc non antè datum, quàm fuit inditum.
Nondum Mundus erat, cùm Deus ex Deo,
Cùm tu, Vita, pari lucis origine:
Ex te nomen habes numine præditum,
Fœtum divitiis, munere maximum.
Ergo te memori carmine dicimus,
O ſyncera boni copia maximi:
Rerum principium, meta noviſſima,
Summa luce micans, optime Principum.

ACTVS QVARTVS.

SCENA PRIMA.

Milites unà cum castrorum Præfecto fausta plurima Clementi eiusq; filiis apprecantur.

PRÆFECTVS CASTRORVM. MILITES.

PRÆF. DAphnide Phœbeâ crines redimita, Iuventus,
Romuleæ trabeæ (quo transtulit omine Cæsar)
Omina, quò virtus invitat Flavia, transfer.
Sic ducis Æneæ patrios sine fraude per ignes
Auspiciis elapsa solo Priameia Latino
Pergama dum quærit, Capitolia celsa locaris,
Laomedonteæ solvens perjuria linguæ.

MIL. *Age nexa Martiali*
Fronde, Iuventus,
Fera bella pertinaci
Passa labore,
Bona signa Flaviorũ
Sponte secuta:
Sacra iura Dardanorum,
Omina regni,
Iove transfer annuẽte
Regis ab Aulâ,
Regis in Aulam.
Ter cane mecum,
Martia pubes,
Pæan, Pæan.

PRÆF. Iasidæ magni, genus insuparabile bello,
Qui patriæ cineres flevistis, &, ultima Trojæ
Funera dequesti, Lavinia regna petistis:
Omina, quò virtus invitat Flavia, transfer
Romuleæ trabeæ, quo transtulit omine Cæsar.

MIL. *Age cincta Martiali*
Nebride, pubes,
Regis ab Aulâ
Regis in Aulam
Omine cum bono
Omina transfer.
Ter cane mecum,
Martia pubes.
Pæan, pæan.

PRÆF. Sic remus auspicium non majus fratris ab arce
Viderit; & semper Cytherejus ignis Iulus
Fulgeat, Augustumque ferat per sæcula nomen:
Quas bene despectat nondum Saturnia Iuno
Phœbus Aventinas sic visat candidus arces.

MIL.

MIL. *Age, turba Martiali* *Omine cum bono*
Omina transfer.
Redimita fronde, *Ter cane mecum,*
Regis ab Aulâ *Romula pubes,*
Regis in Aulam *Pæan, pæan.*

PRÆF. Pompilii regnũ clemens jactantior Ancus
Sic regat æternùm ; nec faſtu ſceptra ſuperbo
Tarquinii vexent : ſi vexent, maſcula Bruti
Sic iterum virtus pellat cervice Tyrannos,
Albaniſque notet Romanis faſcibus annum.

MIL. *Impedita Delia* *Om.cu.bo.Om.transf.*
Daphnide, pubes, *Ter cane mecum,*
Reg.ab A.Reg.in A. *Martia pub.Pæan.Pæ.*

PRÆF. Dextera ſic fulgens Romani Cœlitis, enſe
Fulmineo, pontem donec poſt terga recidant.
Vnica diſtineat Tyrrheni denſa Tyranni
Prælia : nec dubitet dirupto ponte, ſecundo
Flumine, vulneribus confectum mergere corpus.

MIL. *Age Latoide* *Om.cu.bo.Om.transf.*
Incincta bacca *Ter cane mecum*
Æneia proles, *Dardana pubes.*
Reg.ab A.Reg.in A. *Pæan, pæan.*

PRÆF. Sic nocturna, metu pulſo, Tyberina fluẽta
Tranſeat, & vinclis Romana Palatia ruptis
Cloelia decepto repetat cuſtode Virago.
Atque viro propior bellatrix, milite major,
Immemor, & ſexus fœliciùs arceat hoſtem.

MIL. *Age Deliaca* *Om.cu.bo.Om.transf.*
Implexa vitta *Ter cane mecum*
Romula pubes, *Martia pubes.*
Reg.ab A.Reg.in A. *Pæan. pæan.*

PRÆF. Mutius ardenti dextrâ ſic Romula ſervet
Pergama; Porſennæq; Vrbem obſidione prementis,
Agmina Romanis avertat ab arcibus : Illum
Attonito ſimilis ſpectet Porſenna rubentem
Illum Romanis ſedato corde redonet.

MIL. *Age, Virginali* *Om.cu.bo.Om.transf.*
Velata fronde *Ter cane mecum.*
Marita pubes. *Æneia pubes,*
Reg.ab A.Reg.in A. *Pæan, pæan.*

PRÆF.

PRÆF. In ſummo cuſtos Tarpejæ Manlius arcis.
Sic vigilata tegat Capitolia clara, canori
Anſeris excitus cantu: Sic noctis opacæ
Munere defenſus, per dumos bina coruſcans
Geſa manu fugiat defensâ Gallus ab Vrbe.

MIL. *Age, militarem* *Feſta Iuventus,*
Induta frondem, *Reg. ab A. Reg. in A.*
Om. cu. bo. Om. transf. *Strenua pubes,*
Ter cane mecum, *Pæan, pæan.*

PRÆF. Conjuge cum caſtâ ſic caſta Veturia mater
Leniat hoſtiles in nato molliter iras:
Molliter in Cives, in natum fortiter audax,
Ille ferox fletu victus, victorque ſuperbæ.
Reſtituat patriæ, quam perdidit ipſe, ſalutem.

MIL. *Caput impedita* *Om. cu. bo. Om. transf.*
Feſta decoris *Ter cane mecum,*
Turba Corymbis, *Martia pubes,*
Reg. ab A. Reg. in A. *Pæan, pæan.*

PRÆF. Sic exſul potior, quam civis, & ære recepto
Hoſtibus & fuſis in tempore, lapſa Camillus
Mœnia conſtituat, nec Vejos ire laboret.
Sed Patriæ cuſtos, ſed Romulus audiat alter,
Conſul & in placidâ componat pace ſenectam.

MIL. *Cytherea pubes* *Om. cu. bo. Om. transf.*
Age, Latois, *Ter cane mecum*
Innexa foliis, *Feſta Iuventus,*
Reg. ab A. Reg. in A. *Pæan, pæan.*

PRÆF. Ruſtica bellator ſic Cincinnatus aratra
Linquat, ad Imperii faſces, trabeamque vocatus:
Quaque manu ſtivam flectebat, torqueat haſtam.
Pauperie dives ſpreto ſic fortis in auro
Fabritius Pyrrhum mentis ſplendore laceſſat.

MIL. *Age, Phœbeis* *Om. cu. bo. Om. transf.*
Vmbrata comis, *Ter cane mecum.*
Dardana proles, *Feſta Iuventus,*
Reg. ab A. Reg. in A. *Iaan. pæan.*

PRÆF. Sic te, Coſſe ferox, ſic te, Serrane curules
Accipiant iterum: ſic Punica bella retardet
Vnus, qui nobis cunctando reſtituit rem.
Claudia ſic virtus, ſic dure vivida bello
Dextera Marcelli Pœnorum conterat arma.

MIL. *Age, Latois* *Nexa Corymbis,*

Dar-

Dardana proles, Ter cane mecum,
Reg.ab A.Reg.in A. Romana pubes,
Om.cu.bo.Om.transf. Pæan, pæan.
PRÆF. Scipiadas magnos, genus intractabile bello
Sic iterum magnæ paveant Carthaginis arces:
Et debellato Mauriſia regna Iugurtha
Romuleos iterum faſces, Latiaſque ſecures
Suppoſitâ cervice ferant, & ſemper adorent.
MIL. *Age, Latois Om.cu.bo.Om.transf.*
Nexa Corymbis, Ter cane mecum,
Æneia proles, Feſta Iuventus,
Reg.ab A.Reg. in A. Pæan, pæan.
PRÆF. Iulia ſic foliis æterna repullulet arbor:
Cæſareoſque recens decoret ſine fine triumphos
Incedant bello domitæ longo ordine gentes.
Ante rotas, Mediqué, ſagittiferique Goaſtæ,
Infidique Getæ, impatiens & pontis Araxes.
MIL. *Age, Latois Om.cu.bo.Om.transf.*
Nexa Corymbis, Ter cane mecum,
Cithereia cohors, Feſta Iuventus,
Reg.ab A.Reg.in A. Pæan, pæan.
PRÆF. Ipſe triũphato CLEMENS mitiſſimus Or-
Auguſtâ cum prole, ſenex conſpectus in oſtro, (be,
Dona recognoſcat populorum, & flectat habenas.
Vincant Euboicos, vincant & Neſtoris annos
Et Senis, & Iuvenum felicia regna duorum.
MIL. *Age, Latois Nexa Corymbis.*
Dardana proles, Ter cane mecum,
Reg.ab A.Reg.in A. Martia pubes,
Om.cu.bo.Om.transf. Pæan, Pæan.
PRÆF. Aſt ubi compoſito bellorum terra tumultu
Altera juſtitiæ meditabitur aurea ſæcla,
Imperium ſine fine gerant Iuveneſque, Seneſque,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis:
Nec niſi ſerus avus magno ſuccedat Olympo.
MIL. *Age Latois Om.cu.bo.Om.transf.*
Nexa Corymbis, Ter cane mecum,
Dardana proles, Martia pubes.
Reg.ab A.Reg.in A. Pæan, pæan.
PRÆF. En tandẽ genitor magnâ progreſſus ab Au-
Extremum cogit fortunatiſſimus agmen: (lâ
Qualis

Qualis ab Eoo demersus Lucifer amne,
Lumina devexi postrema recolligit orbis:
Ignes rarescunt, illo veniente, minores.

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut suprà.*

PRÆF. Aurea quem juxta soboles, spes altera Ro-
Flos illibatus Populi, mitisque Senatus, (mæ,
Siderei Iuvenes, Cæli sanctissima cura,
Incedunt animo fratres, vultuque decentes:
Augustumque alacres exspirant cordis amorem.

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut suprà.*

PRÆF. Dum licet, en oculos in dulcem absumite
Æneadæ magni; quantum decus ardet in ore, (curâ
Cernite: quantû animo assurgunt, quantum instar in
Ex oculis, ex fronte lepos, ex pectore flagrat (illis.
Integer, exercet qui gaudia vestra, Quirites.

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut suprà.*

PRÆF. Fallorian ambobus roseû Deus afflat bono-
Sic reor humanâ major, meliorque renidet (rem?
Augusta facies, Deus hanc, Deus attulit auram
Ingenuæ lucis: rigidum Deus ipse pudorem
Temperat; ingentesque animos submittit honestè.

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut suprà.*

PRÆF. Vt patriæ mulcent curas! ut pectora placât!
Vt veteres festâ pellunt ex Vrbe timores!
Vt facili in Cives dispensant lumina flexu!
Vt propiore Deo sublimes prima pudoris
Argumenta sacri præportant pectoris ignes!

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut suprà.*

PRÆF. Sic Helenæ fratres deprensis fidera nautis
Puriùs ostentant, & amicâ luce coruscant:
Sidere quo toto decedunt æthere nimbi,
Diffugiunt nubes, & ponto strata recumbunt
Murmura: tuta suo defertur flamine puppis,

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut suprà.*

PRÆF. Ille Patri propior, patrio qui nomine Prin-
Auxit honoratum non unâ laude parentẽ, (ceps!
Quem sese vultu, quem sese moribus effert!
Aspicis ut vivâ scintillant lumina flammâ?
Prô, quantum elatâ, Iuvenis, cervice minaris.

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut suprà.*

PRÆF. Hic verò, hic ille est, olim qui Marte ferocî
Implacatum Ararim bello, Rhenumque bicornem,
Et magnum Euphratem, & septemplicis ostia Nili
Auriferumq; Tagũ pugnax Pholoemque biformem
Audeat, extremumq; hominũ contundere Iberum.

MIL.

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut ſuprà.*
PRÆF. Ille minor, roſeo juvenis ſpectabilis ore,
Lumina dejectus, ſublimis pectore, patrem
Mente, manu fratrem. promittit, nomine Regem.
Cui ſeſe mitis ſapientia laxiùs olim
Inſinuet, fingatque animos, & leniat iras.

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut ſuprà.*
PRÆF. Vt matutino ſublucet rore modeſtè
Frondibus explicitis decor, igneſcitque pudicè
Floris Acidalii, quem mollis amaracus herbæ
Veſtiat, & gratum exhalans confundat odorem,
Sic puer effundit, ſic ſepit corda pudore.

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut ſuprà.*
PRÆF. Dum prior ille ferox haſtâ turbabit Hydaſ-
Indocilemq; jugi coget ſub ſceptra Niphatē, (pem,
Victor & emeritâ ſcandet Capitolia lauro;
Hic minor, & placidâ potior virtute, fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut ſuprà.*
PRÆ. Fortior ille armis moderetur fortiter armâ:
Mitior hic animis placidiſſima jura gubernet:
Ille paret bello, quæ fratris pace regantur:
Hic regat ingenio, quæ fratris Marte parentur.
Maximus ille ſagis vincat virtute feroci:
Maximus ille togâ vincat virtute togatâ.

MIL. *Age Latois, Nexa Cory. &c. ut ſuprà.*
PRÆF. Hunc olim, quæcumque ſagis, quæcumque
Serviet aut animis, aut armis utilis ætas, (quieti
Nil, niſi CLEMENTIS nomen te majus haberi
Roma velit, victrix armis, animiſque duorum
Ambos Roma colat, gentes venerentur & ambos,
Tam variæ linguis gentes, quàm moribus omnes,
Sæcula dum claudat poſtrema volubilis orbis,
Rurſus & incipiant alii procedere menſes.

MIL. *Pæan, pæan.* *Extrema brevi*
Age Latois, *Reſecuta modo*
Nexa Corymbis, *Tota volutet*
Maiore ſono *Carmina ſeptem*
Dicite mecum, *Collibus Echo.*
Pæan, pæan, *Pæan, pæan,*
Romula pubes. *Dicite mecum:*
Nemorum Virgo, *Romula pubes,*

Romula pubes,
Pæan, pæan,
Dicite mecum.
Strenua bello
Frangere gentes.
Pæan, pæan,
Dicite mecum.
Regis ab Aulâ
Regis in Aulam
Omine cum bono
Omina transfer.
Ter cane mecum,
Martia pubes,
Pæan, pæan.
Pæan, pæan.
Pæan, pæan.

SCENA SECVNDA.

Imperator ubi nepotulos ſuos ſagi togæq; ſcientiâ abundè inſtructos videt, regno præficit.

IMPERATOR. DOMITIANVS. FLAV. CLEMENS. VESPASIANVS, ET DOMITIANVS IVNIOR. CÆSARES. EPHEBVS. CONSILIARII. TYANEVS. PAREDRI. MILITES.

IMP. SPes una gentis, frater, & Romæ pater,
Cujus ſenectus prole vallatur piâ,
Qua fratris orbi ſceptra fulciret Deus:
Fundabit aulam lætus hic noſtram dies:
Regni paterni, frater, in partem veni.
Te Roma, te Veſpaſia fortuna expetit,
Tu corruentem ſuſtine, frater, domum,
Lauri nepotes jura moderentur ſacræ:
Hauſere juvenes indolem credo tuam,
Hauſere noſtram. Regna, quàm cepi libens,
Tam trado vobis: pulcrius multò eſt mihi
Dediſſe vobis ſceptra, quàm gentis dedit
Fortuna nobis. Caſus eſt naſci Ducem;
Efficere virtus. Principem capitis notam
Induite, juvenes: ſumma vos belli penes,
Et ſumma pacis, Cæſares, poſthac erit.
Quæ cœpta Numen approbet. Iam nunc Ducum
Præcipite mores: regna, quæ virtus dedit,
Virtus gubernet. nullus eſt regni labor,
Si ferre poſſis: mole ne preſſus ruas,
Virtute tollas. Purpuræ fulgor ſacræ
Multos fefellit, fallet & multos, mihi
Credite, nec ille ſemper experto placet.
Quem ſolus ille ſplendor ignarum trahit,
Pudere laborum ſolus ignavum premit.

DOM.

DOM. Si merita quæris æqua, si vires pares,
Quæ vasta dignè sceptra terrarum ferant;
Ætas recusat munus hoc longè mea.
VESP. Tam rudibus annis tuta nequaquã est fides.
DOM. Sed quod modestè, Auguste, profiteri audeo,
Nec polliceri vereor, hoc pulcrum est tibi
Obtemperando, ut consequar per te decus,
Quod imperando postules Romæ dari.
Quod pondus æras refugit, ut virtus ferat,
Parere juvenem citiùs ignarum jubẽ.
VESP. Et laudis amplæ fuerit, ut spero, tuæ,
Optasse regno puberes: regni rudes
Fecisse Reges; atque, cùm regnum dares,
Animos dedisse regios nobis simul.
DOM. Tu jura pacis, jura tu belli Reges
Virtute, nutu, mente, consilio, manu.
Nos decora regni regere dumtaxat decet,
At jura, & arma servient sceptris tuis.
IMP. Est vis in animis puberum, teneris licet,
Cui columen altum Flaviæ incumbat domus.
Multa est in istâ mater: est multus patris
Ætate in ista dignus Imperio vigor.
Meliora si sequentur, hæc prima approbo,
Omen futuræ laudis est omen spei.
FL. CL. Respuere donum fortiter possem quidem:
Nisi regna, frater, mente fraternâ dares.
Nunc tibi merenti, digna pro tanto DEVS
Munere rependat dona, dum rapido dies
Volventur orbe: bruma concrescet gelu:
Verno decorum flore ridebit solum:
Sirius hiulca prata torrebit canis,
Grandesque baccas gravidus autumnus feret,
Tua dona, frater, fama narrabit recens.
IMP. Nunc auspicari Roma spem discat suam,
Quâ spe recumbat columen Augustum Imperî
Felicitatis omen ex vestrâ indole
Populus capessat, nata sub casto lare,
Nutrita castè, perque nobilium artium
Educta cultus. More Persarum patàm
Ingenia, juvenes, vestra spectari placet.
Aliquis decoris regii auctores vocet,
Quibus hæc inventa credita est. EPHE. Adsunt se-
Quatuor, ab omni laude Græcorum inclyti. (nes
IMP. Quam quisque vestrum callet, & tradit, licet
Pro se reposcat scita virtutis suæ.
Exquire jura mitis Astrææ. senex:
Tyanee, poscit usus hic aures tuas. (tenor
CONSIL. Quæ forma regni vera? VESP. Iustitiæ

Idem per omnes ductus officii gradus :
Morum magiſter, ordinis rector, bonæ
Tutela pacis, civium præſens ſalus.
DOM. Vox eſt Lycæi : ex porticu vero, fidem
Chryſippus addit, acer in primis ſenex.
TYA. Felicitatem civium regno aſſerit
Hortus Platonis, rore Socratico madens.
DOM. Hæc ipſa ſumma eſt, hoſpes; & regni modus.
At noſter auctor explicat cauſas, quibus
Alumna pacis illa Chryſippi fides
Naſcitur, & hortus iſte Socraticus viret. (DEI,
CONS. Quid eſſe Regem reris? DOM. Exemplum
Felicitatis Principem, pacis Ducem,
Æqui ſeverum Præſidem, mitem Patrem.
VESP. Hoc ex Homero doctus expreſſit Plato,
Vir eloquendi major aliquanto artifex,
Quàm ſentiendi. TYA. Scriptor in Cyro gravis
Xenophon, requirit æra, populorum metum,
Fidemque, claſſes, arma, legionem, aſſeclas.
CONSIL. Loco requiris, hoſpes, armorum metum.
Sed quæ ferocis ſcita virtutis putes,
Collega noſter quæret. CONSIL. In partes genus
Cæſar, decori differas. VESP. Primas Deo
Iuſtitia tribuat ; templa, pietatem, ſacra :
Patriæ ſecundas, arma, conſilium, fidem.
Homini pudoris lumen ingenium ſagax
Partes in omnes decoris intentum impetum,
Animumque memorem numinis caſtum & metum;
TYA. An eſſe Divos reris ? PARE. Hic aures mihi
Arrige : tenetur : hæret. VESP. In longos voca
Sermonis orſus, hoſpes, incœpto procul
Avius aberras. quære, quæ quæris, loco.
PARE. Eluſa cecidit quæſtio, quæ de Deo eſt.
Molem pericli Iuvenis excuſſit vafer.
IMP. Mittantur iſta. Fortis officium Ducis
Exquirat alter : dedimus Erigonæ ſatis.
CONSIL. Effinge ſortem, Cæſar : in bello ferox
Furit ille ſemper aſpero armorum ſono ?
VESP. Numquam ille temere ſævit: haud cæcũ im-
Projectat audax animus: inſani hoc erat, (petum
Non fortis. Igitur ille qui, Magni notam
Lucratus, aulam Macedo Perſarum eruit,
Temere profuſis viribus, veræ decus
Laudis reliquit, turbidè tantum ferox.
Armata virtus mente rem belli gerit.
DOM. Cunctator ergo noſter, & lenta mora
Annibalis arma Fabius in longum trahens,
Depulit : id unum quippe cunctando cavens.

Patriæ

Patriæ ut reſervet arma, ne bello excidat:
Semper recenti laude florebit ſenex.
Senuit Minucii dextra projectè minax.
Memor ferocem fortis ardorem in loco
Expromit: aut cùm ſancta relligio virum
Obſeſſa poſcit: nutat aut patriæ ſalus
Oppreſſa bello. ſæpe pro caſtâ decet
Vitam paciſci laude. nam quædam bene
Tempora pudori fortis invicto dabit,
Vitæque turpi fortiter mortem pudor
Præfert honeſtam. Vrbium Scenæ ſonant,
Semper Menœceus laude caneſcet novâ:
Illum pudori, hunc immolat patriæ fides.
IMP. Nunc age, tumultu regna ne trepident novo
Animoque Cives arma diſcordi fremant,
Mulcere motos arte quâ fluctus queas?
VESP. Nec una ſubiti cauſa diſſidii feros
Irritat animos, Domine: nec motus modo
Ponuntur uno: remedio tamen hoc fuit,
Habuiſſe Cives Civium ſemper loco.
Servile nomen odit, & ſortem, & notam
Quicumque nomen hominis, atque animum gerit.
DOM. Nam jura Regni jure naturæ ſedent,
Quæ Patria non natura, regnanti dedit
Scilicet in æquos antè naturæ gradu,
Virtute nempe ſceptra, populari fide
Nituntur: illam verus ex meritis amor
Conciliat; at amor elici, non exprimi,
Merendo, non jubendo, qui verus, poteſt.
CONSIL. Quid ſi timerēt? VESP. Diligi humanū eſt (magis.
Inſtabile multis reddidit regnum metus.
Metuant Tyrannum Barbari ſævum truces:
Fortes Quirites Cæſares fortes ament.
Quod liber animus ſponte dat, juſſus negat.
Metu coacta deſerit Reges fides.
Precariò imperatur, ubi terror valet.
IMP. Mavis amari Cæſares: artem doce.
VESP. Intentus animus, arduus, celſus, ſagax,
Impiger, amœnus, vividus, verax, probus,
Expoſita virtus, mollis affatus, manus
Donare facilis, mitis ingenii ſales,
Conſilia certa mentis, ingenii rigor
Cuſtos pudoris, æqua promiſſis fides,
Idemque vultus ſemper; & nullo metu
Timidè recedens pectoris magni color,
Nec dextra bello ſegnis, aut paci gravis
Vbi vis amantur, fine ſi modico latent.
Si ſumma ſint in Rege, de Cœlo DEVM

Adeſſe clamant ; adſit & felix, rogant :
Amant, verentur, ambiunt, ornant, colunt.
IMP. Aliò vocetur ſermo : ſat doctis erit.
Quæ vulnerandi ratio Romanæ magis
Pugnæ videtur apta? VESP. Quæ punctim ferit.
Letalis acies eſſe mucronis ſolet,
Cùm penetrat. at quæ ſcindit, ingenti licet
Vulnere, medelæ ſæpe nocituræ locum
Stultè reliquit: Hoſtis en vultu ferox.
Poſtquàm cicatrix coiit. obductâ cute,
Ferrum retractat, inſtat, & rurſum ruit
Acrior, & ipſo ex vulnere accenſus magis.
At cui per imas viſcerum fibras abit
Tranſmiſſus enſis, ſtratus in fœdo comam
Pulvere volutat victus, & verè jacens
Numquam rebellat ; victor exuviis ovat.
Sed militaris roboris miles decus
Expetat : at Imperator exoptet Ducis
Animos, & artem bella moderandi fera.
IMP. Ductoris ergo prome quas partes probes.
VESP. Commiſſa ferro fama conſilio ſenum
Regenda primò eſt : fama, quæ ſummi Ducis
Sit ſumma ; nam quæ media, nil ſanè moror.
Habeat Senatum : bella non ſemper manu
Avidus cruoris ductor adoriri velit.
Ducibus juventus pareat, ſenibus Duces,
At cùm juventam claſſico bellum citat,
Pubes legatur apta, bis denas ſupra
Adulta meſſes ; docilis in longum famem
Extrahere, patiens pulveris, Solis, nivis :
Annibalis olim qualis, & Pyrrhi retro
Dejecit arma ; qualis in Libyam metum
Vrbis retorſit : quæque Pellæo Duci
Obvia ſtetiſſet, ſivè Papyrii cohors
Aſſueta caſtris, ſive Torquati pavens
Faſces ſeveros ; quæque fregiſſet minas
Orientis ardens, Latia ſi Macedo ferox
Tentaſſet arma. Volſcus, Etruſcus, Ligur,
Pelignus, Oſcus, Hernicus, Samnis manus
Verſare glebas ſueta bellorum ſciens :
Marſus, Sabinus, Vmber, Amerinus : quibus
Romana virtus crevit, & toto vagam
Aquilam Latinus orbe victricem tulit.
IMP. Collega Regni, Cæſar, & fratris comes
Exquire Domiti. ſi quid exponi ſtudes.
DOM. Ambire frontem fronde murali velim :
At ceſpes ille graminis paucis datur.
Quod ex ſuperbis arcium petitur minis.

Proinde

Proinde quo molimine aut ſternam ſolo,
Aut irrepertum limen explorem, doce.
VESP. Deſcribe poſitum molis, & faciem loci.
DOM. Opulenta ſpatiis ora diffuſis patet,
(Velut Antuërpienſe Belgarum ſolum,
Vbere beatum pecoris, & frugum ferax)
Populoſa, dives, urbibus centum frequens.
Hac portuoſo marginem ad primum mare
Alludit æſtu: cærulo in campo procul
Pecoroſa, facili paſcuo contra jacens,
Inimica noſtris, quæque me ignaro hoſtibus
Alimenta feſſis larga ſubvectat rate.
Inſula virenti læta reſpondet ſolo,
Et ipſa dives, facilis & victu, oppidis
Notata crebris, atque glandiferis jugis:
Hic mihi rebellans hoſtis indocili jugum
Cervice quaſſat: ille bellorum ſciens
Et qui ſalutem, & nomen in dextrâ gerit,
Promptam abſtinere neſcit à ferro manum,
Et ſæpe bello fractus infringi nequit,
Opibus amicis fiſus, & pugnax ſuis.
Hoc fretus, armis arce ſe tutâ tenet.
Quam tumidus amnis inter illapſus ſecat.
Huc quidquid alibi paſcit, aut fœlix arat,
Accola, ſecundo flumine ex longo invehit.
Quin altus undis gurges in gyrum alluens
Mœnia refuſis ambit, & latè æſtuat.
Arx urbis ipſa capite turrito ardua
Cœlo minatur undique, & triplici arcium
Culmina recinctu ſolida murorum imminent.
Dic, qui capeſſam frondis hinc quernæ notam?
VESP. Magnum opus, & anceps, aleæ & plenus la-
Sed cui labori ceſſit undiſono Tyrus (bor.
Prætenta ponto, ſegnior bello licet:
Et Antuërpienſis huic, quamvis ferox,
Succumbat hoſtis: melior Alexander modo,
Quàm Macedo, muros Vrbis obſidio premat
Hac, quâ per undas ſubvehit faciles opes
Inſula propinquis hoſtibus, primâ rates
Prohibeat orâ miles ad litus ſedens,
Aſſiduus, acer, multus. Hic ſtagnant ubi
Vndæ refuſi gurgitis, caſtris phalanx
Poſitis, adactis machinis Vrbem urgeat:
Saxis, ſagittis, vineis, plumbo, face,
Ad prima ripæ ſpatia terrorem rotet.
At, quâ ſonoro flumen illapſu arduam
Influit in Vrbem, larga ſufficiens ſinu
Pabula ſecundo denſus intextâ trabe

Impositus amni miles ineuntes opes
Distineat armis : & catenatus labor
Insternat undas, ratibus injectis super.
Lento duello victus, & lentâ fame,
Tandem superbus hostis accipiet jugum,
Et tibi virenti vinciet quercu caput.
IMP. Ita prorsus. istuc adderet Macedo nihil.
Nunc tu vicissim, Vespasi, quidvis roga.
VESP. Tu fare contra, sceptra qui fundet quies.
Videm ampla Romæ regna quàm forti manu
Ægrè tenentur : utque victorem gravi
Pondere fatigant, bella dum transfert vagus.
Et claustra longè miles Imperii feris
Præsepit armis, regna tutatur malè,
Et pace partâ tela, non ponit tamen,
Intentus hosti semper. Europam tenet :
Imperitat Asiæ, regiam frænat Iubæ.
Libyam coërcet, quidquid illustrat dies,
Nostrum est, & intra limites regni jacet :
Tamen inquietâ pace vix uti licet.
Perdomita dominam terra detrectat manum.
Certata toties bella certantur diu :
Extrema servas ? media terrarum labant :
Ad media properas ? flecte legionem retro,
Vltima laborant : hostis hàc fessus silet
Paulisper ? illac strepitus armorum sonat.
Mauri quiescunt ? Bætis, atque Hammon fremunt.
Pax est Ibero ? Gallus in ferrum ruit.
Sequana tumultus posuit ? en Ister ferit.
Istro redacto, Tanais horrisonum strepit.
Hæc inter, ævum miles in castris terit,
Et bella trepidis semper excubiis premens
Ex orbe in orbem transit, atque instat sibi.
Hinc fœda labes rebus : huc belli refer
Vitia cruenti : Roma nam longè minax
Victoriarum fustinet pondus malè,
Auxilia fessis lenta dum rebus parat ;
Vix sparsa terris regna diversis tenet.
DOM. Arcana regni, Cæsar ut video, moves.
Quæ nosse fas est Cæsares, populos nefas.
Refert, Quiritum jura, post Brutum Ducem
Signata fastis nosse : quo pacto recens
Curia Senatus providi victis agros
Demptos colonis, donat emissis : gravi
Exonerat Vrbem plebe, populorum fidem,
Sobole remissâ civium, astringit sibi ;
Exhausta bello, pube suffectâ, hostium
Oppida frequentat, jure civili addito.

Ergo

Ergo Quirina floruit virtus diu,
Quoad colonus municeps, civis ſatu,
Communicati generis, & juris fide.
Incolume regnum ſorte tenuerunt pari.
Stativa pubis caſtra ſuſpectis locis
Fixiſſe multum profuit, nequid metu
Solutis hoſtis audeat Victor procul.
Dum ſigna transfert, inſtet, & feſſos diu
Delaſſet hoſtes: citiùs evictis nihil
Abit, remiſſo Marte, quàm juris fides.
IMP. Spectata memoras: ede, ſi noſti, hoc quoque
Stativa victor caſtra quo tractu loces?
Quâ ſede fixus regna contineas metu?
DOM. Audita tantùm dicta memorabo puer.
Sithonia longo, Domine, ſe tractu explicat
Interluentis Boſphori gracili ſinu
Præfuſa tellus undique. hanc Thraces arant,
Ægocerus imam ſpectat extollens facem,
Et ſydus urget triſte falciferi ſenis.
Perpetua ſpatiis ora naſcentem diem
Perfidaque, Mediamque, Gangaridum & domos
Cilicemque Orontem, & triſte Callıroæ ſpecus,
Et vaſta longè regna Nabatheæ plagæ
Projecta ſpectat: latere ſed dextro nives
Glacialis oræ tangit, & Macedûm juga,
Finitima latè ſpatia, Rhodopejum & nemus,
Hæmumque, & Hæbrum, & ſæva regnata aſpero
Quondam Lycurgo ſaxa, & Illyricos ſinus,
Lætaque Timavi littora, Euganeum & ſolum
At quà cadenti Veſper occumbit die,
Proxima ſuburget Libya quàm lata eſt, mare,
Byzantiique Boſphori affines ſinus,
Hâc ſede certa caſtra muniri licet:
Huc facilis aditus, reditus hinc tutus patet,
Trajectus unde miles excurſus breves
Tentabit, & quà Gange gemmifero rubet
Aurora dives, quaque Riphæas nives
Accumulat Aquilo, quaque Barcæos fiti
Deſerta regio nutrit, infrænum genus.
IMP. Iuvenes, facultas veſtra ſpectata eſt ſatis
In anteceſſum. Sceptra terrarum hæc manu
Geſtate facili: jura, quæ noſtis Ducum,
Docete Reges: Cæſarum hoc harpe decus
Suſpenſa lateri pendeat: gentes metu
Cohibete fortes: gentium vobis ſalus
Commiſſa, Iuvenes, eſſe vos juſtos jubet;
Auſpicia Divus noſtra Tarpejus probet.
Oſtende Romæ vota terrarum, cohors,

Iterate Pæan, Milites : Pæan ſonent
Omine ſecundo colle ſepteno juga.
PRÆF. Iaſide Magni, &c. ut ſuprà SCENA I.
MIL. Age Latois, Nexa, &c. ut ſuprà SCEN. I.

SCENA TERTIA.

Palladi litatur, exta conſuluntur, è quorum turbatione ac motu ſupremũ regno exitium imminere colligit Tyaneus, ni quam mox Fl. Clemens, unà cum filiis è medio tollatur.

IMPERATOR DOMITIANVS. DOMITIANVS IVNIOR CÆSAR. TYANEVS. FLAMEN DIALIS. FLAMEN FLAVIVS AVGVSTALIS. POPA. MYSTA. PRÆCO. PAREDRI.

IMP. NOs hinc Deorum pompa digreſſos vocat
Mœſtum Sibyllæ carmen, & cæcæ Deæ
Curare ſortem Flamen egreſſus jubet.
TYA. Iuvenes abeſſe Cæſares ſacris veta,
Auguſte : Iuvenum mitigant Divos preces.
DOM. Nos alia quædã ſacra, quæ ſperni eſt nefas,
Incœpta dudum, Domine, pro regno vocant.
Indicta Patri nuper hunc ipſum in diem.
IMP. Cui fit Deorũ? DO. Maximo, & verè optimo.
IMP. Per me licebit. Petite Tarpejam domum.
DIAL. Præire precibus, ſi placet, Cæſar, licet.
IMP. Verſo de Superis ſiquis ab Ilio
Æneam profugum, numine proſpero,
Ad Lavina tulit littora, nec rogis
Spes Romæ periit Laomedontiis :
Huc flectat placidum numen, & arceat
Seu quid terra tumet, ſive quid æquora ;
Optatum referens omen ad exitum.
DIAL. O Saturnia, maximi
Et conjux Iovis, & ſoror :
Arces quæ Tyrias, Samo
Olim poſthabitâ, fovens,
Malles, Diva, Cydoniam
Victis pandere regiam :
Ni frater melioribus
Fatis Oenotriam daret.
Turnum tu Iuvenem tegens,
Et pactos Iuveni toros,
Exorata tamen pios

Numen

Numen vertis ad exſules.
Tu ſi læſa doles, minas
Vertas in melius, Dea:
Auguſtumque Ducem diu
Serves incolumem, precor.
Vel tu bellipotens progenies Iovis,
Quæ, quo nata die es, numina territas,
Armas & rutilâ cuſpide dexteram,
Munis Gorgoneâ pectus & Ægide:
Incrementa Patris maxima maximi
Iam tum, Diva, probans, cùm tremuit Iovis
Vertex, & cerebrum fiſſile Mulciber
Ictu prævalido diffidit, aureâ
Irrorans pluviâ protinus æthera:
Haſtam concutiens vulnere patrio
(Tantum numen eras) innuba profilis.
Tu Veſpaſiam numen ad Aulam
Verte, Virago: ſi te centum
Magnus ad aras Cæſar adoret.
FLAV. Tuus ille, tuus, ſimiliſque tibi,
Optima Pallas, pulcer, & ardens
Fulmine Patris, cuſpide Matris
Filius: acres ille tyrannos,
Ipſa bimembres Diva, Gigantes
Sternis: & orbi conſulit ille
Solus, & aſtris: turba Deorum
Tecum patrio pugnat Olympo.
POPA. Agóne? DIAL. Dicatæ victimæ niveâ molâ
Aſperge vellus. MYST. Vellus aſperſum eſt molâ.
FLAV. Immerge torrem. MYST. Fumidam ſtridens
Extinxit unda. DIAL. Rore luſtrali madens (facē
Decerptus oleâ termes in gyrum viros (levis.
Ter, Myſta, ſpargat. MYST. Sparſa ter lympha eſt
DIAL. Prælibet, adſtat quiſquis, in partem Iovem
Thalamique ſociam, & Palladem ſupplex vocet.
MYST. Calix in orbē ductus eſt. DIAL. Verbis malè
Parce ominatis, quiſquis his ſacris ades.
Favete linguis: admove ſacrum pecus.
POPA. Agóne? DIAL. Quod optas, Cæſar, expoſce.
PRÆCO. Hoc age
DIAL. Nunc, quem latentes victimæ fibras velis
Conſulere, Cæſar, propius accedat, licet:
Adeat Aruſpex. IMP. Numinum exploret minas
Auctor Deorum certus: Extales notas,
Tyanee, fati ſigna manifeſta inſpice.
TYA. Ne divagetur animus in morem mihi,
Obtende circum linteo, Theſpis, caput.
Diviſa curis errat, & ſerò redit

Volucris

Volucris ad usum mentis ingenii fuga.
Sat habes. ad aram victimam appelli jube.
Tu luce viduum, more quo nosti, regens,
Arcana referes monstra, quæ fibræ notant.
PARE. Appulsus aris agnus exspectat manum.
TYA. Lacrymã Sabæi thuris in cumulum instrue.
PARE. Plurimus in orbem thuris assurgit tumor.
TYA. Populare carmen Palladi, matri optimæ,
Sacrifica pubes, voce solemni cane.
MYST. Ingenii soboles magni, Tritonia Virgo,
Bellisonæ laudis, paciferæque potens:
Mille parens operum, fœlix Dea, mille laborum
Vtilis una sagis, utilis una togæ.
Te colit, exstantes radio percurrere telas
Qui solet, & rarum pectine densat opus.
Te colit & læsis maculas qui vestibus aufert,
Te colit & lanis quisquis ahena parat.
Quique movet Cœlum, tabulasque coloribus urit,
Fingit & artifici mollia saxa manu.
Te quoque, Phœbeâ morbos qui diluit arte,
Pœone sit quamvis doctior ille, colit.
Te nihil invitâ cultis tentabit in agris,
Sit melior Tychio rusticus ille licet.
Et licet, antiquo manibus collatus Epeo
Sit prior, iratâ Pallade, mancus erit.
Numinis ô miri numen capitale Minerva,
Ingenium solers, armipotensque Dea.
Tu seu pacis amas faustæ gestamen honestum,
Ingenium leni munere lene proba:
Seu trepido gaudes populos miscere tumultu,
Pro Ducibus nostris Ægida semper habe.
TYA. Succende thura. PARE. Thure succēso focus
Fumum volutat. TYA. Extitit flammæ juba?
PARE. Extitit: at ater fumus obduxit facem.
TYA. Indicia rixæ prima præmonstrat Dea.
Quid flamma? PARE. Structã dubia prægustat pyrã;
Invita circum serpit: & fumo nigrum
Stridens volumen errat obscuræ facis.
TYA. Geminate laudes Palladis: numen potens
Placate cantu: Pallas avertat metus.
MYST. Numinis ô miri numen capitale Minerva,
Ingenium solers, &c. ut suprà.
TYA. Eventiletur flamma momento levi.
PARE. Eventilata flamma diffudit comam.
TYA. An color in igne certus? PARE. Horresco intuens:
Aspice. rubenti prima sublucet juba:
At media lucent instar Oebalii croci:
Postrema liveut. Rursus in summâ face

Fumi

Fumi involucrum cernitur (monſtrum rei
Mirum) refuſus inde per totam jubam,
Aſpice, ſereno livídus ſerpit color.
TYA. Meliora narras ſigna. PARE. Quid cerno? ni-
Clareſcit ignis: rurſus infectæ comæ (ger
Rareſcit ille livor à ſummo fluens.
Nec una facies ignis, aut fumi color
Splendeſcit unus: purpuram ſplendens apex
Aſſimulat: albo variat obſcuro ſinus:
Effulget hyalo ſatura pars flammæ prior,
Viridi ſmaragdo ſimilis: amethyſti viden'
Illum colorem? cernis incertæ facis
Vt diſcolore lumen igneſcit ſinu?
Cùm nullus adſit, nullus hic deſit color.
Sic quoque columbæ mitis, obverſo die,
Guttata tingit colla verſicolor nitor.
Expone, doctor, ſigna quos moneant metus.
TYA. Addubitat animus: Palladis ſi ſunt minæ,
Placate mite Palladis numen Deæ.
MYST. Numinis ô miri numen capitale; Minerva,
Ingenium ſolers, &c. ut ſuprà.
TYA. Iugulo ſoluto, mittat in flammam ſacrum
Victima cruorem. PARE. Manat in flammã cruor.
TYA. Coſtis apertis cerne venarum ſitus.
PARE. Quid hoc? meatu capita perplexo latent,
Diſcluſa propriâ ſede: non fibræ micant,
Non ipſe pulmo palpitat motus loco.
Prætenta cordi (triſte portentum Ducum)
Omenta guttis ſparſa ſanguineis rubent.
TYA. Quid cordis ardor? PARE. Languet, & tacta (retro
Virgæ receſſit ſanguis: & venæ tepent,
Ad cordis arcem fiſtulis tentæ cavis.
TYA. Iterate cantu Palladis laudes piæ.
MYST. Numinis ô miri numen capitale, Minerva,
Ingenium ſolers, &c. ut ſuprà.
PARE. Sed ecce pugnax viſcerum exultat pavor.
Diſcors repentè rixa fibrarum omnium
Intenta variis exta ſollicitat viis.
Labyrinthus olim talis, obliquus labor,
Parietibus anceps turbat implexis iter.
TYA. Cunctáne rebellant exta pugnaci ſitu?
PARE. Non cuncta, doctor. pauca tentantis manũ
Quatiunt. TYA. Cruoris ede, quas cernis, notas.
PARE. Quæ vena cordi jungitur, nigro tumet
Livore fellis, turgidum pleno vehens
Tractu cruorem: bina cui motu levi
Nectitur utrimque fibra, cùm reliquum vacet
Cruore corpus: numerus hic tantum rubet:

Tribuſque

Tribuſque large profilit venis cruor.
TYA. Prô ſancta Pallas, præſes imperii Dea:
Tantúmne facinus, tantus hic gliſcit furor?
Vix credo: verè tuta non uſquam eſt fides.
IMP. Quid trepida ſacri monſtra terrifici ferant,
Effare vates. TYA. Domine, quid fari jubes?
Inter tumultus cordis, & diros metus
Attonitus hæret mentis, & linguæ ſtupor.
Sunt gravia, ſunt nefanda; ſed in alto ſedent,
Quæ monſtra cuſtos capitis Auguſti monet.
IMP. Expone properè, tetra ſint quamvis, mala.
TYA. Tacere quæſo, patere, quæ ſuadet metus.
IMP. Si te labores Vrbis attonitæ nihil
Tangunt, & aulæ cura Veſpaſiæ, nihil
Etiam movebunt damna terrarum omnium?
TYA. Neſcire malles, ſcire quæ nimiùm ſtudes.
IMP. Adeò ne vilis ducitur Regum ſalus,
Qui nos inerti remedio ignorantiæ
Obruere, non ſanare, contendas mala?
TYA. Vetes moveri, ſi quid eſt tangi nefas.
IMP. Arcana ſacri retege; vel victus malo
Diſces periclo Regis irati minas.
TYA. Odere Reges quidquid auditu eſt grave.
IMP. Non iſta vox à Cæſare exſculpi poteſt?
Adhibete, famuli, machinas diræ necis.
TYA. Invita, Dúctor, verba, quæ terror premit,
Tua juſſa promant, capitis & primi ſalus:
Mea vilis eſto: dicta patienter feras.
IMP. Vllíne fraudi eſt vocis expreſſæ ſonus?
TYA. Mihi quippe: ni vim, Cæſar, arceri voles.
Indicia vati ſæpe nocuerunt ſua.
IMP. Tantum ne cuiquam liceat in regno meo:
Quis iſte fœlix, Maximo major Dúce?
Arcana profer tutus Auguſti fide.
Me Rege vivo, vel Iovem ſpernas licet.
TYA. Minora multò ſceptra contemnam magis.
Nunc hos latentis ſortis hórrificos ſonos
Excipere teſtes, Cæſar, aſtantes veta.
Arcana ſunt, & magna, quæ Pallas tegit,
Retegi tque præſens capitis Auguſti parens.
IMP. Abſiſte, vocis arbiter noſtræ, procul.
Vacuum loquelæ liberæ tempus datur.
TYA. Odium Deorum Dómine, vel potiùs tuum
Sim, niſi pavore ſanguis attonito coit,
Dum dira facies ſceleris infandi meos
Oberrat oculos ante, quæ fugit tuos,
Tè monſtra, te portenta (prô priſcam fidem!
Tantíne, quæſo, nomen illudi Dúcis?)

Te

Te ſigna ſacri, Cæſar horrendi petunt.
Relegantur animo ſortis Eũboicæ metus.
IMP. Nunc recolo : quiddã nunciat magnũ,& ferũ
Vrgere ſcelere Regiam preſſam gravi.
Eloquere rurſum verba Cumææ ſenis,
Memori notatæ mente ſi voces ſedent.
,, TYA. Fer diu, ſcelerum fœdos averte tumultus
,, Regia, decedet ſedentibus ira Deorum.
IMP. Iram Deorum nunciant, aulæ ſcelus,
Fœdos tumultus, civium occultos dolos.
TYA. At ira Divûm cedet, & triſtes minæ,
Si cedet aulâ criminis cæci lues.
Fortuna ſimiles edit Eũboicis ſonos ;
Miro Sibyllæ recinit aſſenſu Dea.
,, Non priùs infenſi miteſcet numinis ira,
,, Candida nec mœſtæ ridebunt ſidera Romæ,
,, Quàm ſcelerum fœcunda dabit verruca rubores
,, Sanguinis. IMP. Ad iſtas animus ambages paver,
Verruca quæ quos rubra terrores ferat.
TYA. Adnata membris macula, membrorũ eſt nota,
Non ipſa membrum eſt, ille verrucæ tumor
Sed læſus, ipſi corpori peſtem parit.
Turgens propinquo ſanguine adnatum malum
Sceleris propinqui monſtrat affinem luem.
IMP. Quæ verba ſuperant ſortis ambiguę explica.
,, TYA. Quam minime reris, mactatu victima diro
,, Dardaniæ reddet, Ductor Romane ſalutem.
Solamen ingens rebus extremis adeſt.
Mactata Divis victima arcebit metus.
IMP. Quo capite numen Regiæ infenſum jubet
Scelus expiari? TYA. Cæſar, inopino, ut reor,
Nec innocenti capite vim vinces Deũm.
Fortuna certè poſcit inopinum caput.
,, Quam minime reris mactatu victima diro
,, Dardaniæ reddet, Ductor Romane, ſalutem.
IMP. Nunc illa ſacri ſigna terrifici edoce.
TYA. Flammæ volumen diſcolor vario, nefas
Tumere partu præmonet : livens apex,
Primò ſerenus, deinde per totam jubam
Verſicolor ignis, Regiæ ingentes metus,
Terrore vario fraudis incertæ, notat.
Sed terror omnis regium circa caput
(Meliora Pallas : omen avertat Dea)
Ambiguus errat : inde depulſo metu,
Inſida capiti membra depoſcunt minæ,
Apicis ſereni pura quos monſtrat coma. (metum.
IMP. Quid exta? TYA. Similem flammeo oſtentant
IMP. Eloquere miram Numinum concordiam.

TYA.

TYA. Quæ cordis arcem vena tumefacto petit
Infecta tractu, fraudis affines dolos,
Et vim tumultus impii & luctus graves
Capiti imminentes Principi haud dubiè indicat.
Hæc fissa bino sanguinis fœtu furit;
Quam bina circum fibra se fundit rubens.
IMP. Instare pridem civium motus feros
Præsaga mens ducebat; hos Divi monent.
Sed sceleris auctor Cæsare ignaro latet.
TYA. Præverte fraudem, Cæsar: auctori, & suum
Regeratur, oro, crimen. En aude: virum
Hæc fata poscunt. Qualis ex istâ quies,
Felicitatis quantus ex istâ tenor
Severitate ducitur regno, vide.
Lustrabis orbem: Numinum pones minas;
Sidera redibunt læta: Felici parens
Fundabis aulam prole, quam spondet pio
Fortuna patri. IMP. Fare, quâ mulctâ Deûm
Sedentur iræ. TYA. Nempe, quam minimè velis.
IMP. Expone nomẽ. TYA. Signa, nõ homines, Deis
Aperire mos est. IMP. Victimæ signum dato.
TYA. Cum prole geminâ numen exposcit patrem,
IMP. Quæ scelera patrem, noxa quæ fœdat genus?
TYA. Nova sacra Romæ suscipi nosti; reor.
IMP. Iudæa dices sacra; quæ, Christo duce,
Invecta Latio, strenuè princeps Nero
Exegit Vrbe nuper, ut cultum Deûm
Assereret aris. TYA. Ille vir, Cæsar, fuit,
Nunc illa rursus pullulat Romæ lues,
Egressa latebris: illa nunc aulæ imminet,
Te Rege, te Tritonidis nato, & Deo:
Et templa Divûm, & sceptra divexat Ducum.
Quos ergo juvenes signa sacrorum nova
Præferre cernes, illa te, Cæsar, patri
Adjuncta proles, scelere sacrilego perit.
Vt numen ipsos potiùs infestum opprimat. (que.
IMP. Opprimet. ab ense sanguis hoc sequitur quo-
Tu modo locorum, & temporum indicia edito
Manifesta, per quæ noxium exagitem genus.
Men' petat inultus hostis? huic quisquam Deûm
Illudat homini? signa tu sceleris dato.
TYA. Non priùs Olympum claudet occiduus dies,
Manifesta quàm, me vate, deprendas manu,
Indicia fraudis impiæ, & patris nefas.
Scelus retectum sceleris auctores luant.

CHO-

CHORVS

Omnia mala Romani Imperii in Idolæ referuntur.

Non tu monstriferis causa periclis,
Terror Tenarii, Christe, Tyranni,
Non tu Romulidum sceptra fatigas:
Sed nos fœda premunt monstra Deorum,
Culta per Aras.
Ex quo Dardanios Romula fasces
Virtus Imperii prætulit omen;
Pugnax auspiciis Roma secundis,
Semper sæva tuis viribus usa,
Arma lacessit.
Septem constituit Romulus arces,
Is, qui mite Lupæ suxerat uber:
Et, cui deposito lympha pepercit,
Te mulcente feras, atque refusos
Gurgitis æstus.
Idem perfugium pandit Asylo:
Idem bella citat ludicra Circi.
Auctus connubiis inde Sabinis,
Vrbis bellisonæ mœnia complet
Plebe feroci.
Sed tu consilium mite Senatus,
Et tu dura feri corda premebas,
Iam tum, cùm Latii sceptra parabas:
Pellitosque Patres rauca ciebat
Buccina centum.
En quo fama gradu maxima crevit.
Tum cùm, finitimis culta Bovillis,
Tellus bubus erat advena nostris.
Hæc nunc, curva fui pondere regni
Roma laborat.
His egressa cohors finibus audax,
Terris perdomitis, trans mare portas
Longè velivolâ classe furorem.
Ne tantum Dominis Albula notas
Volveret undas.
Romanumque vocat quidquid ubique est:
Quæ tellus rutilo squallet in auro,
Quà grandes generat Pontus echinos,
Hæc, quamvis dubio Marte laborum,
Ora domanda est.
Qui dives, Latio dicitur hostis;
Ferrum non alio nomine tractant:

Bellet, divitiis quiſquis abundat.
Vna hæc ſervitii cauſa Latini eſt,
Eſſe beatum.
Victrix exuviis Orbis onuſta
Vix fulcire valet Roma triumphos.
Nunc, exoſa ſuas improba terras,
Ignotos, aliâ ſede jacentes,
Somniat Orbes,
Quid cum tot ſpoliis, Roma reportas?
Quæ de tot Populis digna ſubactis
Merces ad Latias ponitur aras?
Omnis flagitii cauſa, nocentum
Turba Deorum.
Ne quod prætereat crimen inauſum,
Verum præteriens Numen, Olympo
Vanos falſa Deos allegit omnes.
En queis ſuppliciis cuncta cruore
Expiat arma.

ACTVS QVINTVS.

SCENA PRIMA.

Nuntius Divi Ioannis in Pathmum exſulium denunciat.

NVNCIVS. FLAVIVS CLEMENS, S. IOANNES.

NVNC. OCcidimus. Vrbi reliqua quæ mœſtæ fuit,
Interiit omnis ſcelere Tyaneo ſalus.
Dux ille vitæ certus, & ſanctæ ſenex
Vitæ magiſter integer, cujus fidem
Experta dudum Roma præſentis DEI
Auxilia ſenſit: Regis imperio efferi,
Ex Vrbe pulſus, vertet exſilio ſolum.
Quis ſuſtinere culmen impulſum queat,
Caſum minantis Regiæ? magno ſenex
Subtrahitur oneri ſtrenuus, juſſus citos
Efferre greſſus. Roma quæ ſceleri patet
Omni, negatque nemini ſedem improbo,
Non recipit unum cælitus miſſum Patrem.
Vtrum hic facinoris ſtabit incepti impetus?
Ille ne reſiſtat artifex? aliud coquit:
Vlteriùs aliquid verſat. O rerum vices!
Quàm metuo parvis Flaviis! Caſto Seni
Quid hic nefandus obſit? in tutum ſuas

Laudes

Laudes redegit ille : cui votum eſt mori,
Et patria mundus omnis, exſilium eſt leve.
Vos mihi timendum facitis artificem doli
Culmine recepti Flavio, pueri Duces :
Ne rapiat idem ſpiritum vobis dies.
Qui ſceptra donat : omen avertat DEVS.
Principia fraudis horreo, fraudum exitus
Deteſtor : aulæ dubia ſpes motæ tremit :
Quò prona vergat, animus incertus pavet.
At ſceleris auctor ipſe quos agitat metus,
Rabidè furentis uſus obſequio Ducis !
Exſilia paucis : pluribus, voti impotens,
Exitia vitæ certa decernit : caput
Vt quodque clarum eſt, impiam ad cædem notat.
Color oris alius, alius eſt vocis ſonus.
Suſpenſa digitis fata delibrat minax :
Vertice ſuperbo graditur, & Cœlum ferit.
Sonuere poſtes Flavii. caſto Seni
De more CLEMENS exit adjunctus comes
Timor ſit utinam vanus huic vero Patri
Miſero gemendus aliquis impendet metus.
Adire certum eſt hujus ignaros mali.
Feſſi levamen unicum Mundi, Pater,
Decreta Regis voce cunctanti eloquar.
IOAN. Vt non loquatur lingua, de vultu pavor
Teſtatur imos cordis attoniti metus.
Proloquere juſſa Regis, à nobis bene eſt.
Hæc vita teli ſubſtitit jactum citra :
Conſilia portum ſancta ſecurum tenent.
NVNC. Timendum ad arcem fortis aſpirat nihil.
Ergo timoris cauſa tu noſtri es, Pater.
Vetas timere ? IOAN. Verius, fortem hoc decet.
NVNC. Ergo dolere liceat. IOAN. Hoc multò mi-
NVNC. Quis, te remoto, noſter hic rerũ ſtatus (nus.
Poſthac relictis fuerit ? heu, magni ſenis
Et luctuoſam, & nobilem Romæ fugam !
Mutare ſedes cogit alienus furor.
Sed propria virtus ferre moderatè docet
Exſilia quamvis dura, grandævum ſenem.
Exire, CLEMENS frater hunc, juſſit tuus :
Et claſſe vectum petere Pathmæum angulum.
FL. CL. Quæ res ſuperba juſſa Romani Ducis
Excivit ? Ede, tantus hic Regem furor
Exercet unde ? Syderum rector potens,
Vt hæc referrem dona properandum fuit ?
Excurrat aliquis nuncius tantæ rei,
Ab Exquilinâ ſede Domitillas domum
Qui revocet, hujus fœminas damni inſcias.

Revocate pueros Cæsares : regni sua
Auspicia discant prima. IOAN. Quos fletus cies ?
Miseris querelis parce, non miseri sumus.
Si turpis esset, esset & misera hæc fuga.
FL. CL. Si nudus ensis undique hoc fodiat latus,
Et flamma gazas fusa deglutet domus :
Si culmen altum Flaviæ domus ruat,
Et regna, quæ nunc genere tolluntur meo,
Latè sonora strage tollentes premant :
Virtute cladem ferre præsenti queam :
Nec ore fletum hunc volverem mœsto, Pater.
Tuos amores testor, & vitæ meæ,
Laudisque patriæ vindicem Christum Ducem,
Altiùs in animum vulnus hoc numquam mihi
Penetravit umquam: cogor, heu, cogor patris
Oblitus, hospes hospitis subitos miser
Deflere raptus. NVNC. Cerne constantem fidem,
Animique plenum pectus ingentis : sui
Securus hospes, hospitis deflet fugam.
FL. CL. Te per ego CHRISTI memoriam obtestor (tui,
Per jura Romæ sacra quæ fundas, Pater,
Te recipe latebris : publico Cœlo parum
Furare carum, sede sub nostrâ, caput.
Et, si timendum frater iratus docet,
Aggrediar, & decreta tentabo fugæ
Mollire jussæ : memet opponam libens,
Orbem ut ruinæ subtraham, qui nunc sedet
Vnius humeris hujus impositus senis.

SCENA SECVNDA.

Tyaneus de Ioannis exsulio iuveniliter exultat, Clementis filios expulsos narrat, eorum in locum sublegatis Fulvio & Sereno.

TYANEVS. FVLVIVS CONSVL.

TYA. VIcimus : & odiis hostium in Cœlo sumus.
Bene collocatis gaudii elatos novi
Concipere fluctus pectus angustum nequit.
O me Deorum maximum ! quantos metus,
Quantas cièbo generis inimici neces !
Nunc signa, nunc delubra, nunc demum Deus
Aras recepi fortiter. tandem manus
In has superbus venit, & totus quidem,
Cum prole totâ fratris : excussa est pii
Formido Regni : Flavium nomen fuit ;

Iuvenes

Iuvenes fuiſtis, Cæſares: hic vir Deûm
Vltor, oviqúe, reddidit Cœlo Iovem.
Zebedejus ille, noſter Agamemnon procul
Abſtractus Vrbe, mœſtus, extortis, miſer
Collapſa regna cernet: & magnæ ſpei
Senium ſuperſtes morte vivaci, diu
Exſul, per omnes fractus ærumnas trahet.
At hic nepotum carnifex, ductor Ducum,
Mei miniſter ſceleris, in pœnam mei
Servetur odii: cæde dilatâ ſuæ
Diſſidia gentis paveat, Æneadum manus.
Et quas Deorum nunciant ſortes minas,
In ſe regeſtas ſentiat. Stolidus mihi
Commiſit iræ nuncias ſortes Deûm:
Neſcius in hoſte callido quantum dolor
Vindex, & odio valeat accenſum ſcelus,
Sed cur moratur ante veſtibulum doli
Vindicta cœpta? perge, dum pronum nefas
Æquore ſecundo labitur. Nobis diem
Dedit hanc Tyrannus: tempore utamur dato.
Alter fatelles facinoris Conſul mei
Fulvius in ipſo tempore optato advenit.
FVLV. Quo ſumma rerum noſtra verſatur loco
Tyanee? TYA. Quo non ipſe ſi noſter velit
Meliore ponat Iuppiter. centum tibi
Agitant Megæræ Domitium exanimem metu.
Prodigia ſcelerum mille veſanum Ducem
Trepido pavore differunt; ſortes Deæ,
Carmen Sibyllæ, viſcerum fibræ, nocens
Animus per aulam raptat expertem ſui:
Infeſta Romæ tela, patrueles opes,
Imperia juvenum Cæſarum. Iam nunc pavens
Conceſſa regna damnat, & fratris genus
Optaſſe nolit: Militum in Iuvenes duos
Propenſa ſtudia ſuſpicax animi metus,
Auctore me, diſtraxit, & nimias opes.
FVLV. Præſidia vitæ fida cui mandat ſuæ?
TYA. Cui me voveres ipſe conſulto: tibi.
In te Latini roboris partem refert,
Quem ſibi fidelem ſperat in dubiis fore.
Partem Sereno tribuit: in binos Duces
Sic ille capiti pube tranſcriptâ cavet.
Hac arte dubias ille ſuſpendit vices.
Diviſa, tuta cenſet, infidæ manus
Si motus aliquis ingruat. Tu dum mihi
Dilucet aliquid melius, adſcriptam tibi
Hanc redige partem pubis, & dono libens
Vtere Tyranni: cætera expediet dies.

Et ſi, quod animo verſo, jamdudum Deus
Evolvet aliquis, me vide, ſperes tuam
Iuvenum duorum prærogativam fore.
Tranſigere tecum Ductor hoc ipſum cupit.
Adire ceſſas ? Abiit : urgebo nefas.
Vertatur aliò fraudis inſtructæ dolus.
Vt victimarum ſigna, polliciti memor,
Manifeſta fatis territo pandam Duci.
Ritus Magorum notus : ut tempus monet,
Ornabit aſtus fronte pellaci meos.
Credula juventus Cæſarum vultum patris
Aſpiciat in me, falſa : ſimulamen viri,
Specimenque fallax oris, & geſtum gravem
Imitabor. Atrâ nube ſubtexe æthera
Molitor omnis fraudis, umbrarum Deus.
Criminis ſator triformis, Clari vaſtator, &c.

ut ſuprà Act. 1. Scen. 2. pag. 184.

SCENA TERTIA.

Tyaneus ut Iuvenes Cæſares in fraudem inducat Clementem ſe eſſe, Imperatorem Chriſto dediſſe nomen fingit, cruceſq; munera ei offerenda tradit.

FALSVS CLEMENS, HOC EST TYANEVS. VESPASIANVS. ET DOMITIANVS CÆSARES. CHORVS.

FAL. COmpoſita ficto verba conabor ſono,
CLE. Et mœſta digito effata perpendam gravi.
Laus prima Regis, regere violentum impetum :
Reputare memori ſemper hoc animo decet
Quid facere domini debeant, cives pati.
Imperia nemo dura toleravit diu.
Quò te levavit altiùs flatu DEVS
Nimiùm ſecundo : ſpiritus hoc te magis
Decet inſolentes premere, metuentem DEI
Nimiùm faventis fulmen arcanum, & manum
Vertere valentem ſumma momento brevi.
Ego ne ſuperba ſceptra demirer Ducum ?
Aut eſſe quidquam ſtemma, niſi vano rear
Splendore fallax nomen, & mendax bonum ?
Fuit, & fuiſſe tempus aliquando dolet,
Cùm me ſuperbè civium ſupra modum
Fortuna gentis altiùs regno tulit.
Sed fregit illos ſpiritus regni frequens

Inſta-

Inſtabilis error : isque qui regnum dare
Potuiſſet aliis, ſponte quod nobis dedit.
Niſi falſus aures impulit Pæan meas,
Iuvenes ovantes commodùm in noſtros dolos
Induit amicæ pubis incautus favor.
Nimis obſecundat fraudibus noſtris dies.
Precario nunc ore quid poſſis vide,
Vt deſtinatas victimas reddas reus.
Tyanee, nunc te vince : quid timido pede
Segnis reſiſtis ? perge non parcis tibi,
Si parcis illis. Scelere te quanto implices
Nil deinde ſentis ? Vnde tam ſubitò novæ
Probitatis animum ſenſus inſuetus citat ?
Tam molle pectus eſſe non noſtrum ſolet.
An falſa ſpecies oris alieni, quoque
Animos parentis ingerit ? CLEMENS pius,
Effictus etiam, prohibet alienum nefas ?
Simulare vultum mitis an nequeo viri,
Niſi mite pectus pariter aſſimulem patris ?
Aude. quid hæres, anime ? quæ ſequeris, vide ;
Non quæ ſequuntur. Serus eſt ſceleris pudor,
Vbi robur omne mentis exhauſit ſcelus.
Si ſumma fraudum petimus, ad fraudum gradus
Deficere primos, ſegnis, & ſtulti eſt, reor.
An innocentes hoſce demittes neci ?
Perdat nocentes innocens : ſed tu nocens
Perde innocentes; criminum auctorem hoc decet.
Nil deinde meritos puberes fraude opprimes ?
Quid gentis auctor meruit, inſonti nece
Defunctus ante, CHRISTVS ? imitentur DEVM.
Aut Dux putatur CHRISTVS, aut illis DEVS.
Si dux, habebant funeris clarum Ducem :
Si DEVS : habebunt præmium cædis DEVM.
Pietas rebellat rurſus, & greſſum tenet.
Excede pietas : eſſe ſceleratum juvat.
Hæc vita noſtra eſt, fraudis infandæ modum
Neſciſſe nullum : criminis non eſt meum
Pigere cœpti : perge, quò pergis, furor.
Iuvenes, inani gaudio ad quem ſe modum
Iactabit animus veſter ? incertæ ſpei
Cohibete ſenſus : regite juvenilem impetum.
Iuvenile vitium eſt pectoris fluctu rapi.
Imperia, quamvis magna, momento effluunt.
Reſipiſce, Domiti : Veſpaſi, menti impera.
Mea vota, potiùs veſtra, conſenſu pari,
Lætitia geminet ; jura Romanæ rei
Tenere CHRISTVM nuncio. DOM. Cujus fide ?
VESP. Falſos ne genitor hauriо, an veros ſonos ?

DOM. O me beatum! vera si narras, pater.
VESP. Tanti quis auctor muneris, quæso, fuit?
FAL.CL. Patruus. VESP. Domitius? FA.CL. Ipse.
DOM. Quis, quæso, pater?
Quæ causa subitam patrui excivit fidem?
FAL.CL. Causæ docēdæ tēpus haud umquā perit.
Nunc id, quod instat, Filii, dum se calor
Intendit acer patrui, mecum pias
Fovete flammas. DOM. Nescio quinam mihi
Gaudia coortus contrahit subitus metus.
VESP. Ambiguus animus dubitat: & secum putat,
An certa memores: pace quod liceat tuâ.
FAL.CL. Angustus animus, nec sui voti capax,
Si læta nimiùm nuncias, sensus suos,
Respuere solitus vota, quæ nondum capit,
Timet; suoque gaudio nectit moras.
Sed vos pavorem corde securo pium
Arcete, Nati: melior & sensus ferat
Ad prima vota pectus. Hæc sacræ necis
Monumenta patruo ferte, gemmatas cruces.
Auctore me. Mox ille, virtutis novæ
Elatus æstu, plenus & nostro DEO
Hic aderit: &, vos mente complexus piâ,
Volet esse Christi regna, quæ vobis dedit.
Christo dedisse nomen, & castam fidem
Nos obligasse, lætus audivit modò:
Doletque tantùm, nosse quod nobis priùs
Licuit, quod ipsum latuit ignarum diu.
Ego nunc revisam jussus huc, quidnam rei
Meditetur ipse: miror Augusti moras.
Vos læta Christi sæcula & numen potens
Celebrate cantu, dum licet: vos hæc quoque
Lætitia tangit, Puberes: hunc in chorum
Sociate laudes, euge, lætari decet.
Redeunte sæclo, sancta virtutum redit
Series: & orbe Christus excussit Deos.
CHO.1. Miseris tandem dia voluptas
Vbere pleno gaudia laxet,
Comes ingenuæ laudis, & almæ
Pronuba lucis.
CHO.2. Patrii vindex Christus honoris,
Victor scelerum, pacis origo,
Adsit, honestâ tempus utrumque
Iride cinctus.
CHO.1. Adsit, & acres corde timores
Solvat, & Vrbi læta redonet
Sidera: vultu mœsta sereno
Nubila pellens.

SCE-

SCENA QVARTA.

Imperator Clementem cum filiis iubet comprehendi, opponit se Præfectus, turbatur Aula, Tyaneus sibi plaudit.

TYANEVS. IMPERATOR. VESPAS. ET DOMIT. CÆSARES. FLAVIVS CLEMENS. PRÆFECTVS MILITVM. FVLVIVS CONSVL.

TYA. EXamen illud, Domine, Christiadum vides?
Duces ovantes agminis primos cave.
IMP. Iuvenésne cerno Cæsares, fratris genus?
Conditio Regum dura! quem fidum putes,
Anceps in isto genere si variat fides?
Hoc illud ergo sceleris occulti jugum?
VESP. Christi patere numen, & veri jubar
Fulsisse menti, Domine, lætamur tuæ.
DOM. Pignus salutis, fratris hoc donum cape.
FL.CL. Præpropera, Nati, vota quis nimiùm cito
Perdere coëgit gaudio? heu miserum patrem!
IMP. Hæc dona regno, frater, accepto refert?
Hæc precia trabeæ? laureæ reddit Cruces?
Funere perire regio saltem daret:
Servile Regi mortis intentat genus.
FL.CL. Res acta; tota funditus quatitur domus.
Iam mitto nomen Cæsarum: heu rerum vices!
Discrimen urget ultimum miseram domum.
Vitæ labores ultimos, quæso, bonus
Aspice; parentes, liberos, neptem vide,
Rex Christe, Regũ. IMP. Fœde quẽ Christũ crepas,
Hostis Deorum turpis? hos hostes alis
Turpes Deorum? fraude quâ læsus, meâ
Regnum rependis morte? patrueles manus
Contaminare cæde patrueli paras?
Hæc merita de te fratris? hæc fratris fides?
Hæc sancta pietas sanguinis? Palles: paves:
Mussas: reperto scelere quas voces dabis?
Odium Deorum turpe, fabricator doli,
Malè me putasti, criminum labes, virum:
Certare mecum scelere si tutum fore
Tibi, tuisque reris, infandum caput.
FL.CL. Diluere possim cuncta, si frater, velis
Audire pauca. IMP. Verba quæ frustra vomes?
Facti tenetur scelere manifesto fides.

Non ſic abibis : odĭa (ne vivam) niſi.
Servate fratres Regiæ ſeptis duos :
Arcete patrem ſaxeo incluſum ſpecu.
PRÆF. Quâ fraude ſontem, Cæſar, includi jubes?
Indigna clamo juſſa : reſcindam manu
Decreta. Contra ſiſte : prohibeto nefas :
Hoc facinus arce, Miles : addenſa globum.
TYA. Subtrahe periclo, Cæſar, indignum caput.
Defende tela, Conſul : Auguſtum tege,
Cujus ſalute Civium conſtat ſalus.
I, fortis, enſes inter infeſtos tene.
IMP. Vis mihi paratur? adeóne imperium eſt leve?
Adeóne vili eſt læſa Majeſtas Ducis ?
Ingrata Roma, cernis hoc tantum nefas,
Et inulta cernis ? Ite ; collatis micent
Vicina ſignis ſigna : contempti Ducis
Decreta forti vindĭca, Conſul, manu.
FVLV. Deponis arma, citius ac dico, ferox,
An hoſtis arma contumax Romæ moves ?
PRÆF. Quis tu, Magorum miles? En, ſi quid vales,
Obſiſte contra : confere audaces manus.
FVLV. Diſtringite enſes, Milites. PRÆF. Lato via
Limite per acies media ducatur duas.
FVLV. Inſtructa telis legio compoſitis ruat.
TYA. Strepitúſne raucus æris inflexi meas
Perſtringit aures ? ô meum verè diem !
Ad hos reſurge cædis horrores novæ,
Anime ; cruentum, teſte te, fiat nefas.
Et, teſte te, ſi fiet, hîc ullum ſcelus,
Non fiet unum. Romulas novi manus,
Auctore in ipſo cæde fraternâ rubras.
Simplex ſerebam, multiplex crimen meto.
Fœnore feraci crimen hoc noſtrum redit.
O noſtra tandem numina ! ô feſtum diem !
Ita Colchis olim, dente vipereo ſatas,
Spectabat acies, ſegete cantatâ, duas
Verſis coire in mutuas haſtis neces.
Obverſa telis tela bellantûm micant.
Horrore primo corda morituris pavent.
Sed ille pallor oris, ut quondam cinis
Bibulus, liquorem ſanguinis, credo, ſitit.
Vt hæc viderem Cæſar hunc donat diem.
O me beatum ! numen ô verè meum !

SCE-

SCENA QVINTA.

Nuncius narrat ut Imperator Clementem in vincula coniecerit Choro plorante, & Iuvenum Cæsarum constantiã exponit.

NVNCIVS. CHORVS.

NVNC. INter ministros regios vultum tuum,
Cæsar, requirit hospes. hinc intrò redi.
Indigna miseri patris an dignè queam
Exempla questu flere miserando satis!
CHO Exempla cujus misera: quæ portes, doce.
NVNC. Animus referre visa si poterit tamen.
Est in recessu regiæ sedis locus,
Post spatia vulgò trita centenis retro
Porticibus actus: læta non illud dies,
Non clara species Solis excelsi videt,
Tenebris opacæ noctis horrendum specus.
Tabo recenti lubricus squallet locus,
Squallet vetusto: ferreis uncis fores
Præfixa circùm capita sanguineis rigant
Rorata guttis: quisquis infausti Ducis
Perstrinxit animum civis, aut hospes metu,
Incerta certo scelera supplicio hic luit.
CHO. Istum execratur fama feralem locum,
Et cæde multâ tabidum pridem specus.
Heu! omen etiam sedis horrendæ horreo.
NVNC. Huc, ex pavore sospes, & rixæ minis,
Domitius irâ tumidus: heu miserum patrem!
CHO. Patrémne miserum nominas? miseri sumus.
Satis est: perimus, prome, quæ restant, citò.
NVNC. Nondum peristis: vita sed pendet levi
Suspensa filo: scelera ni prohibet Deus.
Huc Cæsar, ardens scelere, contrudi jubet
Fratrem, volentem multa pro causâ loqui,
Omnia tacentem. Regis ad nutum statim,
Scelerum satelles, turba carnificum ruit.
Quid reliqua fari cogitis? nimiùm viro
Indigna tanto facta plorentur priùs.
CHO. Heu, pater honestæ lucis, heu lumen, pater:
Quæ mihi futura est vita, te rapto, pater?
NVNC. Malè ominari parce. Ni pejus Ducis
Decrevit aliquid ira, nunc vitæ super
Est ille, Iuvenes. Flere vel si illum libet,
Deflete tantum squalido inclusum specu.
CHO. An pejus aliquid restat? heu pater, heu pater:
Inopum levamen civium, custos togæ.

NVNC.

NVNC. Iuvenũ gementũ miſeret: heu mœſtũ gregẽ!
Vix imperare fortiter lacrymis queo.
Quo reliqua ſenſu puberes miſeri audiant,
Si prima tactum vulnera ad primum pavent?
Nondum, decorâ chlamyde diſciſsâ, gravem
Virum per amplas porticus raptum audiit:
Non lacera flagris terga, non ferro pedes,
Manicis onuſtas audiit nondum manus:
Non tunſa palmis ora: non raptam comam:
Vibice nondum membra liventi nigra.
At quæ dolenter cæteri meritò fleant,
Hæc ille, placidi cordis excelſus ſtatu,
Speique magnæ certus, & riſu mali
Nubem ſerenat, mortis & ſpernit minas.
CHO. Quæ ſors duorum Cæſarũ clauſa eſt patre?
NVNC. Ambigua: ſed quæ verget in melius, puto.
Patruele clauſo, ſede diversâ furens
Ad facinus aliud patruus, accingit manus.
Aggreſſus antè voce blandiloquâ duos
Tentat, paternæ mentis hæredes, Duces,
Excutere CHRISTVM penitus ex animo, ut velint.
CHO. Ad hæc quid illi? NVNC. Patris exemplo ca-
Magis, magiſque: ſeque per ſpretas opes (lent
Irritat ardor, mortis, & vitæ potens.
Adulta virtus indole invicti patris,
In genere promit laudis invictæ decus.
CHO. Et patruus æquo ſpectat hæc animo ferox?
NVNC. Nondum procellis ſtridet iratum mare:
Sed intumeſcit: interim Iuvenum tegit
Naufragia. Non eſt mitis irarum tumor,
Cùm ſe per ipſas ſcelera diſſimulant moras.
Poſt blanda Regum verba ſuccedit furor:
Illecebra non eſt tuta: quæ differt minas.
Sed ipſe prodit. Horreo aſpectum trucem
Iam nunc minantis: illa me nubes movet
Impoſita fronti. hinc eſte vos, Iuvenes, procul.

SCENA SEXTA.

Imperator Nepotes fruſtra avocare à Dei cultu conatus extrema iis minatur, Tyaneus omnia in S. Ioannem divertit.

IMPERATOR. VESPAS. ET DOMIT. CÆSARES. TYANEVS. MYSTA.

IMP. STatuite tandem; patris, an patrui genus
Malitis eſſe. VESP. Patris, & patrui ſimùl.
Si modò licebit. IMP. Hoſtis eſt patruo pater.

Num-

Numquam licebit. VESP. Hostis est noster quoque,
Si quid minatur patriæ, si quid tibi,
Patriæ parenti. DOM. Patriæ sed si nihil,
Si nil parenti patriæ : cur non licet
Patrui, & parentis esse non hostis genus !
IMP. Hostem negatis esse, cui nullus pudor,
Nec cura juris ulla, nec Divûm metus
A scelere diro redhibet audacem impetum,
Ne parricidas afferat fratri manus ?
VESP. Spectata virtus patris est Romæ satis :
Placidumque pectus in DEVM, in patriam, in suos
Vbique narrat. IMP. Ista nunc ergo fides,
Placidumque pectus exuit Cœlo Deos :
Patriam quiete : spiritu, & regno suos.
VESP. Merito ille falsos exuit Cœlo Deos ;
Patriæ ut salutem reddat, & Cœlum suis.
IMP. Qui templa Christo ponit. DOM. An Christo
Delubra tellus, astra qui terræ dedit ? (neget
IMP. Tunc, credo, cùm fugabat emoriens diem.
VESP. Tunc, cùm pudebat astra non nosci DEVM.
DOM. Tunc, cùm reduxit lucis æternum jubar :
Et, Dite domito, regna restituit Patri.
IMP. Tantum ex latronum Rege manarit boni ?
VESP. Illo ex latronum Rege, qui mundum suis
Implevit omnem laudibus ; cujus manum
Effractus Erebus senfit, & turpi jugo
Exempta tellus : cominus quem haud hostium
Impune petiit ullus. IMP. Et qui sanguine
Vndique fluenti lavit expirans crucem.
DOM. Ergo per istam, scelere delero. crucem
Respirat orbis ; sponte quam victor tulit.
IMP. Quo teste? VESP. Mundo. IMP. Cujus auspiciis ? VESP. Suis.
IMP. Quâ vi ? VESP. Paternâ. IMP. Nempe mortali ? VESP. Deo
E patre sumptâ. IMP. Filium gignit Deus.
VESP. Deúmne, Cæsar, esse fœcundum abnuis ?
Qui tot volantûm sæcla generatim jubet
Resonare sylvis : igne qui crebro polum
Concelebrat, undas piscibus, terras feris,
Præseminato genere vitarum omnium,
Non generet ipse ? Sterile sit numen DEO ?
IMP. Quâ matre, quæso, generet ? VESP. Omnino
Experte, prorsus virgine, humano caret (viri
Parente, si requiris in terris, patrem.
Sed si paternum quæris in Cœlo genus
Miscere matri mitte cœlestem patrem.
IMP. Bis natus igitur colitur à vobis DEVS ?

Portenta

Portenta rerum credere hæc nil vos pudet,
Quæ mira vobis mille Iudæi canunt?
VESP. Hæc mira sunt, sed vera: quæ vulgò DEVS
Differuit ipse nuper: & certò palàm
Prodigia rerum mille fecerunt rata:
Profitente Cœlo Patris æternum genus,
Et hoste teste. Credere hæc, vulgò omnibus
Testata terris, non pudet nos, sed decet.
IMP. Arguere quamquam dicta stultorum queo,
Certare verbis tamdiù non est opus.
Delira cordis somnia, ac dico, ocyùs,
Exuite: numen colite Romani Iovis:
In igne positi thuris exsudet vapor.
Huc ferte signum: thuris huic donum date.
VESP. Huc ergo Numen ire, nisi latum, nequit;
Iuvenes ferendo segne lassari veta,
Auguste, pondus.

(Hìc fertur simulacrum.)

IMP. Regis imperium abnuis?
Aggerite flammas: struite feralem pyram:
Diffibulatâ chlamyde, nudatos citò
Injicite flammis impios natos patris.
TYA. Cæsar, parumper reprime furialẽ impetum:
Flagrare Iuvenes insscios rerum, veta.
Iuvenum huc vocari potiùs auctorem jube:
Zebedæjus istis auctor & suasor fuit:
Dissuasor adsit ipse Zebedæjus senex.
IMP. Ex Vrbe senior extulit nondum pedem,
Exsilia jussus petere longinqui maris?
TYA. Non ille: latebris hospitem Clemens tegit.
IMP. Decreta vester nostra contempsit pater?
Soboles, amici patris exemplum vide.
Iudæus iste donec accitur magus,
Ego mite numen Palladis supplex colam,
Et instituto vota concipiam sacro.
Consulite, Iuvenes, interim in medium; brevem
Deliberandi copiam vobis damus.
Decernite in commune. VESP. Decretum est satis.
IMP. Hæc claustra densâ, Miles, emuni manu,
Effugia ne qua suadeat clausis metus.
DOM. Ne metue: nullus terror hinc clausos fugat.
Ad hæc redirem claustra: cur hinc exeam?
Tam malè locavi vota? MYST. Simulacrum Iovis
Augete, Iuvenes, thure. VESP. Sic miseri haud su-
Vt tibi videmur. pergis, impurum scelus? (mus,
Non marmor emoliris hoc surdum & rude?

Hic simulacrum dejicit, & proculcat Vespasianus.

DOM.

DOM. Virtute patriâ, macte; sic fortem decet,
MYST. Prô facinus audax! pedibus obculcant Deũ.
Ignosce crimen, Iupiter, Iuvenum, precor.
Impune visum, quæso, fit saltem mihi.
VESP. Quis hic in imis ossibus serpit calor
Domiti? DOM. Medullas mollis afflatu levi
Emulcet aura: pectus inspirat Deus.
Agnoscis almi numinis sensus pios?
VESP. Indicia recolo. Numen ô numen bonum!
Excipere plenos, frater afflatus licet?
DOM. Licet, libetque: pande sis omnes sinus
Auræ influenti; funde taciturnas preces.
VESP. Nescio quid instet: entheus, solito amplior,
Insinuat ardor: magna sunt sensu mala,
Quæ lenit, antè providus tantò, Deus.
DOM. Impetus ad illa cordis impensè licet
Incumbat omnis, sceptra quàm sordent Ducum!
Quàm pallet aurum! ut laurus arescit levis.
Præ largioris numinis tactu novo!
VESP. Hoc stemma fluxi decoris, hæc laurus brevi
Caduca fronde, valeat. DOM. Invisum bonum,
Et invidendum Cæsarum non sit meum.
Si nunc reposcit, sponte reddatur Deo.
VESP. Potiora meditor, docuit ut dudum pater,
DOM. Abjecta jaceat palla: meliora expeto.
VESP. Malumus inermes esse, si Christi sumus.
Insigne belli hoc respuo. DOM. Exarmo latus.
Harpen remitto: pectus armavi fide.

SCENA SEPTIMA.

Tyaneus S. Ioannem mentitus frustra Iuvenibus suadet ut Iovi sacrificent, sed illi ad Imperatorem evocati, ad mortem se parant.

FALSVS IOANNES, QVI EST TYANEVS. VESPASIANVS, ET DOMITIANVS CÆSARES. EPHEBVS.

FAL.IO. QVâ fraude suevit sępe mentitos magus
Induere vultus, ora Zebedæi senis
Simulata magicis gesto Tyaneus dolis:
Miscere promptus arte fallaci omnia:
Turbare Iuvenum corda: cœlesti impia
Regi movere bella: permixtim simul
Convolvere æqua, iniqua; superos, inferos:
Infanda, fanda: vera, falsa: hæc me decent.

Hæc

Hæc vita, Iuvenes, petitur hâc Cœlum viâ:
Sic pergite, aucti luce divinâ: meæ
Pars prima laudis. VESP. Vnde te missum DEVS
Adesse nostris voluit ærumnis, pater
Optate multum? DOM. Rebus in summis ades:
An nos amico lumine aspexit DEVS?
FAL.IO. Erigite fessum, Cæsares, corpus; meo
Pendete collo. VESP. Cæsarum nomen, pater,
(Huc recidit ille splendor) effluxit brevi.
DOM. Res est in arcto nostra; moriendū est pater.
FAL.IO. Meliora, Superi! pectus inflexit meum
Querela Iuvenum misera. Cur horror quatit
Insuetus artus? humor an salsus mihi
Injussus ore manat? hæc nostri quota
Pars est facinoris? anime, mansuescis malè,
Recede pietas. Capitis Augusti notam,
Colligite laurum, Cæsares: cur hic jacet
Abjecta temere? regium certè latus
Decebat harpe: forte gestamen, puer,
Recinge lateri: chlamydis hoc pictæ decus
Humeros decenti regios cultu tegat.
Quid corde gemitus, Vespasi, ex alto trahis?
Domiti, quid isto diluis fletu genas?
VESP. Cœleste regnum mente complexus, pater,
Vltro hæc recuso sceptra Romanæ rei.
DOM. Labefecit animum sensus, ut spero, pius.
Dum stemma fronti redderes, quiddam mihi
Fieri putabam simile, quod pectus meum
Persæpe dulce tentat. Vt quondam domo
Natus paternâ profugus, effusis bonis,
Et helluatus patriæ sortem rei,
Dives, repentè pauper, ad mitem patrem
Sese recepit: utque redeuntem obviam
Progressus, illum splendido cultu pater
Ornavit ultrò, mente recolebam memor.
FAL.IO. Exempla facti hæc nescio: & quiddā reor
Gentile narrat: nosse videamur tamen.
Dissimile non est, Cæsar, exemplum, & placet.
Ad læta vultus, filii, redeant boni:
Nam læta porto. DOM. Fare: sat salvi sumus?
FAL.IO. Planè sat estis. DO. An pio patri est bene?
FAL.IO. Immò beatè est, æqua si patri genus
Tribuat roganti. VESP. Liberūm est supplex pater?
Cur, si beatus? genitor, ut video, est miser.
DOM. Nisi miser, isto nemo degenerat modo.
Quæ res ad humiles compulit patrem preces?
FAL.IO. Publica bonorū causa, Christiadū status,
Commune terræ gaudium, Romæ salus,

Matris,

Matris, ſororis, omnium : namque hæc ſimul
Omnia peribunt, impetrat niſi jus pater.
Supplex paternus ipſe ſum ; per me rogat
Genitor potentes liberos, veri Ducem
Verum ſequentes. Ille per Superum fidem,
Per juſta Chriſti regna, per tetrum ſpecus,
Indigna vos per vincla, quæ geſtat miſer,
Per facile veſtrum, liberi ingenium pater :
Per matris, & ſororis officia obſecrat,
(In vos parentes ora retulerunt pii)
Per me magiſtrum gentium, & Romæ exſulem ;
Ne veſter ardor mortis obeundæ citus,
Et comprimendus, patris extremum diem
Feſtinet, orat : dona ne demens eat
Hæc imminutum, ac perditum, quæ vos Deus
Dat ferre, generis damna miſeratus pii.
VESP. Cur verba longo multa circuitu ſeris,
Si poſcis æqua ? fare quid poſcit pater ?
DOM. Faciles paternas filii excludant preces ?
FAL.IO. Scit ille veſtræ mentis ardores ſacros :
Novit furentis Regis imperium : Iovi
Vos abnuiſſe thura : nec Regis minas
Expalluiſſe, lætus audivit : Deo
Laudes rependens, prole ſe tantâ vocat
Nimium beatum. Sique, quod ſperat, preces
Accipitis æquas, certa confidit fore
Romulea Chriſto ſceptra, quæ Chriſtus dedit.
VESP. Vtinam liceret : alia nunc longè, pater,
Facienda vota. DOM. Dura conditio Ducis
Hæc : patrueles liberos hoſtes vocat.
Hoſtibus an ille Regna det nobis ? quibus
Eripere pugnat ſpiritum, Cœlum, Deum ?
FAL.IO. Pugnet, ſed audax facinus eludi poteſt,
Et facilè frangi Regis inſani furor.
Reges, tumentes impetus primos habent :
Mox detumeſcens ira paulatim redit,
Et cordis æſtus ille violentus fuit.
Citò quieſcit ira, quæ ſurgit citò.
Momenta vites prima : dein tuto furit.
DOM. Quò ſermo longo pergat anfractu, moror.
FAL.IO. Huc eo. Tyrannus thura ſiquando Iovi
Adolere durè juſſerit : ne quid furor
Conſtituat aliquid durius, memores pater
Vt fitis orat, poſſe vos ſurdo Iovi,
Pietate ſalvâ, thuris in ſpeciem ſacrum
Fundere vaporem : corde ſub puro modò
Obſtricta Chriſto caſta ſervetur fides.
Hoc Roma poſcit, patris hoc mœror rogat :

Hoc dubia gentis, fessa Christiadum hoc salus,
Seniique nostri exsilia, Domitillæ hoc petunt.
VESP. Prô casta virtus ! magne prô rector poli !
Concussit artus horror : exanguis tremo,
Vt execrandi sceleris accepi sonos.
DOM. Oculísne verum specimen adipiscor patris,
An hostis ? audi scelera, quæ suadet vafer.
Nec tu parentis optimi vocem sonas,
Nec tu magistri maximi pectus geris.
VESP. Nec te sequemur. Fraude lusisti satis,
Cur petimur astu rursus ? impositos dolos
Exue. perire cernis insontes : licet
Perire tandem : perge : vicisti : sat est :
Bene habet. quid ultra tendis ? occidi jube,
Hoc restat unũ, quisquis es. FAL. IO, Fraudis meæ
Hic ausus hæret, Ilicet ; nihil hic movet.
Immota virtus constat, & pelli haud potest.
Recta ad Tyrannum hinc pergo : successu irrito
Frustrata fraus est : viribus nunc est opus.
EPHE. Iuvenes, ad ædes intimas patruus jubet
Vos ire : miseris metuo nunc vobis nimis.
VESP. Miseranda non est nostra conditio, puer,
Ne querere. Frater, perge constanti gradu.
Animi, Sodalis, sume monumentum hoc mei :
Hæc decora regni patruus, ut repetat, dedit,
Hæc nostra saltem dona sunt : dono utere.
DOM. O si Paterni tempus affatus breve,
Et, ô sororis detur aspectus mihi.
VESP. Nos ire quò nam patruus iratus jubet
Procul ab avitâ sede ? Clementis Patris
Non licuit ora cernere : amplexu ultimo
Explere non officia morituris licet.
DOM. Quid auguraris Vespasi ? (quod nunc tibi
Nomen relictum est : illud Imperii perît)
Quid auguraris, frater ? VESP. Et faustũ, & bonum
DOM. Quò nos Tyrannus mittet ? VESP. Ad Christum puto.
DOM. Est digna merces. Forsan & vita hæc emi
Funere duorum Cæsarum rectè potest.
VESP. Valete, Cives, plurimùm. Hæc vitam dies
Si summa claudet, patriæ, quæso, hæc simul
Narrate. Vitæ flore frustramur brevi :
Sed quod sepulcrum puberum per hoc teget,
Idem quietæ pacis, & regni bona
Consilia placidi multa morientúm teget,
Te Christe, testor, astra qui nutu cies,
Et magna major regna Dardanidum moves.
Patriæ salutem in patriâ, & regnum tuum

Quæsisse

Quæsiſſe regno patrui noſtrum genus.
Tranquilla Romæ jura Clementem patrem
Spectaſſe ſemper : laureæ donum breve
Spreviſſe fratres. Ille nunc auctor togæ
Clemens quietæ, ſqualido arcetur ſpecu
Inmeritus, inſons, integer, demum tuus.
Inſons ſequebar natus inſontem patrem :
Nunc morior inſons ; moritur & mecum hic meus,
Inſons & ipſe, frater, avulſus ſuis.
Tu qui receſſus cordis arcani ſubis,
Et cui repoſtæ pectorum fibræ patent,
Si vera teſtor, juſta ſi juſtè precor :
Quod in merentem crimen ulciſci potes,
Ignoſce potiùs : aſſeras & nos tibi.
Orata cauſa eſt. perge quò patruus vocat.
DOM. Animo recurſat Pæan hodiernus meo :
Pæana feſtum ; frater, iteremus, licet.
Humana mutat regna divino Deus.

Age Dardania *Regis ab Aulâ,*
Fronde remotâ *Regis in Aulam,*
Aucte ſecundo, *Omine cum bono*
Numine frater, *Omina transfer.*
CHRISTI *ſuimus,* *Ter cane mecum.*
Erimus CHRISTI. *Vicimus Io.*

VESP. Vnica mearum cura qui rerum es ſuper
Germane : quem nunc ultimum in tempus ducem,
Quid mox ſequatur, inſcium, ignarus ſequor :
In te ſupremi temporis ſaltem finas
Officia ſolvi : junge complexus pios.
DOM. O frater exoptate, quem ſolum mihi
Erepta poſt Imperia, poſt patris ſitum,
Poſt matris, & ſororis orbatam domum.
Comitem reliquit rebus in ſummis Deus :
In cuem parentum ſumma conferrem piè
Officia : mentis dona fraternæ hæc cape,
Quæ tibi rependit grata morituro fides.
VESP. Te mihi paterni generis, & primæ locus
Conjunxit aulæ, frater. DOM. O Cœlo Deus
Accipiat ambos. Iunge complexus pios.
Valete, Cives : Patria, æternùm vale :
Animi, Sodalis, pignus hoc noſtri cape.
Cauté tuere munus : & vitam, & necem
Accipis in iſto munere : hæc Cœli eſt via.

SCENA OCTAVA.

Dolent ad inferos se abire debere, ut ibi pœnas dent innocentibus à se oppressis,

PAREDRI.

DVx noctis Hesperugo
Extrudit Orbe lucem:
Dolos retexet umbra
Quos clara lux tegebat.
Nos fraude perpetratâ
Pœnæ reposcit Orcus.
Heu quid cruenta Roma,
Quid aula nos juvabit?
Polluta cæde fratris,
Orbata prole matris,
Quid nos juvabit aula:
Et rapta parvulorum
Spes innocens nepotum?
Et integellus ævi
Flos ille binus orbis
Nostro recisus astu?
Quid pulsa mater Vrbe,
Quid Vrbe pulsa virgo?
Quid exsul ille veri
Auctor, bonique custos
Orisque fulmen ardens,
Mentisque flumen altum?
Vexata quid senectus,
Extincta quid juventus?
Quid squallor Vrbis ægræ?
Quid mœror orbis orbi,
Si majus inde ducet
Olim decus nepotum
Vastator inferorum
Christus Deus Deorum?
Si major inde patri,
Matrique, virginique
Per ora posterorum
Itura fama surget?
At nos scelus peractum
Duro reposcit Orco.
Mercede quâ nocentes?
Mœrore sempiterno.

SCE-

SCENA NONA.

S. Ioannes mala olim Christianis eventura prædicit. Nuntius eadem Vespasiani & Domitii exponit.

S. NEREVS. S. IOANNES. NVNCIVS. CHORVS.

NER. QVem DEVS acerbis statuet ærūnis modū?
Nullúmne finem luctus inveniet, Pater?
IOAN. Inveniet: at sunt fera, quæ spondet DEVS.
Animo subesse cladibus nostrum haud decet
Genus futuris: finge te damnis parem:
Humi jacentem sublevet mentem fides.
NER. Non causa me privata; communis movet.
Nunc pande quidquid Christus in longum trahit.
IOAN. Arcana sunt, quæ nube sub densâ tegit.
Sed illa tandem mille post menses Deus
Evolvet, & manifestus in apertum dabit.
Finire nostro malit exsilio mala,
Malorum an aliud agmen exsilio hoc trahat.
Nunc (ut recenti numen in sensu fugit
Aciem) explicare nescio: regnum velit
An esse proprium Flaviis demum haud scio.
Longinqua moveo: fera nunc fando sequar.
Septem procellas, turbine excitas nigro,
Instare nostris rebus audistis, reor.
Desævit una: dirus hanc Christi Nero
Concivit hostis: cessit excessu hæc Ducis.
Sex quæ timentur, imminent. Heu, heu, viros,
Heu quantus urget fœminas Regum furor!
Cùm sæva rabies, igne furiali incita,
Ferro, ruinis, fluctibus, flammis, feris
Quidquid erit acre, quidquid ingenuum hauriet.
Exsilia jam nunc misera, pauperiem, famem,
Vincula, metalla, damna, lanienas, luem,
Exitia cerno, & multiplex mortis genus.
Infecta tabo spatia terrarum, faces
Iam nunc per amplas video grassari domos.
Oculos relucet ante Laurenti rogus:
Visusque flagras ante, Vincenti, meos;
Castum lupanar Luciæ video: & tuas,
Catharina, rapidas mole stridenti rotas.
Cæcilia non me præterit: nec me fugit
Innupta, nupta splendidis Agnes toris:
Aliæque centum: casta quas Christo fides
Denubet olim virgines: quarum genus

Nunc laudat : olim terra cantabit neces.
Post hæc quiescent bella : virtutum cohors
Impune terris ibit, & niveo fides
Velata panno, & pacis optatæ decor,
Custosque veri candor, & mitis pudor.
Immo hæc Deorum sæcla, quæ, stultè impius
Evulatus aris mille, Romanus novat,
Tempus erit aliis mille cùm templis Deus
In melius olim referet : & cœtus pios
Stipabit aris, igne cœlesti citos.
Iam mihi decora regna Romuleæ rei,
Quæ præpotenti Flavius tradet patri,
Constante Chloro natus, assertor pius,
Et facta clari generis ostendit Deus.
Tranquilla jam nunc sæcla Sylvestri patent,
Accepta templis : Roma quæ centum sacrat
Delubra cerno : quæque Mygdonio locat
Decorata saxo : quæque regifico colit
Instructa sumptu : quæque perducto super
Opulentat auro. Fama Romulidum vetus
Effusa terris omnibus, toto licet
Volitarit orbe, & Solis æquarit fugam :
Tamen orbe, quidquid celebrat, est victo minus.
At decora casti generis, ignotas procul
Complexa terras, inferet Cœlo Deus :
Et orbe quidquid majus est, Solis vias,
Lunæ & labores tollet evectum supra.
NVNC. Quæ me procella, nube violentâ, procul
Differet, & inter horridos turbo Getas
Effundet ? aut quæ saxa resupinus terit
Atrum Prometeus vulturi præbens jecur :
Aut qua Suarnus rigida Riphæo gelu
Hospitia, vel non præbet, aut scelere inquinat
Ferus, hospitali cæde commaculans dapes ?
Quo dira Regis sacra ploratu querar ?
Romam, an Corinthum, Domitius, an Atreus tenet?
CHO. Quæ monstra peperit aula, Pelopeiæ æmula?
NVNC. Periere cuncta. Flaviæ gentis status
Corruit ; & aulæ culmen incubuit sibi.
CHO. Excidia nostra plorat. exponi jube
Quæcumque vidit, dira sint quamvis, pater.
Durata magnis corda gestamus malis.
IOAN. Proloquere seriem criminis, causam scio.
Nec quæro, quis sit auctor ; at quæro modum
Criminis. NVNC. Imago sceleris insueti meis
Oculis inhæret fixa ; nec credit sibi
Alienus animo sensus : attonitus stupet
Potuisse fieri, facta quæ cernit, putans.

Post

Poſt hæc clientum ſpatia, populorum pede
Protrita, tacitus æde penetrali locus,
Intro recedit. Flaviæ genti ſacer.
Gentilis aulæ Flamen Auguſti ſenis
Gentile ſacrum, & numen arcanum hîc colit.
Stat facinus omne gentis, & longus ſenum
Spectatur ordo. Limen auratum tenet
Veſpaſius auctor Regiæ : & latè potens
Veſpaſius auctor gentis : & Romæ Titus
Breves amores : atque fraterno minor
Regno Sabinus, laude virtutum prior.
Affixa circùm ſpolia belliſonæ tubæ, &
Præciſa pendent roſtra Carpathii maris :
Palmifera Idume mœſta, ſuppoſitâ pedes
Cervice dominos paſſa ? cœruleo ſinu
Iordanis, undas amne famulari vehens :
Solymi triumphi decora : ramoſæ facis
Tergeminus ordo, plurimo fulgens labor
Auro : & Canopi terror, Erythræi maris
Monſtrifera quondàm virga caſtigans fretum
Huc ergo (nequid Atreum pudeat ſui
Diſſimile monſtrum generis) huc terræ lues,
Domitius acer liberos fratris trahit.
Armenia catulis mitiùs raptis fera
Furit : aut comanti colla Marmaricus jubâ
Perfuſa jactans, ſtabula cùm vaſtat, leo.
CHO. Iuvenes quid auſos: aut quid auſuros trahit?
NVNC. Nullâ nocentes fraude, nocituros nihil :
Vt cuncta perdat ſcelere gratuito, inſolens
Immolat ad aras Pelopis infamis nepos.
CHO. Geminósne durus Flavios ? fratris genus ?
Suos nepotes, obſides pacis ſacræ,
Fundamen aulæ ? Civium heu votum breve !
Queis modò Latinæ jura conceſſit togæ ? (lus
NVNC. Hos mactat ipſos. CHO. Suſtinet tantũ ſce-
Adſtans miniſter ? NVNC. Teſte ſubmoto procul,
Monſtrator unus ſceleris infandi, magus
Tyaneus adſtat hoſpes : & ſacro præeſt
Interpres hoſtis : quidquid hic monſtrat, patrat
Veneficorum Myſta, Romanæ ſcelus
Aulæ, nepotum carnifex, Regum pudor,
Labes ruentis regiæ. CHO. Cujus manu,
Magi ordinatum fraude, perficitur ſacrum ?
NVNC. Ipſe eſt Sacerdos : ipſe contrectat ferox
Devota ſacro corpora; aſperſas molâ
Componit ipſe victimas : vittâ comas
Aſtringit ambas : nobiles tergo manus
Retorquet ipſe : nulla pars ſacri perit,

Ne non patretur ordine infandum ſcelus.
IOAN. Si placuit inquinare patrueles manus,
Cur inquinare ſcelere Tantalidum cupit?
NVNC. Quoddam Sibyllæ carmen, & Ducũ minas,
Cladiſque magnæ nuncias ſortes canit:
Crimine propinqui generis urgeri domum:
Generis propinqui funere averti metum.
Hâc ille dirum voce prætexit nefas:
Sic ſæva Divûm monſtra diſſertat magus;
Linguas Deorum, victimæ fibras, faces,
Variumque fumum thuris, ad cædem duos
Cum patre natos quærere: hinc Romæ metum
Omnem imminere: criminum auctores ſacro
Proinde poſci, & cæde luſtrari domum.
Hoc devovetur ſcelere Clementis caput:
Hoc Flaviorum capita poſcuntur duo.
Reapſe crimen regiæ, & Romæ ſcelus
Reſidet in ipſo Rege: quem cæcus furor
Excordis iræ, Veneris & turpis vapor
Utroque pronum raptat, & ſcelere inquinat.
IOAN. Scelus expiatur? ſcelere geminatur nefas.
Aulæ timetur? cæde vaſtatur domus.
Generi cavetur? prole viduatur genus.
Fulcire tentat regna? labefactat ſtatum.
Pacem Deorum quærit: hæc placant Deos?
Sanguine litari numinum monſtrant minæ
Sanguine nepotum, puberum geminâ nece
Patris innocentis liberis innoxiis?
Portenta quæ ſunt: ſacra ſi monſtra hæc vocant?
Hæc facta placant, ſcelera quæ lædunt Deos?
Horrent malorum probra, cur mactat bonos?
Pietas vocatur iſta, quæ cædit pios?
Vt eluantur ſcelera, temerantur manus?
Vt leniatur ira, ſcelerantur ſacra?
Heu ſterile veri pectus! heu præpoſteros
Hominum timores! ſumme dominator poli,
Hæc monſtra cernis? pateris hoc tantum nefas
Impune? nondum fractus eliſis tonat
Fulminibus orbis? pura volvuntur ſuo
Taciturna tractu ſidera, & pleno imminet
Splendore Luna? mite prô pectus patris!
Prô lenis iræ fulmen, & lentus furor!
Si talis ira, qualis eſt clemens amor?
Effare: juvenes ore quo mortem ferunt?
NVNC. Quo nemo vitam. Certus æternæ ſpei
Stetit acer animus: frontis excelſæ color,
Et roſeus ille fulgor in vultu manet
Lætior; & ille pectore ex imo decor

Effloret,

Efflorет, index certus ingenuæ facis :
Et in ore, mentis hoſpes, exiſtit DEVS.
Neges perire puberes : naſci putes.
IOAN. Num ſenſus idem mortis ambobus fuit ?
NVNC. Majoris ardor major, & propior viro.
Veſpaſius ictum vulneris riſu levat,
Patruique culpam liberâ voce arguit,
Vltroque ſegnem in vulnus irritat manum.
Dum ſæva cædi dextra deſignat locum,
Dum pendet ictus, librat & mortem manus :
Vultu renidens ille, ſed vultu gravi.
Patruus nepotes immolas ? at cui ? DEO.
Magi Sacerdos, inquit, æternum probrum.
At quâ nocentes fraude, quos Reges modo
Orbi legebas, immolas ? regnum dabas,
Hæc cùm parabas ſacra ? patrueles opes
Times, Tyranne : non times hoſtes magos ?
At noſtra rides ſacra, qui CHRISTVM, DEVM
Negas, novumque numen induci vetas.
Cur tibi litari, templa cur poni jubes ?
Cur te Minervæ filium, cur te Deum
Iactas ? At ille noſter eſt verè Deus,
Quem morte teſtor, lingua quem moriens canet.
At tu piorum cæde qui placas Deos,
Pietatis hoſtis, hoſtis & certus Dei,
Nunc perge: CHRISTVM vîndicẽ timeas tamen.
Hæc fatus, ora præbet : & patrui manum
Exoſculatus, vulnus excepit ſtatim.
Cervice lapſum currit, & Ieſum piè
Crebrâ retractat voce morientis caput.
Capite amputato, truncus in patrui ſinum
Occubat : at ille durus ingeſſit focis.
CHO. Heu juvenis immerentis indignam necem !
Princeps juventæ juvenis heu fortis fuit.
Fortis fuiſti, Veſpaſi : ſed nos tui,
In ſpem futuræ laudis evecti brevem,
Miſeri repente excidimus, & regno, & Duce.
IOAN. Parcite querelis : regna Veſpaſio manent.
Fortem ut decebat, fortiter cecidit puer.
Nec ille moritur, aſtra qui moriens tenet. (rat?
CHO. Hâc cæde functus, deinde quid patruus pa-
NVNC. In ſcelere perſtat crudus, atque inſtat ſibi:
Dextrâque ferrum, rore reſperſum, tenet.
Lævâ minorem Domitium ferro admovet.
At ille geminâ fratris, & Chriſti face
Impavidus aram ſcandit ; & quærit diu
Oculis, euntem ſpiritum per quæ polo
Inſinuet aſtra : ſplendor in roſeo fuit

Pallidior ore. Qualis æstivo rosa
Sub Sole mane mœsta paulatim fugit.
Dein ora solvens : Christe, populator stygis,
Fulgentis aulæ Christe regnator potens :
Et tu pudoris tæda primoris, poli
Regina, virgo casta, virtutum parens :
Quacumque parte prospicis Romam, precor,
Has cerne flammas, mater : & celerem fugam
Excipe volantis spiritus ad te, parens.
Si quid palustre, si quid humanum meo
Insedit animo, sanctus exurat calor
Demissus astris ; flamen & nati efficax
Patrui favillas adjuvet : nunc me, precor,
Fratri redona : redde nunc fratrem mihi :
At mox parentes, esse quos nosti tuos,
Et mox sororem redde, quam novi tuam.
Si crimen odi, spiritum hunc Cœlo, obsecro,
Admitte, mater : mortis infernæ locum
Ne me paventem terreat ; si sum tuus.
Si pectus hoc, si spiritum addixi hunc tibi.
Hic est dies (hunc, quæso, reminisci velis)
Hic ille, mater, est dies, quo ne scelus
Temeraret aliquod spiritum addictum tibi,
Patruo remisi regna Romanæ togæ :
Imperia risi : Regna nunc posco mihi
Divina reddi, humana si sprevi, parens.
Hæc ait, & ensi fortiter jugulum obtulit.
Simili recisum vulnere è collo caput,
Simili cucurrit murmure, & Iesum ciet.
CHO. Geminæ laudis decus heu geminum,
Par heu perîit nobile fratrum !
Funde querelas, mœsta Iuventus.
Similis laudis diversus amor,
Natusque togæ, natusque sagis
Cecidit ! cecidit mite pudoris
Decus ingenui !
NVNC. Exhorruisti facinus ? hic utinam trucis
Animus Tyranni sistat. CHO. Est, quò progredi :
Vlteriùs ille possit ? NVNC. Heu fari piget,
Quod facinus horret animus, & diro metu
Præsaga mens veretur. Vt fratres rogos
Petiere proni, capita Tyaneo dedit
Excepta lance ; sanguinem patera legit.
Ollam Thyestæ vereor, & fratrum dapes.
At frater Atreus alter inscribi potest :
Dici Thyesten alterum, plane est nefas.
Quid cardo sonuit regius ? Rex est. Pater,
Aliquo hunc receptes puberum tecum chorum.

SCE-

SCENA DECIMA.

Imperator Clementi filiorum capita oſtendit, dein eum iubet plecti: & Domitillæ, & S. Ioannẽ in exſilium ablegari.

IMPERATOR. FLAVIVS CLEMENS. TYANEVS. S. IOANNES.

IMP. BEnè eſt: beatè eſt: cordis exſaturatus eſt
Furor: litavi: Regna ſtabilivi manu:
Regno imminentis fratris excuſſi metum.
Sat eſt: quies eſt parta. Sed cur ſit ſatis?
Actum ſupremum fabulæ imponat ſtylus.
Carcere ſolutum ſiſte, Centurio, huc patrem:
Cernere juvabit ſquallidi ſordes viri:
Cernere juvabit. Ora natorum pater
Cùm abſciſſa cernet, ore quos motus dabit?
Quos voce queſtus? ingeram luctum improbe:
Spectabo vultus: exigam fructum mei
Sceleris: perirent cuncta, niſi mœſtum patrem
Natis ademptis cernerem: niſi vulneris
Imprimeret altum pectori ſenſum dolor.
Tu reliqua noſtri, miles, imperii ociùs
Meditata fortis perage: ſublato Duce,
Generis nefandi ceterum exagita gregem,
Imbelle vulgus, deditum Chriſto genus.
Diſjice, refringe, ſcinde, proturba, opprime:
Antiqua diræ cædis exempla innova:
Quære irreperta: mite ſit lethi genus,
Perire flammis, fluctibus, telis, feris.
Fas eſt in iſto genere, quod in alio eſt nefas.
At illa turba, petere quæ ferro latus
Eſt auſa noſtrum; jura regnanti dare;
Abſtrahere fontem vinculis: Regis ſacra
Decreta, quantum potuit audaci manu,
Et voce dirâ exſcindere; horrendæ necis
Devota noxæ, debitas pœnas luat.
Sed ecce, cladis genitor ignarus ſuæ
Pædore diri carceris fœdo obſitus.
Pietate victus cedit irarum furor:
Oculoſque flexit ſqualor ingentis modò
Fratris: ſed hoſtis nempe: quod primum mihi
Subeat: timore pectus, hoc vivo, mihi
Numquam vacabit. Verba ſed dentur tamen
Vltima dolori. Frater, erratum eſt ſatis,
Ignoſce crimen: cæcus, & flecti inſcius
Dolor trahebat: fateor, erravi: meo

Veniam

Veniam furori tribue : peccavi ſatis.
FL.CL. Hoſtile crimen præterit noſter dolor.
Hoſtibus amicus, fratribus multò magis
Donare veniam debeo, poſſum, ſcio.
Habeo quietæ pacis auctorem Deum.
IMP. Poſthac colatur ſanguis : irarum furor
Cedat viciſſim : quidquid odiorum fuit,
Fuerit : quieta jura moderemur pari
Omine : propinqua ſceptra jungamus, Deo
Auſpice. Liquorem Palladi liba hunc meæ :
Imple capaci dexteram, frater, ſcypho :
Gentile pondus ſuſtine ; matrem cole.
FL.CL. Libare vero numini mos eſt meus.
Ne, frater, erres : teſtor, eſt Pallas lapis.
Tu lapide melior, ſume meliores, precor,
Animos, vocantis numinis vocem audiens :
Et vive Chriſto, pace ſi verâ frui,
Et laude verâ, frater, augeri cupis.
IMP. Quod me decebat, differ in præſens : pia
Mox verba rurſus audiam. nunc hoc age :
Indue paratus regios : nexus, mei
Sceleris furores, exue : & fronti hanc notam.
Impone, frater : cinge venerandam comam.
FL.CL. Certum eſt : recuſo ſtemma regalis notæ,
Quod ſat dediſſe filiis, frater, fuit.
Quidquid dediſti filiis, patri eſt datum.
Commune natis munus, & patri dabas,
Romana natis jura cùm, frater dabas.
IMP. Fratrem potiri laude præclarâ vetas ?
FL.CL. Laus tua peracta, frater, eſt : quæro meam.
Rejicere ſtatui ſtemmatis primi decus.
IMP. Meos pudores detrahi ſaltem ſinas,
Hæc vincla, frater. FL.CL. Vinculis necti mihi
Dulce, & decorũ eſt : Vincla ſic CHRISTVS DEVS
Geſſit : ſed inſons. Laude me tantâ frui
Permitte : CHRISTI, frater, imitabor decus.
IMP. In fratre patiar ſcelera ſpectari mea ?
Servile ſignum regius ſanguis gerat ?
Dedecora noſtri criminis numquam feram :
Meus obſoleſcit vinculis ſplendor tuis.
Diripite, juvenes, vincla. FL.CL. Sic Cæſar jubet :
Exuite vincla : grata ſed nobis erant. (Chlamys,
IMP. Induite picta chlamydis ornatum. FL.CL.
Quam tu, gerebas, Chriſte ſplendidior fuit.
IMP. Meos nepotes, filios dignos patre.
Primos amores Vrbis acciri placet ?
FL.CL. Quæ res beare ſola mœrentem poteſt,
Prolis parenti redde conſpectum, precor.

[IMP.

IMP. Reddo: advocentur. Filios noſcis, pater?
Agnoſce vultus; fruere; complexum expedi:
Saturare: viſus paſce: contrecta duos.
Dubitas? quid hæres? crede, ſunt noſtrum genus.
Veſpaſius hic eſt, aptior Cæſar ſagis:
Domitius hic eſt, aptior Cæſar togæ.
Hos ego cecidi: reliqua congeſſi focis:
At cæſa mœſto capita ſervavi patri.
His regna tribui, & ſpiritum extraxi modò.
Guttæ cadentes ora taciturno lavant.
Cervice lapsâ verticis pondus labat.
E corde ducit ſpirtus imo miſer.
Omnes doloris edit infelix notas.
At ego beatus. FL. CL. Vaſta, diſcluſis procul
Diſcluſa terris, maria: terrarum ſola
Excluſa ponto, audite Romani Ducis
Pelopeja facta: Fratris infandum, novum,
Dirum, pudendum, barbarum, audite hoc ſcelus.
Vel tu, Deorum terror, & Regum metus,
Tu potiùs audi, CHRISTE, quas cogor miſer
Fundere querelas: queſtibus patris vaca
Orbi, immerentis. Vota non facio irrita,
Nil humile genitor ploro: tu votum es meum.
Tibi ſum relictus: cuncta ſi deſint, tuo
Numine beatus. Liberos ſi tu duos
Cœlo intuliſti, gratulor Cœlo, & tibi.
Sin quid pavetur aliud: orbatum patrem
Solare quæſo: meque, ſi merui, & meos
Adſcribe Cœlo. Fratris hoc tantum nefas
Dimitte: Romæ regna, quod tam nunc moves,
In melius olim verte, quæ nuper Petrus,
Quæ multa terris Paulus expertus, dato
Sanguine, ſacrarunt: ſcelera terrarum amove:
Ordire felix ſæculum dignum Deo.
Quo ſcelere nocuos filios patri eripis?
Quâ fraude nocuum filiis patrem abſtrahis?
IMP. Si ſcelera quæris, liberûm eſt ſcelus pater.
Tui fuerunt: patris eſt crimen Deus
Tuus iſte Chriſtus. FL. CL. Sceptra nũc verè gero:
Omnia recepi decora, nil periit mei,
Nihil peribit. IMP. Quàm nihil, Clemens, vides?
Immò hic peribat (recipe, ne pereat) liquor:
Tuus eſt; tuorum liberûm hic ſanguis, tibi
Quem nunc propino: ſume: cervicem feri (eſt.
Lictor. FL. CL. Beatè eſt, Chriſte, jucũdè eſt, benè
Morior, quod unum eſt omnium: at morior tibi:
Quod eſt bonorum nempe paucorum decus.
TYA. Nobis reſerva, Lictor, abreptum caput.

IMP.

IMP. Centurio, in oras classe Domitillas procul
Avehe recinctas fluctibus binis duas.
TYA. Optatus ipso in tempore aspectum sui
Noster Ioannes obtulit. Lictor, caput,
Patri recisum, projice actutum mihi.
Damis, duorum capita natorum hæc tene.
Zebedæje Solem Vesper exegit polo :
Lucebit aliquid melius, ut spero, tibi.
Exsilia Romæ rector, hortatu meo,
Tibi dat : abito : imperia decretæ fugæ
Hæc ipsa sunt, si quæris : hæc Regis nota est.
Nunc hoc, amice, munus exsilii accipe
Solamen ingens : capita parvorum Ducum
Hæc Flaviorum, & hospitis caput hoc tui.
Hic nostra regna sunt : citum exporta hinc pedē,
Et fruere dono. Reliqua Tyaneus tuus
Imperia Regis transiget. Christi genus,
Absente te, te fluctibus clauso undique,
Ornabit, opibus usus Æneadum, & suis.
Laudabis. I, nunc strenuè illude exsuli.
IOAN. Improbe, nefande, sceptra sic ludis Ducū?
Perfide, superbe, dire, crudelis, ferox.
TYA. Immò cadaver criminum, sceleruṁ lues,
Laudis Charybdis, fraudis Euripus quoque.
Verbis tonantis facta respondent senis.
Tyaneus ista dona Zebedæjo refert.
IOAN. Sunt mœsta: sed præclara, quæ Cœlo Deus
Spectat benignè dona : tu spernis miser,
Quia nil sapis cæleste, nil humani habes.
O dulce cari capitis exuvium hoc mihi !
O cara Iuvenum spolia, Romanis mihi
Potiora Regnis ! ite nunc comites fugæ,
Sic ite mecum sarcinæ pondus leve.
O me beatum munere hostili senem !
Sic ite mecum : cernit hæc ultor Deus,
Barbare : reposcet fraudis auctorem Deus.
Huic vindicandum scelera te servant tua.
TYA. Te vindicandum Regibus trado meis.
IOAN. Ne metue : non est sera, quæ serò venit
Vindicta. TYA. Tritum carmen antiquum canis.

LECTORI.

ACtus secundi Scena quarta, ubi Domitillæ inducuntur, quæ posteà nihil agunt, ab auctore dispuncta fuerat ; quia inter scribendum animadvertit, sibi non licere, feminas illas in scenam dare. Placuit tamen eum quoque locum ibi reponere, ut ex opere præclaro nihil periret.

CAROLI MALAPERTII

MONTENSIS BELGÆ

E SOCIETATE IESV

SEDECIAS

TRAGOEDIA.

WLADISLAO SIGISMVNDI III. POLONIÆ REGIS FILIO PRINCIPI IVVENTVTIS.

Magne Iagellonides, cui debet Suecia sceptrum,
Moschua dat, Lechi sceptra animumq; vovent:
Accipe Karnkoviis missum tibi munus Athenis.
Quas bifido alludens agmine Prosna lavit.
Nec Musis fateor, nec Phœbo digna Polono
Carmina, ni facili tu tibi digna facis:
At mea cùm semel hoc viderũt lumina sidus,
Vsquam alio cursum flectere posse negant.
Ergo tuis patere auspiciis & solvere portu,
Et timidæ primum currere navis iter.
Sic mihi, quot dixi populorum, maxime Princeps,
Spes de te inbeat tot DEVS *esse ratas.*

CAROLI MALAPERTII
è Societate IESV
SEDECIAS
TRAGOEDIA.

ARGVMENTVM.

NABVCHODONOSOR cùm Ioachinum regno moviſſet, Sedeciam patruum Ieroſolymis Regem conſtituit : qui fiſus deinde Ægyptiorum amicitiâ, Babylonico fœderi renuntiavit, contrà quàm Ieremias coràm, & Ezechiel Babylone captivus, divinitus admonerent : nam partim impiorum procerum conſiliis in tranſverſum actus, partim (ut refert Ioſephus) quòd duorum Prophetarum vaticinationes in ſpeciem pugnantes eſſe videbantur, ſalubria utriuſq; monita contempſit ; ipſumque adeò Ieremiam malè mulctatum in fœdiſſimi carceris cloacam conjici vel curavit, vel permiſit. Premebantur interea biennium totum arctiſſimâ obſidione Ieroſolymæ à Nabuzardano, aliiſq; Ducibus Regis Nabuchodonoſoris, donec peſte fameque diriſſimâ civibus exhauſtis, Sedecias occulto itinere, præmiſſis filiis & conjugibus, nocturnâ fugâ urbem deſerit, cujus illâ ipsâ nocte hoſtes potiti, magnam partem, ut in nocturnâ

invaſione fit, ſuccenderunt. Victor Nabuzardanus ut primùm Regem dilapſum ſentit, magnâ celeritate inſecutus, è fugâ retrahit, & Nabuchodonoſoro Reblathis agenti vinctum cum filiis ſiſtit. Rex ferus triſtiſſimo ſpectaculo filios patre inſpectante trucidari, mox Sedeciæ ipſi oculos effodi & inde Babylonem deportari mandat. *Ex lib. 4. Regum cap. 25. 2. Paralipom. cap. 36. Ioſepho lib. 10. Antiquit. Iudaic. cap. 10. & 11.*

PERSONÆ.

SEDECIAS. ARMIGER.
NABVZARDAN. NABVCHODONOSOR.
IEREMIAS. FILII SEDECIÆ.
NVNTIVS. CHORVS.

AC.

ACTVS PRIMVS.

Sedeciam initæ fugæ serò pœnitet.

SEDECIAS. ARMIGER.

SED. IMbellis, excors, gentis opprobrium tuæ,
Quousque anhelum proditi ad labē imperi
Gressum fatigas? siste; jam satis est fugæ,
Ignavus ut sis. aude, age, superbos retrò
Referre vultus; nullus à tergo est metus.
Require Solymas, dubia qua montis juga
Vix pervicaci lumina obtutu notant,
Piceaque fumus nube prætexit diem.
Sic fruere regno: fruere; sic Regem inclytum,
Cæloque teste strenuè ignavum decet.
Pudenda comitum turba, quid letum benè
Manu merenti densa per Medūm agmina
Malè obstitistis? turpis officii piget.
Par est malevolo, quisquis ad probrum juvat,
Ruente Solymâ, non satis credo fuit
Necis aut sepulcri; sola per nemorum loca
Vilesque latebras, quærimus fato viam,
Dignum leænæ pabulum, indigni hostium
Oppetere dextrâ, patriæ & busto tegi.
Adeóne dulce est vivere! miserum mori!
Moriamur anime. dedecus nullâ satis
Morte eluendum: quà licet, nostro tamen
Sanguine luatur. qui probri hærentem nequit
Labem expiare, finiat sensum, ultima
Ferro secutus. Verte in infandum caput
Huc arma miles. Quisquis è turbâ voles,
Patriæ ruinas, liberūm ulcisci necem,
Perime nocentem; rara vindicta obtigit
Tuta in Tyrannum. Quisquis è turbâ voles
Referre meritis gratiam facilem meis,
Perime volentem: sive crudelis mihi,
Sive es benignus, commoda Regi manum:
Mortem rependi præmium, aut pœnam rogat.
Adeste cuncti, adeste; quid frustrà pii
Exhorruistis? arma, non gemitus peto.
Servate lacrymas funeri, aut patriæ date
Per me ruenti. vah pudor! nemo omnium
Aut esse justus ultor, aut gratus volet?
Ite, ite, fata quemque quò ducunt sua:
Quod quæro, promptum est: sentio quà pectoris
Imi latebras cor mihi ignavum quatit,

Illinc revellam lucis exosæ moras.
Me me ille nostris, si potest, pœnis satur,
Parte è serenâ lentus adspiciat poli,
Qui probrum in omne legit Isacidum genus.
Nil fulminandum est, solus è tanto nocens
Populo supersum, certius telum hâc manu
In me vibrabo. ARM. Magne Rex, quis te dolor
Agit impotentem, vitæ ut ingratus tuæ
Deum lacessas? SED. Vt lacessitus malum
Malus ipse perdat: diro ut aspectu levet
Cælum atque terras. ARM. Parce vesanis diem
Scelerare verbis, teque pietati refer.
Hæc ipsa luimus scelera; delirant duces,
Plectimur Hebræi. Nempe si monitis fores
Vatum obsecutus; salva nunc staret Sion,
Starentque Solymæ. SED. Quos mihi vates canis?
Oracla dubiâ nostra jam nutant fide,
Pugnantque secum: vincla, Babylonem occinit.
Hinc Ieremias; inde Babylonem mihi
Vmquam videndam captus Ezechiel negat;
Vterque vates, sortis auctorem DEVM
Vterque jactat. ARM. Fateor, & dudum hæreo
Mecum ipse fati dubius interpres tui;
Oracla sed quæ clusa perplexis latent
Vocum involucris, ipsa per rerum explicant
Eventa sese: dum tamen sors fluctuat
Incerta, si dant fata, quærenda est salus:
Nam cur salubris consilî tantum piget?
Furor est apertum ruere in exitium palàm.
SED. Pudor est inultũ fugere. ARM. Sed si res fe-
Necesse; fortem tempori aptari decet. (rat,
SED. Mori fugacem? ARM. Fugit hac David, pudet
Sequi nepotem? SED. Damno fugientem nepos.
Laudo Saulem mortis invictum metu.
ARM. Parum interest, timore quo fractus cadas.
Vitam Saul timebat, hoc victus metu est.
SED. Probrum timebat, nemo magnanimus tulit.
ARM. Adversa ferre nemo magnanimus negat.
Imbellis ille est, sponte qui vitam abjicit,
Lucemque duræ sortis impatiens fugit.
Sceleratus idem, carnifex dirus sui,
Hoc parricidâ tetrior, quò tu tibi es
Propior parente. fortis esse animi reor
Durare contra quidquid est durum pati,
Nec cedere retro, stare quâ summus jubet
Statione ductor: laudis hoc verum est decus.
SED. Magnifica verba. macte, cui Mavors calet
Ventoso in ore, friget ad pugnam manus.

ARM.

ARM. Hosti probata dextera est. SED. Nobis pedes.
ARM. Ardente Solymâ, vertitur vitio fuga?
Totam malorum Iliada, pestemque & famem
Memorare cogis memori? at ingrato juvat
Memorare vel sic. Qui pedes laudas meos,
Equos requiris? fallitur quisquis putat
Solymæ relictos; sessor absumptum gerit
Inusitato ænigmate sonipedem suum.
Bis Aquilo galeam sparsit hibernâ nive,
Glacieque in unâ stupuit hastili manum
Hærere miles, bis sub æstivâ cane
Animam æstuantem duximus: nondum satis
Belli, aut malorum est? fare, quid prohibes dolor?
Quid anime refugis? fare, & invitus tuos
Luctus retracta. Tantuli è turbâ sumus
Magnâ relicti; querimur Assyriis hebes
Ferrum tamen fuisse: cum patriâ jacet
Sorte invidendâ, quisquis hostili manu
Animam profudit. Pestis, & cælum nocens,
Ignava fata, fortium robur virûm
Miserè abstulistis: Solyma non uno fuit
Vincenda ab hoste. Quidquid horreri assolet
Pastus nefandi, dulce jejunis fuit.
Ipsa ipsa mater (conscium testor diem,
Factum est, quod olim posteri factum negent,
Aut execrentur,) dubia quem damnet neci,
Dum conjugem inter, inter & natum stetit,
Oblita matrem, Redde quodcumque es mei
O nate, dixit; vixque tendenti manus
Aversa jugulum pressit, & cultrum impio
Defixit ictu: volvitur leto puer,
Manatque tenuis corpore exsangui cruor:
Exceptus ille est, ne quid infaustæ dapis
Patri periret. Sæpè ab incepto manus
Scelere resistunt: sæpè se infelix parens
In facinus urget. Perge, perfectum est nefas,
Infausta genitrix; perge, quod restat pium est,
Pascere maritum: dixit, & ferro secat
Medium cadaver; viscerum vellit fibras
Adhuc calentûm, moxque frustatim suos
Errans per artus, per lacertorum moras
Indocta fœdæ membra lanienæ amputat.
Et quod malorum maximum in matre arbitror,
Defossa gemînis lumina in specubus rigent,
Negantque lacrymas, torva, sine sensu, furens
Vt Baccha fertur. fervet undanti latex
Iactatque aheno membra; pars lento veru
Stillat cruenta, subdit invitas parens

Et hîc & illîc impio flammas rogo,
Partem in remoto provida recondit penu,
Et esse tanto in scelere frugalem placet.
Epulæ instruuntur denique : ô fatum grave!
Vltra Thyestem est aliquid, & Grajûm leves
Vicimus Hebræi fabulas rerum fide
Cælo pudendâ. Crimine alieno nocens
Ignarus illic lancinat natos pater,
Nostri volentes : dum que præclusæ viam
Fauces, malique conscium pectus negat,
Dum stomachus horret pollui infandâ dape,
Pietatis omnem pertinax sensum furor
Evicit, utero mater invito suos
Fœtus regessit, & reluctanti viro
Scidit epulandos. I modò, & fugam exprobra,
Victasque Solymas, querere desertos lares
Vix semivivis ; proditum regnum voca,
Alimenta quando pertinax nulla invenit
Rabies edendi, ni tuos forsan dares
Natos coquinæ. Sed quid hîc vanis diem
Terimus querelis ? fixa si penitus sedet
Mori voluntas, jungere & regno juvat
Regem cadenti, facilis ad letum via est.
Redeamus illuc unde discessum est malè,
Reddamur hosti. scilicet magno impius
Optarit emptum Medus, ut Regem suis
Addat trophæis, dubia quæ meritò facit
Hostis superstes. SED. Num Sedecias potest
Cuiquam timendus esse ? ARM. Si vivit, potest.
Ludum insolentem ludit, & miros habet
Fortuna reditus, quosque defecit gradu,
Alterna visens rursus in stabili locat.
SED. Opem sed unde rebus afflictis jubes
Sperare miseros ? ARM. Vnde speramus nihil.
Nec sic tamen jacemus, ut nullus queat
Erigere lapsos ; mutuam pactus fidem
Socia arma junxit, Pharia quem tellus colit
Latè Tyrannum ; flectere huc cursum licet.
Parant amicos prospera, reposcunt fidem
Adversa. SED. Poscunt, fateor; at rarò impetrant.
ARM. Tentare liceat. SED. Nēpe Medi ut gratiam
Pharao Tyranni capite mercetur meo ;
Pacis redemptæ victima ut vilis cadam ?
ARM. Legunt quieti præsidia, miseri occupant
Quodcumq; asylum. SED. Cùm mori tēpus vocat,
Precariò vixisse post regnum pudet.
ARM. Matura quamvis fata nunc Regi forent,
Non sunt parenti, conjugem, natos, pater

Orbos

Orbos relinques ? hanc tenent jussi viam
Carpuntque celeres ; fida sed quoties virum
Conjux requirit ? parva natorum manus
Tremente quoties ipsa cum silvâ tremens
Vultus reflectit, trepida quem ponè audiat
Hostem an parentem ? propera, ut adventu prior
Tueare inermes : sequere, quâ multum tui
Viâ anteceſſit. SED. Solus inflectit meos
Amor ille sensus : fateor hac victum trahis.
Prô misera pietas ! cogis infelix patrem
Vitæ perosum vivere, & fugam exequi
Mori obstinatum. Testor immitem DEVM.
Non trepidus hostem fugio ; vos, nati, sequor.

CHORVS I.

FILII PROPHETARVM.

IMPVNE pollicetur
Sibi impius futurum,
Quoties vibrare lentus
Trisulca tela differt
Hominum deûmque rector.
Nullus memor nefandi
Fandique nostra curat ;
Rapitur, peritque justus,
Premitur, jacetque virtus ;
Sceleri benè, & scelesto est.
Adeste, & innocenti
Laqueum parate mecum :
Bona undecumque præda est.
Sic impius : sed æquâ
Qui lance cuncta librat,
Non surdus ultor audit.
Rarò pœna fugax scelus
Claudo deseruit pede ;
Compensat gravitas moram.
Iustum rebus in anxiis
Vindex ætheris arbiter
Metu & fraudibus asseret.
Frustrà faucibus imminet
Ductis impia factio :
Frustrà ringitur invidus.
Cæco & murmure perstrepit :
Iras denso ut in agmine
Et longos apis asperat
Non jam mellea bombos,
Aut spinæ & tribuli leves
Subjecto ut crepitant foco.

Fruſtrà conſiliantium
Cœtus pervigil excubant,
Et linguas acuunt ſuas ;
Serpens ut trifidis micat
Vno gutture fibilis.
Iuſtus propoſiti tenax
Fretus numine proſpero
Caſſos non timet impetus :
Vt qui rupis in arduo
Paſtor vertice confidens
Inſanum mare deſpicit.
Aſtu callidus & dolo
Doli prenditur artifex :
Hæret implicitus pedem
Plagis quas malè tenderat.
Hæc quondam cecinit ſacer
Vates ſub Solymæ jugis,
Nervis dulcè loquacibus,
Verbis lenè ſonantibus ;
Subjectaſque Sionio
Valles reddere vertici
Vocali docuit lyrâ
Ieſſæi genus inclytum.
Hæc nuper Ieremias
Tetro in ſpecu canebat,
Quò Principum immerentem
Retruſerant furores ;
Medio è lacu monebat,
Cùm vix tenace limo,
Cùm vix olente cœno
Toto emineret ore :
Vel ſic tamen rebelles
Regemque, Principeſque
Toto increpabat ore.
Nunc æquus ille vindex,
Suam ſuique vatis
Vltus vicem, rependit
Regi parem, ſceleſtis
Ducibuſque talionem.
Fugitant paventque anheli
Rex ipſe Principeſque ;
Fugitant paventque fruſtrà :
Victor ſuperbus inſtat,
Iam jamque terga prendit.
Dabunt, dabunt ſceleſti
Captiva colla vinclis,
Quæ vatibus parabant.
At unus ille vetro,

Liber ſpecu remiſſus
Bis Solyma capta cernit,
Et barbaros verendus
Refulget inter hoſtes.
Nuſquam præſidio DEVS
Fallax deſtituet ſuos:
Orbis concidat, & chaos
Rerum diſſolvat decus,
Illæſum caput erigent
Inter fragmina mundi.

ACTVS SECVNDVS.

Nabuzardan fugientem Sedeciam inſequitur, & capit.

NABVZARDAN. NVNTIVS.

NAB. VT pedibus alas addit & vires timor!
Vix antegreſſos, longâ & enectos fame
Sequimur Hebræos, plus tamen curſu va-
Hîc dubia rurſus ſemita in plures abit. (lent.
Vos, quâ renaſcens vix benè affulget jubar,
Properate; major turba, quâ Pharium eſt iter,
Mediumque Titan pendulus librat diem:
Vos ite medii. abſtruſa, defoſſa, invia
Luſtrate celeres; vile non petitur caput,
Nec præda tenuis. unicum monitos volo;
Servate Regem, regiæ & ſtirpem domus
Tenete vinclis, quos Nabuchodonoſoro
Placet exhiberi. ruite, & in vulgus truces
Sævite reliquum. Siſtite hîc reliqui gradum,
Captemus auras undique, haud longè reor
Abeſſe Hebræos. Næ meis ſi laudibus
Accedat unum, currui ut junctum meo
Regem triumphi ferculum eximium traham;
Tum me beatum, & cælitum excelſiſſimum!
Per gemina Phœbi luſtra vix fractum Ilium,
Aſiæque columen dirutum Argivi canunt,
Aut mentiuntur; nec meæ poſſint tamen
Officere laudi, perfidæ, & numquam ſatis
Solymæ jacentes, hâc jacent ſtratæ manu.
Puditum eſt Pelaſgæ fraudis; ut fortes decet,
Vicere Medi. quidquid ad regni caput
Tot antè regum ſtruxit inſanus labor,
Ferro reciſum eſt: turrium immanes premunt
Suos ruinæ: facta per muros via eſt,
Quos qui jacentes videat, haud credat tamen

Potuiſſe ſterni. Qualis evictis furit
Obicibus amnis, cùm jugo montes fluunt
Nivei ſoluto, miſcet & cæli novas
Imber ruinas ; ille per campos vagus
Vetitos, per arva fertur, & tumidum undique
Diffundit agmen : talis horrendùm intonans
Miles per hoſtem cæde molitur viam,
Ferrumque & ignem ſtringit, utrovis ferens
Exitium : Hebræi morte non unâ cadunt.
Hunc flamma latebris pellit, ut ſtricto induat
Mucrone pectus ; ille dum ferrum timet
Hoſtile, patriis eligens flammis mori,
Mortem, ſepulcrum quærit, & domi invenit.
Solyma ululatu tota femineo ſonant,
Ipſoſque terror pænè victores ſubit :
Congeſta patrum decora, cælatas trabes
Depaſcit ardor, regiam flammæ ambiunt.
Nec parcit ignis, parcere ut victor velit.
Non prohibet avidas flamma, non peſtis manus :
Medios per æſtus, inter ardentes globos
Semjuſta miles ſpolia populator rapit.
Quique obſtinatæ tædio victus moræ
Damnabat arma nuper, auro nunc gravis,
Spoliiſque onuſtus geſtit, & geminis lubens
Ignoſcit annis. gratius magno bonum eſt
Quodcumque conſtat, pretia commendat labor.
Sed quid moratur miles huc Regem mihi
Pertrahere vinctum ? ſalva ſi noſtros fugit
Hæc præda caſſes, non ſatis victas reor
Mihi eſſe Solymas : contumax notum eſt caput,
Noti rebelles ; rurſus indomitâ parent
Cervice bellum : plebis ingenium feræ
Vel inde diſce, liberis ſaturi ſuis
Fugiunt parentes : quis vagus campis Geta,
Quis inhoſpitali Caucaſo, aut mediis ſatus
Scythiæ pruinis tam ferum potuit nefas ?
At quem citato video præcipitem gradu ?
Libet ire contrà. Fare ; quo res eſt loco ?
NVN. Dux magne ſalve. ſalva res, ſalva omnia.
NAB. Rex ergo captus ? NVN. Captus. NAB. O lætum diem !
Vivo, triumpho. ſed rei geſtæ ex fide
Seriem recenſe. NVN. Dum feram hinc illinc vagis
Venamur oculis, fortè decuſſo orbita
Notata rore eſt, quà pedum veſtigiis
Iamjam ſubactam gramen attollit comam :
Dum ferimur illuc. & datas prædæ notas
Sequimur anheli, ſenſit adventum prior

Rex

Rex ipſe noſtrum ; ſenſit, & vultum ſimul,
Simul arma flectens, Siſtite ô ſocii fugam,
Tenemur, inquit ; non decet tergo viros
Excipere mortem, pectus adverſum date,
Ferte arma in hoſtem. ſic miſer fruſtrà ſuos
Increpitat : illi denſa per nemorum impigrè
Dumeta reptant, quemque quà ſubigit timor.
Vt abeſſe ſocios vidit, & nudum latus,
Infremuit amens : aggerat furias dolor,
Furiæ dolorem ; nec pudor turpes ſinit
Captare latebras. Ergo non dubius mori,
Per tela & agmen pronus adverſum ruit ;
Suaque laceſſens fata, fulmineum rotat
Enſem huc & illuc, quaque pilorum ſeges
Cuſpidibus horret denſior, curſum incitat.
Qualis cruentus inter Armenias leo
Deprenſus haſtas, aſper & dirùm infremens
Cervice totas excutit fulvâ jubas,
Strictoque nunc hos dente, nunc illos petit.
Nos, quando juſſa non ſinunt aliud tua,
Eximus arte vulnera, aut clypeo cadunt.
Miratur ipſe indigna tam lentos pati
Impunè ab uno, cominus nullum ſibi
Conſerere dextram ; dumque violento imminens
Furore in ictum ſurgit, ingentem impetum
Æreique triplices non ferens clypei moras
Diſſiluit enſis. hæſit ignotum intuens
Capulum, atq; inermem dexteram: at turba undiq;
Clamore in unum tota ſublato volat.
Centumque fruſtrà manibus obnixum premit.
NAB. Facere imperata militis primum eſt decus,
Non quidquid ira ſuaſerit, temerè obvium
Truncare ferro : ſiſtere ardentem impetum
Vel inter arma, jamque libratam manum
Revocare ab ictu, cùm tuba receptum canit :
Per jacta paſſim ſpolia, per fuſas opes
Hoſtem irretorto lumine fugacem ſequi,
Hoc militare eſt. Nunc & hoc noſtrum reor,
Diſpicere veſtris paria quæ meritis queant
Præmia reponi : faxo ne fraudi ſient
Neglecta cuiquam ſpolia, dum ſequitur ducem.
Quid verò Regis liberi ? an tutum tenent ?
NVN. Iam puto tenentur: vix enim exiguo patrem
Spatio anteibant, ut fugaces prodere
Regis miniſtros mors propè admota impulit.
NAB. Sapienter iſtud. Emica actutum in pedes
Quà te antecedit rumor, & noſtro refer
Hæc certa Regi ; Reblathis quantocyùs

Victor.

Victoſque Hebræos, meque victorem affore.
At at propinquo tremuit armorum ſono
Concuſſa tellus : militem agnoſco meum.
Rex ecce trahitur vinctus.

NABVZARDAN. SEDECIAS.

Infandum caput,
Rebelle, vecors, ergo ſperabas meas
Evadere manus ? Siccine ? incenſæ ruant
Tuo igne Solymæ, concidat regni ſtatus,
Regiſque ſcelera populus immeritus luat,
Dum tu malorum machinator facinorum,
Buſtumque patriæ, tota quem numquam ſatis
Solyma obruiſſet, ſubtrahis leto caput ?
At ſi obſtinatè ſederat numquam jugum
Subire noſtrum, quin priùs dira omnia,
Peſtemque, & ignes, & famem, & bellum pati,
Et cuncta ferre, ferre quæ obſeſſus poteſt ;
Poſt ſtrata flammis Solyma, poſt peſtem, & famem,
Cui te reſervas deinde ? quæ regna altera
Perdenda reſtant ? meliùs ardentem rogum
Patriæ ſubiſſes funus extremum tuæ :
Rex occidiſſes. Perditum an tanti fuit
Supereſſe, poſthac ut tibi fruſtrà invoces
Mortem relictam ? vile ludibrium hoſtium.
Vivax miſeriis tempus ut quæras tuis ?
SED. Quæcumque amarus ingeris victor probra,
Audire merui : fateor, & ſerò pudet.
Parum rebellis, contumax parum fui ;
Res eſt inepta, facere perfidiæ modum.
Poſt pertinaces hactenus belli moras,
Poſt tot meorum funera hoc unum dolet,
Veſtro quòd igne Solyma non noſtro jacent.
Hâc ſi deinceps ſtare non poterant manu,
Poterant perire : cuncta cumulaſſem priùs
Quibus ſuperbis ſpolia, & ardenti ſuper
Cumulo irruiſſem ; trahere labentem omnia
Regem decebat. Nec tamen iactes tuos
Tantùm triumphos ; non tuâ victos premis
Virtute Hebræos : Solyma conſumpſit lues,
Tu diruiſti : facilè & imbellis poteſt
Iactare flammas. NABVZ. Captus armatũ improbo
Laceſſit ore ? SED. Qui mori lucrum putat,
Laceſſere hoſtem captus armatum poteſt.
NABVZ. Procace linguâ melior, armatus fugis,
Pugnas inermis ? SED. Arma ſi reddi jubes,
Manu refellam quidquid objectas probri. (fuit.
NABVZ. Hoc facere Solymis decuit. SED. Et factũ

NABVZ.

NABVZ. Cùm præ ſe Hebræos miles Aſſyrius canes
Ageret fugaces. SED. Perficas inter nurus
Narrare captam fortè cùm Solymam voles;
Adverſa veſtris tela vix aliquot benè
Tenuiſſe in urbe militum larvas refer,
Quos ſola macies, luridi & vultus color
Faceret timendos. NAB. Facilè fruſtrari impetum
Hoſtilem ab altis turribus quivis poteſt,
Et trahere bellum. SED. Facilè, ſi ignavi obſident.
NABVZ. Laudes ſceleſte pergis argutis meas
Obterere dictis? faxo ut hic ſidat tumor,
Et agere victum doctus aſſueſcas malis.
Cæcâ ut recluſus nocte, pœdore obſitus,
Tecum ipſe ſtatuas victor, an victus ſies.
SED. Fortuna miſerum facere, non timidũ poteſt.
Exſilia, mortem, mille pœnarum modos,
Quamque his & illis eſſe pejorem reor
Minare vitam, carcere & vinclis preme;
Exſtabit animus liber, invictus, ſuus.
NAB. Sic te eſſe jubeo liberum, invictum, tuum.

CHORVS SECVNDVS.

FILIÆ SION.

Ex cap. 2. Lament. Ieremiæ.

EHEV! quantis merſit tenebris
Solyma iratus ſuperûm Rector!
Eheu! quanto turbine vertit
Celſa ætheriæ tecta Sionis!
Quæ ſurgebant æmula cælo,
Nunc æqua ſolo culmina fumant.
Dum prona ſuo fræna furori
Laxat, avitæ nil memor ædis,
Sacra profanis culmina miſcens,
Vnâ obvolvit cuncta ruinâ.
Regibus olim condita priſcis
Monumenta patrum ſubruit ultor;
Celſis poſitas montibus arces,
Mœnia foſſis collapſa ſuis,
Planum Aſſyriis conſtravit iter
Nobile regnum; regnique Duces,
Fortia bello pectora, Medo
Dare ludibrium pertulit hoſti.
Ipſe ipſe animos fregit Iudæ.
Ipſe ipſe animos ſurgere Perſis
Dedit & robur, numine dextro;
Cùm præcipites agitant noſtros

Mœnia circum, dum cuncta metunt
Obvia ferro ; ceu flamma leves,
Agitata notis, haurit aristas.
Fuit ille, fuit tutela suis :
Nunc crudelem versus in hostem
Tela infenso dirigit arcu,
Nervum adductis cornibus urget.
Figit medium, mediumque fugit
Pectus arundo morte relictâ :
Quemque, ut formâ & robore præstat,
Primum ignavo destinat orco,
Quas continuit pressitque diu,
Irarum omnes fundit habenas ;
Ignis ut arcto fornice clausus,
Furit effracto fornice victor.
Non quassa jacent ariete Medo
Mœnia Solymæ ; murum hostili
Turresque manu DEVS armipotens
Vertit ab imo : DEVS ipse tuos
Iuvenes letho mersit acerbo, &
Totam opplevit cladibus urbem.
Quod sibi quondam penetrale sacrum
Proprio voluit jure dicatum,
Hosti cessit præda profano :
Vt dissectis sepibus hortus,
Quem fœdarum ruit ingluvies
Vertitque suum. Nil sacra movent
Otia, festum & sabbata damnat :
Capita Superis proxima, Regem, &
Nihilo Mystam Rege minorem,
Ludum Assyriis dedit opprobriis.
Vix nota suis ara sacrificis,
Numquam externo violata pede,
Pervia cuique est. Atria ovantum
Vndique plausus sacra volutant,
Vt cùm festo carmine nuper
Personat ædes : at nunc alios
Impia pangunt agmina cantus.
Nec præcipiti nos mente DEVS
Dedit exitio ; digerit olim
Hæc fata sciens, neu nostra putes
Temerè verti : librata suo
Aere pependit linea, Solymæ
Dum tecta solo funditus æquat ;
Dum celsa cadunt mœnia, & ipsum
Quod celsa tegit mœnia vallum.
Defossa suis ærata latet
Porta ruinis ; solido vectis

Fusus aheno, sera non uno
Obdita ferro, contrita jacent.
Soliti portis jura sub altis
Reddere proceres, nunc illa timent,
Quæ dat victrix jura libido.
Heu ubi sanctæ regula legis!
Vbi fatidicûm carmina vatum?
Populo nullus ventura canit,
Aut sua vanus somnia narrat.
Rigidis tecti corpora villis
Iacuere senes, tepido crinem
Cinere sparsi; prohibet nullus
Hoc de Solymis sumere victor.
Virgo pudicas laniata genas,
Virgo solutas lacerata comas,
Patriæ sese in pulvere versat.
Tabida longo lumina fletu
Acies sensûm tenuata fugit.
Intima torquet viscera luctus,
Felleum amaras jecur in lacrymas
Abit effusum, terramque rigat.
Dum tot in unam congesta diem
Mala ploramus: cùm depositi
Solymæ propter compita passim
Pueri dulces linquunt animas;
Pressoque infans ubere frustrà
Moritur primo in limine vitæ.
At quibus æras grandior os jam
Vocemque dedit; Heu ubi panis!
Heu ubi, mater optima, vinum est?
Miseri clamant; voceque in ipsâ,
Defecta calor membra relinquit.
At si qua pio natum exanimem
Fovet amplexu, gremio hic matris
Animam reddens colla reclinat.
Quibus assimilem tua fata Sion?
Quibus exemplis relevare parem?
Miseri miserum hoc solamen habent,
Similis socios memorare mali.
At nemo tuis cladibus usquam
Æquando tulit. Premeris toto ut
Obruta Ponto, nec opem in tantis
Quisquam ærumnis ferre laborat.
Quis ferre tamen (fac velle) queat?
Somnia vates delira tibi
Cecinit blandus, nimiumque favens
Scelera obtexit: nemo salubres
Gemitus movit, quibus infensum

Provida poſſes flectere Numen.
Tibi Niliacis affore ab oris
Spondebat opem, tibi Chaldæas
Marte ſecundo pellere turmas ;
Sed ſpe miſeram luſit inani.
Nunc qui Solymæ collapſa videt
Tecta viator, manibus plauſum
Geminis tollit, motanſque caput,
Illáne Solyma eſt nobilis, inquit,
Tot populorum regia nutrix ?
Illáne ocellus, mundique decus ?
Inhiant patulis rictibus hoſtes,
Acuunt preſſis dentibus iras,
Strident que feri ; ſibila vibrant
Anguis ad inſtar. Celeres, ajunt,
Currite ſocii, rapite incenſas
Avidi Solymas, vertite ab imo.
Quantum Iſacidum eſt, Medûm agminibus
Quantula præda eſt ? En illa dies
Vltima Hebræis, feſta Aſſyriis
Tandem illuxit. Benè habet : votis
Lucem adſpicimus mille petitam,
Per tam longi tædia belli.
Quæcumque DEVS tibi fata, Sion,
Sanxerat olim, quæ præſagâ
Fuerant vates mente locuti,
Nimis, heu ! veris rebus adimplet.
Neſcius ulli parcere, ſævit
Durus in omnes. gaudere tuis
Dedit immitem cladibus hoſtem,
Celſumque tuâ ſtare ruinâ.
Taciti cives patriæ è buſto
Timidis cælum queſtubus implent.
Et tu miſeræ nata Sionis
Funde perennes oculis rivos ;
Non nocte tibi, non luce tibi
Requiem indulge ; madeant geminæ
Vſque aſſiduo pupulæ ab imbri.
Nec te pigeat nocte ſilentî,
Vigilum quoties nocturna dabit
Buccina ſignum, duro corpus
Tollere ſtrato, ſeraſque DEO
Dicere laudes : nivis in morem
Vere ſolutæ Domino coram
Cor funde pium ; tolle pudicas
Cum voce manus, & ſparſa viis
Iuvenum memora corpora totis ;
Pietate DEVS tangitur iſtâ.

Adſpice cælo Pater Abramidum,
Aſpice quam tot cædibus urbem
Viduam linquas. Ergóne placet,
Quæ membra manu mollia finxit,
Eadem truncet, ſua diſcerpens
Viſcera mater? Penetrale ſacrum
Proprio Myſtæ ſanguine fœdant,
Proprio vates; num fortè jubes
Cruor ille tuas imbuat aras?
Puerûm obſcœnæ ſparſa volucres
Corpora tundunt; inhumata ſenum
Membra ſuperſtant: ferro pariter
Iuvenes trunci, & nubilis ætas
Stravere vias. Heu ſæva dies!
Semperque tua nobilis ira!
Funeſta dies! quæ communi
Regnum exitio Regemque tulit;
Dum tu veniâ flecti indocilis,
Sternis ſimilis cuncta furenti.
Vt ſacra Deûm feſta quotannis
Populi circùm turba frequentat;
Non ſecùs hoſtes coiêre mei,
Nimiùm celeres tua juſſa ſequi.
Cinxêre meos aggere cives,
Nemo ut vigiles fallere tecto
Tramite poſſet, nemo furoris
Immune tui ſervare caput.
Quæ tot alebam regia mater
Gremio natos læta ſuperbo,
Orba, infelix, quâ voce parens
Deinde vocabor? Barbarus hoſtis,
Ætherque nocens, & dira fames,
Vario hauſerunt funere ad unum
Cara relictæ pignora matris.

ACTVS TERTIVS.

Nabuchodonoſor victoriâ elatus, adversùs DEVM *inſoleſcit, Sedeciæ inſultat, & dira quæque minitatur.*

NABVCHODONOSOR. IEREMIAS.

NAB. QVẽ Phœbe noſtro cernis imperio parẽt,
Quacumque Nereus incoli terras ſinit,
Seu retegis orbem melior, & primis no-
Occurris Indis, ſpatia ſeu menſus poli (vus
Currus Ibero tingis emeritos freto?

Iam ter rebelles ferre ter domiti sciunt
Victorem Hebræi ; posuit Ægyptus minas,
Sociasque vidit ruere & æquari solo
Quieta Solymas. Genere mortali altior,
Par gradior astris ; omnis aut unum adspicit
Dominum subactus orbis, aut unum timet
Lacessere hostem ; fœdus Assyrium ultimi
Hominum reposcunt lege quâ victi solent.
Cælum est relictum : dignus est nostris labor,
Dignus trophæis. Iuppiter posthac mihi
Certare solus ausit, & nisi abditus
Cælo lateret, si pedem liceat pedi
Conferre, vincam. Memet habuisset ducem
Terrigena miles, qui gravi Pindum jugo
Imposuit Ossæ, tertium ad superos gradum
Struxissem Olympo. Quid Deûm turbam moror ?
Si sunt tamen Dî : Iuppiter cælo imperet,
Ventosque sensûs domitet expertes , meum est
Regnare vivis : imbribus cælum obtegat,
Tegam ipse telis ; gravior at nubes cadet
Quàm concitaro : fulmen incertum vibret
Non deligenti saxa diffringens manu,
Timidosque inani territet populos sono ;
Non hæc trisulcum dextra, sed telum vibrat,
Quo destinatum certiùs figit caput.
At te quis animi devium exagitat furor
Recutite Iuda, numen ut toties meum
Demens lacessas ? moveram regno duos
Reges paterno : tertium indignum ætheris
Vitalis hausto, Marte bis fractum meo,
Solio locaram ; rursus intumuit ferox,
Residesque in arma compulit populos : luat,
Luat sceleſtus ; sentiat quidquid grave
Iratus audet victor, aut victus timet.
Quærit rebellem, quisquis ingratum malè
Sceptro reponit. Nempe si invisum genus,
Natos, parentes ultor extinxem prius,
Non deinde toties aliud ex alio ferant
Bellum nepotes : perfidos nasci puto,
Vt nemo doceat ; nulla tam fixa inditur
Natura soboli, nulla tam certò obvenit
A patre rebelli liberis hereditas.
Benè est : tenetur tota cum catulis fera ;
Nullum relinquam stirpis infandæ super.
Huc pertrahantur. At quis è contrà gradum
Taciturnus infert vestis ignotæ senex ?
IER. Rex magne, vatem sponte captivum adspicis,
Cui dira Solymæ excidia, cui totam dedit

Seriem

Seriem malorum nosse regnorum Arbiter.
Ni mens fuisset læva, fatorum minas
Pridem imminentûm potuit admonitu meo
Vitare Iudas : potuit ; at tumidi Duces
Inauspicatâ tela sumpserunt manu.
Traxere bellum, cujus Assyrium quoque
Misereret hostem ; plusque pœnarum tibi
Volens pependit Solyma, quàm possis ferus
Exigere victor. Pace sed dici hoc tuâ
Liceat : Suorum scelere, non vestro Sion
Excisa ferro est : alibi regnorum decus
Huc ferat & illuc aura fortunæ levis ;
Nostri ille Rector, cujus æterno omnia
Nutu feruntur, imperî ad clavum sedet,
Rerumque taxat moribus nostris modum.
Te, quem secundo bella successu efferunt,
Animos feroces premere, moderari impetum,
Memoremque fortis esse communis decet.
Suis ruinis Solyma quem tumidum facit,
Tumidum domaret melius ; hoc Babylon loco est,
Vnde illa cecidit : quique momento obrui
Imperia nosti victor, ipse mox tuo
Docere id ipsum victus exemplo potes.
Nec mille forsan Ducibus, aut annis moram
Facies duobus : fata quàm paucis DEVS
Tam lenta dixit ? una nonnumquam dies
Funere triumphos mutat, & famulo Ducem.
Hæc tu memento ; quoque fortuna altius
Te læta tollit, levius afflictos preme :
DEVM faventem metue, nec tutum puta
Efferre cuiquam contumax cælo caput. (cant.
NAB. Sua cuiq; dextra est, quod DEVM populi vo-
IER. At illud unde est quod tuam dextram vocas ?
NAB. Méne ergo terræ filium, aut fungum putas ?
Non sunt parentes ? IER. At suæ parentibus
Dextræ fuerunt ; unde ? NAB. Quem captas senex,
Regẽ, an Sophistam? IER. Neminẽ est animus meis
Captare verbis ; nec tamen nostrum arbitror
Palpare Reges. Rex es ; at te hominem decet
Meminisse eumdem : purpuram, & regni notas
Natura nescit, quæ sinu nudos dedit,
Nudosque recipit. NAB. Iure nascendi pares,
Fortuna pòst discrevit. IER. An sorte hæc regi,
Nutúne potiùs mentis æternæ putas ?
NAB. Fortuna magnum est numen, aut nullũ reor.
IER. Fortuna nullum est numen, aut cæcum puta.
Non deligenti dona si spargit manu,
Cur colitur aris, nulla quæ merita adspicit ?

Fruſtrà es colendo, demereri cùm nequis.
Sin merita prudens penſat, & votis favet,
Fortuna non eſt. NAB. Fata, fortunam voca, aut
Quodcumque tandem volvit humanas vices;
Niſi ille potiùs, quem ſibi quivis manu
Sancire poterit, ordo fatorum manet.
IER. Æquúmne fuerit, ſummus ut rerum parens,
Quæ cuncta ſapiens condidit, caſu ſinat
Neglecta ferri; ut quidlibet temerè audeat
Libido inulta? num tuo morem hunc velis
Regno obtinere, regis ut nullo metu
Legumque nullo, quiſque quod lubitum eſt nefas
Deſignet ultrò? NAB. Quid ſi & hoc mundi decus
Temerè coiſſe nobiles cenſent Magi?
Cur ſorte nequeat, ſorte quod natum eſt, regi?
IER. Sublimè flammas mille qui appenſas videt,
Stabiliſque cælos ritè volventes vice
Lunæ labores; Solis eximium jubar
Nunc alta ſcandens ſpatia radiati ætheris,
Nunc capita gyro noſtra propiori legens,
Libranſque toti lance bis juſtâ diem
Noctemque mundo; cernere hæc, inquam, poteſt
Oſtenta rerum, credit & cæcum chaos,
(Magis ipſe cæcus) cuncta dum miſcet, ſinu
Fortè omnia extudiſſe? pars mundi quota eſt
Veſtra illa Babylon, quam tot artificum manus
Vix condiderunt? nemo, quæ certâ undique
Ratione conſtant, eſſe fortunæ putat.
NAB. At ille Olympi, ſi quis eſt rector, polum
Habet, habeatque; dum tamen terras ſinat
Nobis regendas: ſorte diviſum mihi
Non invidendâ cum Iove imperium feram.
IER. Mundi ille rector, qui tibi ſuperbas dedit
Frænare gentes, hoc tributum Regibus
Imperat, honorem, & Numinis læſi metum.
Reges timendi gregibus imperitant ſuis,
Major minores territat Reges DEVS.
Tute ipſe noſtrum carcere & vinclis premis.
Sibi perduelles non domet Reges DEVS?
NAB. Nequit rebellis eſſe qui nulli fidem
Obſtrinxit. IER. At qui condidit, cunctos ſibi
Obſtrinxit idem. Lege non aliâ ſumus.
Quis cum parente pactus in manum venit,
Dicto audientem filium & frugi fore?
Dei, & parentum naſcimur: non vendicat
Mancipio abactum filium ut prædam pater.
NAB. At enim parentum nota majeſtas palàm;
Et nota Regum, facere ſi juſſa abnuis,

Vindex

Vindex poteſtas. quod coli Numen jubes,
Si nemo novit, ſi ſceleſtis integrum
Addit, & utróſvis fulminum afflatu petit ?
IER. Documentũ in ingẽs Regibus Hebræi ſumus,
Quàm certa Superi damna neglecti ferant.
Nec tibi ſuperbo cuncta ſi ad votum fluunt,
Sic fuerit olim ; vindicem agnoſces DEVM.
Sæpè ille ſeram, ſed gravem pœnam exigit.
NAB. Longinqua narras; tempore accepto interim
Vtamur. IER. Ecquod tempus acceptum vocas,
Cùm pollicèri craſtinum nemo audeat ?
NAB. Cane iſta Hebræis : numina, & vates mihi
Timent minari : ſi meis quiſquam audeat
Obſtare votis, obruam Myſtas ſuis
Deoſque templis. IER. Obrui putris queunt
Ludibria trunci, ſtulta quæ Perſis colit :
At ille noſter qui tenet cælum DEVS,
Nuſquam tenetur clauſus, & nuſquam deeſt ;
Mortaliumque fata, regnorum vices,
Non fortuitâ cæcus ex urnâ movet ;
Sed mente longè providâ rerum modum
Metaſque ponit. NAB. Regna, regnorum ſtatus,
Martem ſecundum, vota in hâc poſui manu.
Precariò regnatur, ubi capiti imminet
Major poteſtas. IER. Qui DEO ſubdi abnuit,
Regnare longùm non poteſt. NAB. Poſſum, abnuo:
Teſtorque nullos eſſe quà regno Deos.
Abſcede vates : trahitur en vinctus mihi
Rex perduellis.

NABVCHODONOSOR. SEDÈCIAS.
FILII SEDECIÆ.

Téne ego infandum caput
Aſpicio ? ſed quo perfidum cultu decet.
Hâc ſpe paterna ſceptra moderari manu
Dederam immerenti, bella ut ingratus mihi
Hoſtis reponas ? SED. Fateor, ingratum tenes,
Sontem, rebellem : dira ſupplicia ingere,
Ferrumque & ignes ; mille per mortes neca.
Nil deprecabor meritus : at talem quoque
Aliquid rogare liberûm infelix manus
Cogit parentem ; parce puerorum indoli.
Et quos tenellæ primus ætatis decor
Subducit iræ, victor indignos puta
Quorum cruentes ſanguine ultricem manum.
Non illud oro, priſtinæ ut ſortis decus
Nomenque teneant, liberis hanc ſpem meis
Perfidus ademi ; patere, quod captis ſat eſt,

Servire miſeros, nobili & vinctos jugum
Accipere collo. Regibus nemo hoc neget.
Sic tibi ſuperſtes vivat illa ſpes domus,
Aliuſque ſolo nomine Evilmerodach
Virtute reddat, reddat & vultu patrem ;
Partiſque populos addat imperiis novos,
Si quos relinques. NAB. Arma qui nuper ferox
Solymis rotabat, verba quàm blandus jacit !
En tibi trahuntur liberi ; amplexu, oſculis
Laſſare ; ſic te decuit agnoſci patrem.
FIL. Pater heu pater mi! SED. Filii heu digni patre
Feliciore ! quid tenellis compedes
Tentare rigidas manibus incaſsùm juvat ?
Heu vana pietas ! FIL. Heu pater! miſer heu pater!
SED. Ite, ite nati, Principis pectus feri
Mollite lacrymis : veſtra ſollicitum ſalus
Habet parentem, nil meas pœnas moror.
FIL. Miſerere Princeps, vinculis patrem exime.
NAB. Procul amoveto, lictor, inviſum genus.
Pereant ſceleſti. SED. Sceleris auctorem tenes
Reum, fatentem : parce turbæ innoxiæ,
Niſi ſi in parentem crimini pietas datur.
NAB. Iam ſunt nocentes, perfidi, ſi ſunt tui :
Tollantur hoſtes. SED. Hoc capit nomen puer ?
NAB. At capiet olim, Solyma cùm generis memor
Recidiva ponet : pertinax amor hic patris
Conſulere natis ante Chaldæos ſuis,
Penituſque belli tollere ſementem admonet.
SED. Ceſſat leonis, hoſte proſtrato, furor ;
Lacerat cadaver ſi qua de vulgo fera eſt.
NAB. Proſtratus hoſtis ſæpè vires integrat.
SED. Non ſic jacemus Iſacidæ, ut cuiquam timor
Poſſimus eſſe. NAB. Surgere, qui vivit, poteſt.
SED. Victorem in omne lenitas vulgus decet ;
Quid Regē in ipsū? NAB. Nēpe qui Rex non foret,
Niſi hoc dediſſem. SED. Regibus fueram ſatus ;
Hoc non dediſti. NAB. Fateor ; hoc habeas tuum,
Quòd perfidorum perfidus Regum es nepos :
Cavere noſtrum eſt nequa damnatum genus
Soboles propaget, ſemper ut minoribus
Perfidia placeat major, & inauſa audeat.
SED. Quos jam rebelles (velle fac) rurſus queant
Tentare populos ? Quantulum Iſacidum fames
Peſtiſque reliquum fecerant, flammæ & furor
Inimicus hauſit : nulla tam grandis ſenem
Ætas redemit ; feminam nullus pudor,
Niſi forma placuit : vix ſatis leti capax,
Per vulnus infans matris occubuit ſuæ,

Naſcendo

Nascendo moriens. Sed quod indignum hactenus
Possit videri, pugna nocturnis tegit
Commissa tenebris; fecit hoc tincti semel
Ferri libido, fecit incensus dolor.
Non facilè frænos ira, non Mavors capit.
Quodcumque tandem est, militum fuerit scelus;
Adhuc cruentum nulla te absentem potest
Feciſſe cædes. Nunc ubi armorum impius
Resedit ardor, tollere puellos potes,
Miles quibus pepercit, & miles furens?
NAB. Hoc est quod altâ luce victorem pudet,
Quòd adhuc inulto nulla vindicta obtigit.
Atrox, cruentum si quid admissum hactenus,
Id noster animo miles indulsit suo;
Mihi nil litatum est: nunc meum tempus vocat
Furere furorem. Lictor, hæc monstra abdito
Specu reconde, pauca dum mecum exigo,
Pœnamque Hebrææ quæro perfidiæ parem.
Impunè ut abeant, nec mihi meritas luant
Pœnas Apellæ? nulla tam indecorem dies
Arguerit umquam, tamque non memorem mei.
Benè est: petebat liberis parci suis:
Pater hic tenetur; quâ dolet, ferrum exigam.
Parentis oculos morte funestet suâ
Invisa soboles. Numerus angustus meo
Tres sunt furori, fateor: at quotquot potest
Mortes timere, videat; & geminis statim
Luminibus orbus imprimat visum nefas,
Animoque deinceps semper infelix suos
Luctus revolvat. Hic placet pœnæ modus.
Sibi superstes funus extendat suum,
Careatque luce vivus; & quidquid potest
Auferre cuiquam Parca fatalem colo
Fusum recidens, vita viventi auferat
Misera, per omnes tracta pœnarum modos.
I ferrum & ignes, lictor, i mortes para.
Me regiæ intus jam dapes dudum vocant.

CHORVS TERTIVS.

FILII PROPHETARVM.

CRederet quisquam? Superis honores
Invidet vecors hominum libido:
Suppares Divis pudet ire Reges.
Altera exsurgit Babylone moles,
Iamque vicinis minitatur astris,
Et novi cælum quatient Gigantes.

Ille vaſtator Solymæ, cruore
Ebrius noſtro Nabuchodonoſor
Paſcitur thuris nebulâ, Deoſque
Pinguis omenti procul à vapore
Æmulus arcet.
Parce terrarum Superûmque rector,
Parce, ſi culpam ſatis hanc luerunt,
Parce, ſi nondum ſatis eluerunt,
Aliger primi ſceleris repertor,
Dum tuis certat titulis ſuperbus;
Quique, quos umquam genuit nepotes,
Antè damnavit malè cautus Adam.
Ilicet diæ nitor ille lucis,
Candicans cælo rutilus novello,
Sede ab excelsâ ruit, ultimiſque
Squallet inferni tenebris barathri.
Iſte fatalem violare morſu
Auſus autumnum, vetitoſque doctæ
Arboris fœtus, miſer eſſe primus,
Pluſque quàm vellet, didicit malorum.
Noxa non uni ſtetit una magno;
Poſteris dentes hodieque ab illo
Dentiunt morſu, metuuntque tangi.
Creduli quondam vitio mariti
Feminæ ad fraudes patuiſſe narrant
Pyxidem ærumnis gravidam, maliſque:
Inde morborum incubuiſſe terris
Agmen, & totum tenuiſſe mundum.
Hæc fide vates memorent Pelaſgâ
Et coli ad lumen celebrent aniles.
Eva Pandoram facit innocentem.
Et capi blandæ facilis maritæ
Vxorius Adam.
Tempore ex illo miſeranda proles
Naſcimur matrum propè parricidæ;
Voce teſtati gemituque primo
Omen infauſtum genitalis horæ.
Terror Alcides Nemeæ ferarum
Si fuit quiſquam; fuit ille quantus
Quilibet noſtrûm: modò natus infans
Quæſiit lucem, & gemuit repertâ
Luce miſellus.
Scilicet cunas puer inter arctas
Guttur eliſit tumidum colubris;
Maximum credo facinus patravit,
Et ſuo dignum Iove, noctibuſque
Nequiter junctis, benè cùm papillas
Vberum preſſis tenuit labellis.

Nec

Nec ſuperborum potiora noſtris
Iura natales habuere Regum :
Sint licèt feſti populo, fuere
Flebiles nato, miſeræque matri.
Qui modò auratâ radias coronâ
Squallidus gemmis, populiſque circum
Sceptra moliris metuenda centum :
Qui pedum irato quoties ſub ictu
Succutis terras, tremulumque mundum,
Ferreos armas ſonitu maniplos :
Qui datos cælo temerare rerum
Terminos audax, ſubicis carinis
Montium ſaltus, equitique tutum
Per freta inſternis tabulata pontem :
Pone quos circumdedit apparatus
Sortis alternans favor inquietæ,
Et tuis pollens opibus ſuperbi ;
Qualis à partu tenerùm rubebas,
Faſciâ qualis puer obvolutus
Cura pendebas gerulæque pondus,
Qualis ignotas vagus inter umbras
Sutilis cymbæ referes Magiſtro
Ordine naulum.
Tutiùs Princeps animi modeſtus
Subdit æterno ſua ſceptra ſceptro,
Numinis caſtas veneratus aras.
Hinc caput rerum pius auſpicatur,
Gratus huc lætos iterùm refundit
Exitus : ſeu cùm domito triumphans
Hoſte, feſtivas vehitur per urbes ;
Seu togâ clarus ſtudiis beatæ
Pacis indulget, fruiturque parto
Civium tutus animis ſuorum,
Impotens regno, ſuperûmque temtor,
Quem juvat toti populo timeri,
Horreat cunctis metuendus omnes.
Excubent quamvis vigilum catervæ,
Hæreant denſo lateri cohortes ;
Nulla ſecuros vehet hora ſoles,
Nulla tranquillos feret hora ſomnos.
Qui tot incedit comitatus armis,
Vix fide incedit comitatus unâ.
Sæpè qui regum genua advolutus
Dexterâ prenſat, diadema fulvum
Reſpicit limis ; inhiatque ſceptro,
Qui manum blandis terit uſque labris.
Immemor ſortis nimis ille noſtræ eſt,
Qui tot incertis homines rotari

Casibus cernit, renuitque demens
Cedere cælo.
At cujus ictu proximæ stridunt fores?
Quis ille vultum mœstus & fletu gravis,
Atro verendum cinere consperſus caput,
Nimiumque noſtri ſimilis? impexum manu
Mentum revellit; ſqualidam ſpargit comam;
Diverſa jactat brachia, adductis ſonat
Pectus lacertis, veſtium abrumpit ſinus,
Hoc more noſtro: pectus appreſſum pilis
Intus cruentis horret. Hebræus palàm eſt,
Quicumque miſer eſt. Tantulum huc ſecedite,
Propiuſque mœſti verba captemus ſenis.

ACTVS QVARTVS.

Cædes filiorum Sedeciæ, & Sedeciæ ipſius excæcatio.

IEREMIAS. CHORVS.

IER. SVpreme rector cuncta qui nutu moves,
Erítne tandem gravibus ærumnis modus?
Erítne per te? Solyma Davidis labor,
Totque inde Regum, pulvis & tumulus jacent;
Nos præda trahimur, biſque diſperſis nova
Exilia mandas: ſpatia ſed terræ negant.
Non unus hoſtis ſpolia de nobis tulit,
Non una Medus; trita Babylonem via eſt,
Et trita Memphim: ſola Iudæis negat
Iudæa ſedes, cetera exſulibus patent,
Nullumque Hebræo vilius vênit caput.
Meruimus iſta fateor, & ſi quid poteſt
His eſſe gravius; fecimus cælum nocens
Diri nepotes; melior at Patrum tibi
Memoria ſubeat. Abrahæ imperiis fides
Probata duris, caſtus Iſaci timor,
Et tot Iacobi pectus invictum malis.
Pietate avitâ patere natorum ſcelus
Obliterari. Stirpe ſi exſcindi ultimâ
Placet Iſraëlem, quis tuis meritos dabit
Aris honores? quis tuas laudes canet?
Ammoniúſne perfidus? noſtris ferox
Medus ruinis? fuerit incaſsùm via
Medium per æquor, aggeris ſtructi modo,
Vbi mare geminâ fronte marmoreum ſterit?
CHO. Quî ſic repentè fixus obtutu ſilet
Senex in uno? totus horreſcit comis,

Animam.

Animamque pectus vix anhelantem capit.
Haud dubia vatis signa jam pleni DEO.
IER. Quid me furore concitas iterùm sacro,
Æterne genitor, mentis alienum meæ,
Tuæ capacem? Quæ, quibus vates canam?
Quæ fata restant? aliquid extremas potest
Vltra esse flammas, nec satis Solymæ jacent?
Vtinam occidissent totæ, & hoc saltem darent
Fata in supremis unicum ærumnis bonum,
Nihil timere. Sola metuendum mihi
Facitis tyrannum parva natorum cohors
Capti parentis. Prô ferax scelerum dies!
O magne Rector quid novi monstri objicis!
CHO. Averte in hostes omen infaustum, ô DEVS.
IER. Nihil ominamur, providi ut vates solent,
Olim futurum: video & interfum malis.
Geruntur intus; tota res luce & palam est.
En ille Superûm temtor, & bello insolens
Nabuchodonosor, Regis exuvias mei,
Davidque ab alto purpuram ostentat toro.
Frontem tiaras noster, & sacræ comam
Cinxere vittæ: geminus hinc illinc Ducum
Discubuit ordo: spolia Solymorum micant,
Et hîc & illic. ipsa quæ pictis premunt
Aulæa lectis, nostra distinxit manus;
Et quæ superbis fixa regalis domus
Parietibus hærent, monstra calcati maris,
Mersosque currus, bella, Mystarum tubas
Muris timendas, mille prostratos Duces,
Et facinus omne gentis Hebrææ canunt.
Merum sacrato, prô nefas! auro rubet;
Vile in profano est: miles hoc quivis bibit.
En ecce Ductor memorat armorum vices,
Et castra parvo tota metatur mero,
Victasque Solymas: Hîc Sion nuper stetit,
Tulitque cælo proximum è terris caput.
Religio gentis unica hîc templum fuit.
Sæpè hac rebelles, prima dum valli darem
Præsidia circùm, cominus pugnam parant,
Audentque signis ferere collatis manum.
Illic sepultræ Rex per ambages viæ
Iam luce dubiâ profugus è terrâ exstitit.
Sic bella pingit; calice mox toto impiger
Falsisque Solymis proluit madidum caput.
Io, triumphos, ceteri assensu fremunt,
Geminantque plausus. CHO. Lacrymas socii date
Gemitusque contrà, plangite infaustum diem,
Et tota nostris Reblatha lamentis sonent.

IER.

IER. At at nefandæ ferculum cœnæ dabit
Dignum ſatelles. Agite, ſic menſis quadrent
Primis ſecundæ ; ſanguinem hæ ſitiunt dapes.
Vinctus Sedecias trahitur ; & totus quidem,
Miſeri parentis liberi ſtipant latus
Denſantque pavidi. CHO. Magne regnator poli,
Miſerere tandem, vultu & afflictum aſpice
Iudam ſereno ; parce, per ſi quid tibi
Vmquam parentum dulce noſtrorum fuit.
IER. Vix miſera greſſum cominus pompa intulit,
Veruſque Hebræus ante ſimulatum ſtetit ;
Aſſiluit iſte, qualis è Gangetico
Iejuna luſtro tygris ad prædam volat.
Ardent minaces ore truculento genæ,
Exundat irâ pectus, & largo inſuper
Baccho tumeſcens, igne non uno furit.
Nec multa fatus, voce violentâ intonat
Ferrum ſatelles : moxque devotos neci
Lumine pererrans, cæde quem primâ immolet
Patris dolori dubitat, & peragi nefas
Iuvat ordinatè. Macte, conſilium capis
Dignum tyranno. ſubiit extremos patri
Servare luctus, ipſa quos ætas minor
Et blanda pietas altiùs cordi imprimant.
Sedet ille trunco fixus, hoc ritu ſuas
Spectare mortes placuit, & toto frui
Luctu quietum ; dirimit hinc illinc breve
Spatium miſellos. impares numerus facit ;
At pro duobus dexter aſſiſtit patri
Ætate fratres Ioſias vincens duos.
Lictor puellum quiſque correptum tenens,
Ferro & paratâ pendet in vulnus manu,
Spectatque nutum. Lancinant totidem neces
Iam cor paternum, totque vix unus capit
Animus timores, Ioſias totum hinc rapit,
Rurſum minores inde ſollicitant duo :
Dividere patrem vellet affuſum tribus.
Violenta ceu cùm maria diſcordes agunt
Feruntque Zephyri, cedit atque inſtat ſibi
Inſtabilis unda ; nauta cui faciat pedem
Incertus auræ, vela in ancipiti tenet.
Iterùm efferati regis indomitum prece
Lenire pectus genitor infelix parat,
Poſitoque natos poplite advolvi jubet.
At ecce Ioſiam ſupplicem fruſtrà ſemel
Pudet fuiſſe ; decora majorum puer
Pictoſque vultus cernit, & faciunt ſuo
Animos nepoti. Liber ad manes tibi

Genitor

Genitor præibo ; ſed decus ſpreti feram
Mecum tyranni. Dixit, & jugulo necem
Hauſit ſui ſecurus, eductum cruor
Ferrum ſecutus vulnere ingenti fluit,
Donec receptâ morte procubuit ſolo,
Humique feſſo lumine requirens patrem,
Vidit tyrannum : vidit, & moriens quoque
Vultus retorſit. Triſtius letum hæc facit
Pietas parenti : niritur fruſtrà ſuis
Pugnax catenis, pectus inſano gemit
Ferri ſub ictu, vincula quod unum ſinunt.
Hinc trepidus infans, territus fratris nece,
Lictoris ipsâ veſte contexit caput :
Marmaricus ut cùm perculit totas leo
Cum nemore caulas, audiit fremitum pecus,
Minorque tauro turba congeminat latus :
Carnificis illinc alter obſervat manum
Strictumque ferrum, conſcius fratrem ſibi
Vnum anteire. Spectat, & longo impius
Rex ſcelere gaudet ; néve diſjunctus parum
Primi ſecundus obruat ſenſum dolor,
Diſpenſat iras lentus, & ſpatio necem
Doctus tyrannus quamque diſtinguit ſuo.
Ergo ut paternos tantulum primus furor
Remiſit artus, fecit & luctus novi
Animum capacem ; proximum cædi imperat,
Adiciique fratri. Barbarum quamvis ſonum
Senſit puellus, ſeque ab incauti manu
Rapuit miniſtri, turba currenti favet :
At ille parvo facilè trepidantem gradu
Secutus, enſem penitus in tergo abdidit.
Gemino puellus flumine aſpergit ſolum,
Et utrimque moriens pronus in patrem cadit
CHO. Prô facinus atrox, dirũ, & aſpectu horridũ !
IER. Tepido paternos ſanguine implentem ſinus
Exanimis ipſe genitor amplexu ultimo,
Vinciſque circùm corpori affuſis premit.
CHO. Miſerande genitor! IER. Stricta quod nequiit manus,
Frigentis oculos oſculis claudit ſuis,
Et ore preſſo ſpiritum abeuntem legit.
Odêre tandem triſte convivæ nefas,
Quin ipſe Solymæ clariùs victor gemit,
Palamque diro parvulos prædam dolet
Monſtro ſtitiſſe : vellet incolumes fugam
Tenuiſſe, vellet morte defunctum levi
Toto parentem conditum regno tegi.
Solus furori barbarus conſtans ſuo
Terret gementes, hoſtis eſt, cui hoſtium

Ægrè

Ægrè eſt recidi penitùs inviſam indolem.
Ignave lictor tertium hoc monſtrum neca.
Ictum parabat ille, cùm parvas manus
Oculoſque contrà trepidus obtendit puer:
Vicitque pietas, & novo monſtro ſtupet
Mucrone ſtricto lictor ad cædem piger:
Nec blandus infans, nec ferum pectus movet
Lictor patronus: precibus accreſcit furor.
Vt cùm medullas hauſit, & corpus ſacer
Depaſtus ardor oſſibus vacuis furit;
Iam medici, & omnis aſperat tactus malum;
Intus revulſis torridum fibris jecur
Quas biberit undas, urit, & gelido ampliùs
A latice vires Stygius accendit vapor.
Sic dira rabies, impia, intractabilis
Regis cruenti ſævit, & pectus ferum
Ardet magis magiſque furiarum impotens.
At tibi necandos lictor imbellis tuos,
Si renuis iſtum, liberos, inquit, dabo.
Vix dum coactâ carnifex totam manu
Mortem tenello pectori infigit ſatis,
Facinuſque & ipſum cùm facit, damnat nefas.
Aſt ubi cruento tres videt ſparſos ſolo
Cruentus ipſe, nec novas mortes timet
Iam genitor orbus; pectus oppreſſum diu,
Furiaſque, & omnes laxat irarum impetus
Dudum paratos: vincla nequidquam excutit
Arctatque motu, ringitur, frendet, fremit,
Opprobria diris miſcet, & quidquid ferum
Inſanus animo ſuggerit promptum dolor.
Hoſtes laceſſit, fata, nec cælo impius
Superíſve parcit: mille nunc ignes vocat
In ſe aut tyrannum; nunc remolito chaos
Hiare mundo, ſeque & infandum caput
Vlteriùs Erebo, Tartari ad finem ultimum
Vivos videntes ruere. nec dubitet prior
Trahere ſequentem. Riſit indignans minas
Amarus hoſtis, luminum & geminas faces
Capite revelli voce violentâ imperat.
Vltrò miniſtros noſter irritat probris:
Adeſte barbari; adeſte (ſi convitio
Emenda mors eſt) belluæ, atque his addite
Funeribus unum. facitis? & puerûm neces
Audetis ultra? adeſte. & inviſum diem
Eruite; parte moriar hac ſaltem mei,
Quæ tot ſuorum funere implevit patrem.
Vnum oculi, & illud eſſe poſtremum volo,
Torvi tyrannum aſpicite, & obliquos mali

Hirquos

Hirquos rotate; barbari vultus notas
Odiumque menti figite æternum meæ.
Nec plura fatus, præbuit firmum caput
Ad utrumque vulnus; lictor hinc illinc premens
Vnguem ſub ipſos orbium infodit ſpecus,
Oculoſque ab imâ funditus ſede extudit
Tum quoque feroces. Perſtat indomitus furor:
Vacuique vultus igne truculento micant.
Vinclis ſolutus, vellit hærentes genis
Fibras, & altâ luce veſtigans diem
Gaudet tenebris: ſanguine implevit manum
Taboque latè regias ſpargens dapes,
Ipſum & tyrannum. Quòd tibi, ſi qua id tamen
Iuſtitia cælo curat, his dignum DEVS
Factis reponat; cæcus hanc unam velim
Aſpicere lucem. CHO. Siluit, & ſenſim ſibi
Vates relictus excutit membris DEVM.
O dura nimiùm fata! cui monſtro, ô Pater,
Exterminandos placuit Iſacidas dari!
IER. Miſella turba, quid tuas clades gravas?
Anteire lacrymis funera, atque uno malo
Bis eſſe miſerum, me jubet ſolum DEVS.
Quid ante tempus fata luctumque occupas?
Non ſunt tamen futura, quæ coràm geri
Loquebar abſens; facta nunc, facta ultio eſt:
Ite, ite celeres, quotquot infauſtæ Sion
Natæ ſuperſunt, facite mox totâ excitæ
Ab urbe coëant, regii ut ſtirpem tori
Donent ſepulchro: quà jacent, ſparſos legant
Parentis oculos; marmore ut clauſum pari,
Quod licuit unum, filii hoc habeant patria.
Abiere: quæ nunc prima, quæ demum miſer
Poſtrema plangam! fumat, & lapſæ vetus
Querela Solymæ eſt! polluit templi intimos
Hoſtis receſſus; ordo Pontificum facer,
Rex ipſe, regum prole cum totâ perît;
Captiva turba eſt. Regis elati minis
Par fit poteſtas, cardines mundi ultimos
Bello fatiget, nec ſuo perſtet loco
Immune cælum. Magne regnator Deûm
Tam lentus audis ſcelera! tam lentus vides
Reges ſuperbos! ceteri an quidvis patrant
Impunè, nullo numinis læſi metu;
Soliique Iudæ dextera triſulcum gerit
Vibratque telum? Comprime, ah! vocem dolor,
Et ore dignos impio queſtus doma.
Antè antè placidi mille violatum eſt probris
Nomen parentis, fœderi illuſum ſacro,

Truncis

Truncis litatum, juris infractus vigor,
Fas omne pulsum. Iustus Israël DEVS;
Cùm plectit, & cùm parcit, ex æquo bonus.
Majore scelera nostra taxavit modo;
At scelera nullum nostra servarant modum;
Nec te, superbo capite quæ terres Deos,
Insana Babylon, mitius fatum manet.
Divina si quid cælitus veri canunt
Responsa vatum, si quid ad modulos lyræ
Auctor futuri certus, atque idem inclytus
Iessæus armis: muta pendebunt tuis
Nablia salictis, quando victoris soli
Fluenta propter pascet Assyrium gregem
Captivus hospes; forsàn & nuper suum
Pecus ipse ducet. Patrium frustrà melos
Cantare jussus, quale, dum Sion stetit,
Solymis sonabat, occinet festâ tibi
Pro voce gemitum: Siccine, heu! sacra extero
Prodamus hosti? deerat hoc unum malis
Cantare miseros. antè dediscat suas
Mea dextra chordas, antè lingua torrido
Hærens palato vocis officium neget:
Obliviosâ quàm mihi mente excidant
Solymæ penates, inclytum & templi decus:
Quàm mihi madentes ulla lux tergat genas,
Nisi quæ Sionis mœnia & templi obrutas
Restituet aras. Tu tamen cælo arbiter
Qui cuncta cernis, reddere protervæ vicem
Memento Idumæ, voce quæ nuper meos
Stimulabat hostes: Vertite ex imo omnia;
Eruite vel quod terra defossum tegit.
Nec tibi, meretrix magna, quæ fastus meos
Fastu premis majore, vindex desuper
Dormit severus. Aderit, ô! adsit dies,
Victorque felix, paria qui nostris tibi
Remetiatur præmia, & pueros sinu
Raptos parentum frangat ad saxum impius,
Matremque nato spargat exanimem suo.

CHORVS QVARTVS.

FILIÆ SION.

SI pectus gemitu, brachia planctibus,
Si rivis oculi sufficient novis;
Extremam sociæ dicite næniam,
Dum funus patriæ condimus ultimum.
Huc mœstæ facies squalor, & orbitas,
Funesti huc gemitus, huc iterùm dolor
Postremumque veni. Non solitis placet

Cor figi ſtimulis ; ſubde animo faces,
Quas nec continuis pupula fletibus,
Nec lapſu minuat temporis orbita.
En nudata tibi pectora ſolvimus,
Et crimen patriæ pulvere ſordidum.
En quæ multiplici funere lividas
Sulcavere manus vulnera per genas,
Irritata novo ſanguine perpluunt.
Ploratus oculi quod datis, eſt leve.
Nil flendum ſolitis perpetimur modis :
Salſas vulneribus vergite lacrymas,
Et mixtim geminum per laceros mihi
Vultus flumen eat. Siſtite lugubrem
Hîc pompam, comites, caraque pignora.
Molliri tepidis vulnera fletibus,
Componique decet parvula, dum calent,
Doctâ membra manu : findone cùm deeſt
Quâ regum tumulo corpora contegas,
Infelix pietas ; pondus inutile
Peplum, barbarico ſtamine ditatum,
Et fluxam cidari detrahe carbaſum.
Cui tanto miſeræ comimur ambitu ?
Nimis, heu ! clari generis ſoboles,
Heu certa nimis ! accipe Princeps
Quæ prima tibi lamenta damus,
Quæ prima ferunt verbera planctus.
Accipe Ioſia, qui ætate duos
Anteis fratres, qui morte duos :
Te ſupremâ voce ciemus
Solymis ſerò nate tuendis.
Citò formoſæ nate parenti.
Miſera heu mater ! nimis in luctus
Fecunda tuos, quæ te regio,
Quis victor habet ? Miſera heu mater !
Seu tua nondum funera ſentis,
Seu nota gemis : quis ſollicitæ
Animum poſſit fallere matris ?
Captiva parens, orba, infelix,
Vidua vivi conjugis uxor,
Quos hîc gemitus, quæ verba dares,
Si tantus habet ſua verba dolor ?
Vos, ô comitum turba dolentûm,
Ite ad planctus, explete vices
Dum mater abeſt ; ite, ſed illis
Quibus ipſa parens viribus ite.
Innuba quantum potis es virgo,
Animo totam concipe matrem.
Innuba quantum ſatis es virgo,
Paribus matrem redde querelis.

Occidis eheu ! occidis eheu !
Tantum ad luctus oſtenſe tuis
Puer infelix : quem ſpectabant
Sceptra ſecundum, mors ſpectabat
Impia primum. Tibi Davidis
Fortia populi geſta vovebant,
Salomonis opes, Ioſiæ caſtos
Superûm cultus, dignos ſolio,
Dignos proavi nomine mores.
Superi vanas riſere preces,
Zephyriſque leves vota tulerunt.
Occidis eheu ! occidis eheu
Puer infelix ! tecumque omnes
Spes ſub gelido marmore claudis.
Ades ô noſtri gaudia nuper
Splendorque chori, virgo puelle :
Huc caſtus ades, nec turpe ſinus
Tibi virgineos tetigiſſe puta.
Ades, & lacrymis implere meis,
Dum vulnus hians, ſaniemque premo.
Heu vulnus atrox ! quò vita tibi,
Quò noſtra omnis gloria fluxit.
Altum heu vulnus, nimiumque patens !
Oblitus eras in quem fureres
Dire ſatelles, pueri quando
Impete tanto ruis in jugulum.
Formoſe puer, patere intonſus
Per colla fluens lactea crinis,
Non doctus acu, ſed lege ſuâ
Notos ſeſe criſpet in orbes.
Ora parentum confuſa notis,
Lumina blandæ matris amores,
Lumina celſæ frontis honorem,
Claude æternis claude tenebris.
Niveum roſeis junge labellis
Propiùs dentem, ſtrictiùs æquo
Ora tetendit ultimus ardor.
Tende ſub imum brachia pectus.
Sceptroque habiles belloque manus
Ad funebrem flecte decuſſim.
Sic compoſitum quodcumque tui eſt
Ioſia ignoto redde ſepulchro ;
Patrium Aſſyrius diripit hoſtis.
Sed ſic compoſitum condite Ioſiæ
Quod mortale fuit : non violabilis
Pars noſtri melior, vulneraque & necem
Triſteſque inferias ſpiritus effugit.
Nequidquam ſolito carmine præficæ
Affantur poſitum corpus, & impio

Decer-

Decertant animum jungere funeri:
Manes innocuos inter, & Abrahæ
Exceptus patrio eſt parvulus in ſinu,
Securuſque feri Nabuchodonoſor
Ævum lætus agit.
Nec turpi Ioſias occubuit nece;
Quem non Rex animi terruit impotens,
Elati tumidus nube ſupercilî,
Non pendente minax vulnere carnifex.
Aliò luctus vertite veſtros,
Aliò planctus; ſua juſta tulit
Lacrymaſque puer de tribus unus.
Qualis cupido ſectus ab ungui
Flos veris honor (quem virgineæ
Carpſere manus, dum quæque ſibi
Sertum arguto pollice nectunt)
Cui ſua nondum forma receſſit,
Cui ſua ſenſim forma recedit;
Nec enim tellus jam mater alit:
Talis veſtros pueri vultus
Nunc candor habet, cedenſque genis
Decor extremus quiddam ſolito
Plus more micat; ceu ſupremo
Natura parens munere funus
Dignata, novos afflet honores.
Scilicet iſtæ timor armato
Meruere manus eſſe tyranno,
Vix benè balbâ voce parentum
Pappare infans nomina doctus,
Scilicet olim bella moveret,
Patriæ quærens ubi fortè locus;
Sortiſque memor quam noſſe nequit.
Si tamen æquum tollere cenſes
Quidquid poſſit metui quondam;
Et idem juſtum tutumque putas;
Evilmerodach, reliquamque tuæ
Spem tolle domus: hac lege licet,
Metui poſſunt. nempe Aſſyrius
Rex Sennacherib (dignus ab illo es
Tertius heres) jugulum natis
Dedit incautus; quaſque colebat
Cernuus aras, victima major
Sanguine ſparſit,
Parcite longis turba querelis:
Fugit ardenti levis hora rotâ,
Nec niſi furtim licet eſſe piis.
Conferte ſuos Ioſiæ fratres,
Donaque tumulo mittite raptim,
Qualia deceat mittere captas;

Non quæ Solymis ſtantibus olim
Traheret pompæ regius ordo.
Parvi ô manes, puri ô manes,
Vmbræque nihil lucis egentes,
Læti ad plures ite Iſacidas ;
Ite, & proavos viſite Reges.
Nihil ad funus conferre pius
Genitor potuit carius iſtis :
Oculi noſtræ ſidera gentis,
Geminis pulſi ſedibus orbes,
Quorum ad nutus Proceres nuper
Populique omnis turba tremebat.
Vltima noſtri fercula adeſte,
Non parva tamen fercula luctus.
Cardine verſo crepuere fores :
Adeſt tyrannus, & quidem irato gradu ;
Adhuc tumeſcit : ite diverſæ, aviæ,
Et cara celeres pignora in tuto abdite.
En barbarorum tota carnificum manus,
Comitatus illo dignus, è foribus ruit.

ACTVS QVINTVS.

Sedecias oculis effoßis foras producitur, & Babylonem amandatur.

NABVCHODONOSOR. SEDECIAS.

NAB. BEne eſt: abūdè eſt. Solyma nūc tādē jacēt,
Sic perfidorum decuit Iſacidum ultimas
Spes quoque recidi, regiam ex imo domū
Subruere : flecti quod nequit, frangi poteſt.
Nunc anime regnas ; nunc tibi nemo hoſtium
Abiit inultus. Pudeat irarum Deos.
Noſtris deinceps Græcia, excluſo Iove,
Adolebit aris ; dicet Alciden ſuum ;
Canâ nitentes populo impediet comas,
Regumque dextrâ ſtipitem ultorem geram.
Vnam tamen deeſſe vindictæ queror
Laudem beatæ : fuerat hæc populo palàm
Manus probanda, non domi occluſo malè
Perdenda virtus. Lictor huc vivum trahe
Regis cadaver, ſanguine natorum & ſuo
Vulnere cruentum ; Reblathis ſpectaculum,
Rebellibuſque nobile exemplum dabit.
Audire miſeri cominus queſtus placet.
Vos facite Regem nemo vicinum indicet ;
Cæciſque totæ greſſibus pateant viæ.
SED. Quis ceſpitanti cogit incertum gradu
Properare ductor ? trahito quò lubitum eſt, ſequor,

Vel

Vel ad tyrannum. Quiſquis es tamen, precor,
Ne filiorum membra proculcem parens,
Carúſve ſanguis lubricum fallat pedem.
Violare furor eſt, ipſa quod tuto in loco
Natura poſuit. fallor? an tetri ſpecus
Iter eſt ad umbras, carceriſque antrum mei?
Illuc eamus: cæcitas capiti impio
Parum alta nox eſt. Quid malè hîc ſuperas domos
Funus, lueſque oberro? quid manes meos
Et inſepultas vivus exequias traho,
Mihimet parentans? reddite ſepulchro ſuum,
Aut rupis altæ condite abſtruſum ſpecu.
Non ille primis ſolibus pateat locus,
Non ille ſeris. quid mihi impendat diem
Perdatque Phœbus? Noctè non unâ obrutus
Liberior illic queſtubus vitam exigam,
Et juſta genitor liberis ſolvam tribus
Forſan inhumatis. lacrymas oculi negent;
Melius inanes ſanguinem volvent genæ.
Numquam coire patiar hac venas manu,
Scrutabor ungui vulnera, & ſaniem extraham;
Non alius imber hos magis luctus decet.
Heu me! per ipſas urbis ingredimur vias,
Sentio, videmur: verba, quod poſſum, audio;
Tandemque noſtris aliquis ingemuit malis.
Seu Medus ille eſt victor, & duro quoque
Vel ab hoſte pietas exprimit luctus ſuos;
Sive eſt Hebræus, voce qui timidâ ingemit,
Spectatque trunci triſte ſimulacrum Ducis;
Sive hunc & illum miſeret, utrumque alloquor.
Mihi dare gemitus parcite, haud pro me queror.
Dies ademptus, & patri ingeſta orbitas,
Sed tum videnti: vincla, carcer, ſervitus,
Vindicta levis eſt; ferre quod merui, fero.
Nil ille lacero moveat è vultu cruor:
Meus eſt: nocens eſt: alius hanc veſtem imbuit,
Patriumque nati ſanguis infecit ſinum:
Innocuus aliquid iſte virgineum rubet,
Lacrymiſque dignum: cæcus hoc etiam ſcio.
Captiva turba, Filiæ heu! quondam Sion,
Lamenta, lacerum crinibus vulſis caput,
Veſtroſque planctus filii inſontes petunt,
Non pater iniquus. Perferam hanc molem mali,
Clariſque nimiùm rebus evolvam miſer
Perplexa nuper fata: præſtabo fidem
Vtrique vatum, ponè victrices rotas
Cùm pars triumphi magna Babylonem invehar.
Sed non videbo; luce ab amiſsâ hoc erit

Solamen unum. NAB. Macte divinum caput,
Oracla funde. SED. Ludimur? an aures mihi
Violavit illinc hostis infandi sonus?
Non ludor; hîc est bellua: irarum novos
Suffigit animo redditus stimulos dolor.
Fit omne rursus, & recrudescit nefas.
Regum tyranne, sæculi exitium, lues,
Conviva miles; fortis ad puerûm necem,
Sed patre revincto; sceptra quid fœdas manu?
Non tibi vetustum nobili à stirpe est genus,
Tellure natus regium incestas decus.
Solymam tui vicere, post pugnas tuum est,
Puerûm cruore ludere, & stratâ super
Bellare mensâ. NAB. Quis mei indicium facit?
Luminibus orbi forsitan Apellæ vident?
SED. Visu carentem cetera ut lateant satis,
Tu non latebis. coge membratim mori
Reliquos per artus, omne quò voces meant
Iter recide: non tamen sensum tui
Abstuleris umquam. Abiste qui noctem hanc regis,
Solus sagaci nare deprendam feram,
Frangamq; morsu. NAB. Quin tibi procacem priùs
Linguam hanc revelli jussero. SED. At vultu satis
Tuam tacens mutúsque barbariem loquar.
NAB. Moriere. SED. Quis me compotem voti facit?
Non est tyrannus; moriar: ô lætum diem!
Te, te vel umbra Tartari erumpens specu,
Te pater inultus prole cum totâ petam:
Stygiamque vibrans propiùs ac propiùs facem,
Sequar usque & usque: nulla nox animum tibi
Faciet quietum, nulla securum dies.
NAB. Vmbras minare, spectra quæ cæci vident,
Dum tibi superbo colla prosubigam pede,
Vivumque vivus ipse post currum traham.
Curate famuli, tota Babylonem ocyùs
Pompa ut sequatur; iste prætentans viam
Baculo senili, currui adjunctus meo,
Diadema victi præferat regis notam.
SED. Ibo, ibo, magne Ductor, & fortem manum,
Clarumque facinus hisce testabor notis.
Adeste populi, quosque sublimis videt
Mundi Bootes cardinem ignavum premens,
Et queis perustum verticem Phœbus rotâ
Propiore crispat. Nullus hæc taceat dies:
Totisque sæclis audiam infelix pater,
Dum tu tyrannus. Adsit, & vindex notet
Quo te minorem gerere detrectas, DEVS,
Suumque servet liberis epulum tuis.

DIO-

DIONYSII PETAVII AVRELIANENSIS E SOCIETATE IESV SISARAS TRAGOEDIA.

ARGVMENTVM TRAGOEDIÆ.

EReptus, Deo vindice, multis jam cladibus Iſrael, præceps iterum ruebat in ſcelera, cùm & pœnas rurſus repoſcere Deo viſum eſt. Res acta eſt per Siſaram Regis Iabin fortiſſimum ducem, qui tantâ vi Hebræorum fines invaſit, ut de iis conclamatum eſſe videretur. Audit interim ſuorum gemitus Debora Prophetis, cùmque vehementiùs commovetur tandē Deo plena Baracum cum ingenti exercitu Siſaræ obviam procedere jubet. Quod cùm ille Deborâ comitante feciſſet, tantum terrorem Chananæis injecit, ut & Siſaras de curru exiliens fugâ ſibi conſulere deberet; qui cùm tandem ad Iahelem profugiſſet, ab eâ amicè acceptus, refectus lacte, ejuſque pallio opertus eſt, ne ab hoſtibus reperiretur: ab eâdem demum divino numine impulsâ, clavo per tempora adacto trucidatus eſt. Ita Iſraeli mulieris manu parta de Chananæis victoria eſt. *Ex lib. Iudicum cap.* 4.

PER-

PERSONÆ.

MICHAEL ARCHANGELVS.
IERIEL CHANANÆVS.
SISARAS.
BARAC.
MADIAN CHANANÆVS.
DEBORA.
IAHEL VXOR HABERIS CINÆI.
NVNCIVS.
CHORVS IVDÆORVM.
CHORVS CHANANÆORVM.

ACTVS PRIMVS.

MICHAEL ARCHANGELVS

Iſraelem, quem ſæpe præſentibus periculis ſolverat, Siſaræ tyrannide ſtatuit liberare.

PRæpes Tonantis famulus, Abramo ſatæ
Cuſtoſque Michaël gentis, huc celsâ Poli
Submiſſus arce venio. Conſuetus labor,
Levare feſſum gravibus ærumnis genus.
Per me ille quondam ductor, æthereo caput
Radiatus igni, pecora dum paſcit, rubo
Candente miſſus, monſtra terrifica extulit:
Pharioſque decies clade geminatâ petens
Potente virgâ ſtravit. Ex illo ſacer
Populus rubente ſoſpes eductus freto,
Siccum per undas medius impreſſit pedem.
Inſolita Nereus horruit veſtigia:
Fruſtraque tumidos ſpumeus volvens globos
In ſe repreſſus hæſit. Hinc per me impius
Aperta celeri maria dum peragrat rotâ,
Pavidoſque ſequitur hoſtis à tergo premens,
Præceps reductis fluctibus merſus perît.
Exin per ampla ſpatia, tractuſque invios
Sollicitus egi, flammeam attollens facem,
Densâque rutilum nube ſubtexens diem:
Stabileque pepigi fœdus, & gemino dedi
Inciſa ſaxo jura, quâ celſis Arabs
Sublime collis nubibus jungit caput.
Micuere cœlo fulgura, & fremitu minax
Intonuit æther: ſtridulo emiſſus fragor
Terribilis ære, colle ſacrato procul
Greſſus profanos arcuit. Luſtra hinc quater
Per gemina profugos, inter arentes plagas,
Non fruge Cereris, non laboratâ dape;
Nec opima tellus ſponte quos fœtus parit;
Sed rore veſco; qualis herboſis riget
Pruina campis, pavi, & exuſtis ſiti
Emicuit icto gelidus è ſaxo latex.
Poſt hæc, tot inter bella, tot cultu horridas
Animiſque gentes; per tot errorum vices
Promiſſa quondam patribus in regna intuli.
Per me retortus amnis in ſeſe vagas
Compreſſit undas: rurſus & vetera horruit

Pro-

Prodigia : medio limes impreſſus vado eſt.
Quid reliqua memorem ? Victa quàm latè patet
Chananæa tellus : fracta, ſuperata omnia.
Hinc qua tepentes proximus ſentit Notos
Indomitus Amalech, regna ad uſque fertili
Oppoſita Syriæ ; quaque tot clade urbium
Infame pelagus fluctibus ſalſis riget,
Allophylæ ad oras gentis ; his ſedem Tribus
Poſuere biſſex finibus ; pulſi incolæ,
Viduata populis oppida ; huc ſparſus tremor,
Quo bella poſthac. Quid ? quod imperio Ducis
Defixus orbe Phœbus in medio ſtetit :
Et laxa cohibens fræna ſuſpenſis diu
Hæſit quadrigis ? quinque dum campo ſequens
Patente Reges victor Iſacides quatit ?
Sed iſta quorſum ? quid juvat bello efferas
Domuiſſe gentes ; ſede promiſsâ frui,
Si ſic futurum eſt ? ſponte ſi patitur jugum
Novoque toties premitur exitio genus
Tanti redemptum ? Si leves metuit Deos :
Et falſa cultu numina inceſto colit ?
Pro cæca nimiùm corda ! pro vecors furor !
Infida ſoboles ! Siccine excidimus tibi ?
Sic pacta temeras jura ? Sic verum abnuis
Cœlo tremendum pariter & terris Deum ?
Qui certa nutu ſidera immoto regit ?
Cui ſervit orbis ? cujus imperio vagos
Fluctus coërcent maria : ſtat nullo obice
Immota Thetys, tumida convolvens freta ?
Huic muta præfers ſigna, quæ fuſo artifex
Conflavit auro, ſilice vel ſcabrâ exprimens
Supplex tetendit, quâ modò effinxit, manum ?
Queis lucis expers oculus, & patulas ſonus
Nequidquam in aures funditur, nullo pedes
Greſſu cientur, rigida nil palpat manus ;
Clamorque nullus faucibus vaſtis meat ?
I nunc, & altâ cœlitum ſede advoca
Agmen profanum. Veniat excitus Baal,
Pavidumque referens turpis Aſtarthe pecus.
Cur vota ceſſant ? Commodùm illuxit dies,
Optata quo ſe Numinis virtus probet.
An nulla inertes vota ſollicitant Deos ?
Satis hoc ſuperque rebus experti aſperis
Quid vana poſſint monſtra ? Cùm premeret Syrus,
Lothique poſt hunc ſtirpe cognatâ ſatus
Moabenus Eglon ? Sed pius præſtò fuit,
Dextraque miſeros vindice eripuit Deus.
Ceneus illum ductor ; hunc ferrum manu

Vtraque ſtringens me duce oppreſſum dedit
Feminæus Aod. Parta mox iterum ſalus.
Sexcena duro vomere Allophylum inclytus
Samgar peremit capita. Tum ne ſic quidem
Edomita plebis corda. Gentiles Deos
Rurſum, & nefanda ſacra furibundi appetunt.
,, Nec inulta ferre ſcelere contempto diu
,, Licuit Tonante. Sævus apprimè ſtatim
Chananæus ultor ſequitur. Arentes comas
Bis adulta decies falce depoſuit Ceres,
Totieſque fusâ Libanus iminaduit nive:
Immanis ex quo victa Chananæi jugum
Iſacia proles patitur, & juſſa impio
Tributa Regi pendit. Aſt ille æreâ
Armata falce plauſtra concutiens, rapit,
Trahitque profugos. His ſuper miſeri gemunt,
Seroque tandem gravibus edocti malis,
Quod reſtat unum, numen iratum prece
Lacrymiſque placant: ille pactorum memor,
Dubiiſque præſtans quàm ſolet rebus fidem;
Mihi bella mandat. Lætus imperium exequor.
Parum eſt Tyranni colla ſervitio trucis
Eripere. Victis majus hoc inſtat decus;
Hoſti ut rependant paria; nec cedant priùs,
Quàm opima rege ſpolia proſtrato ferant.
Dux his ſalutis femina; auctorem ut probet,
Neque hoc peractum viribus credat ſuis
Hebræus. Adero: certa pugnantis regam
Tela, atque inertes fortibus cœptis manus
Armabo properè. Prima diſjectas fuga
Lapidothis acies ſternet: excipiet Ducem,
Somnoque preſſum perimet Haberis Iahel
Generoſa conjux. Agedum in exemplum para
Ingens opus, ſciſſoque nil levius mari.

CHORUS

Queritur Iſraelitas tot adverſis caſibus Deo vindice ereptos à Siſarâ tam graviter premi.

Occidis partis ſpoliata regnis
Iſaci proles, vacuiſque mœrens
Vrbibus, ſævo miſeranda ſubdis
Colla Tyranno.
Occidis per tot, Pharaone merſo,
Monſtra ſervatus populus, Rubentis

Cujus

Cujus ad nutum pelagi repreſſum
Conſtitit æquor.
Vidit impreſſo tremefacta Tethys
Calle, ſiccatas peditem per undas
Currere, hinc atque hinc metuente jungi
Gurgite cinctum.
Inde flammatâ, per inhoſpitales,
Nube, deſerti ſitientis oras
Ductus, infeſtos retudit ſecundis
Viribus hoſtes.
Roſcidus vaſtis alimenta nimbus
Depluit campis; faciliſque captu
Spontè ſe vulgi dapibus miniſtrat
Lapſa coturnix.
Fonte dein largo ſalientis hauſtum
Cominùs lymphæ, laticeſque puros
Præbuit rupes iterum potenti
Cæſa flagello.
Horruit flammâ crepitante montis
Fumidus vertex; tonitruque miſtus
Diſpulit rauco lituus ferocem
Murmure turbam.
Iura cum ſaxo metuendus Ales
Duplici incîdens dedit, & quaternos
Pervigil Soles decies bicornis
Conſtitit Heros.
Quos dapis ſuetæ, laticiſque totos
Immemor, ſacris didicit regendis
Vtiles ritus, propiore gaudens
Numinis hauſtu.
Hoc duce armatas Arabum catervas
Stirpis ingreſſum profugæ morantes
Non minax ferro, jaculiſve Moſes
Fudit; at ſolâ prece; dum reducto
Colle proſpectans acies, in altum
Hinc graves atque hinc ſubeunte palmas
Fratre tetendit.
Quin & inceſto genitore natus
Concidit Moab: neque Vatis illum
Lingua conducti pretioſa letho
Solvit inſtanti; veneriſque diræ
Blanda fraus, juſtis Procerum piata
Cædibus. Perrupta ſub hæc Seonis
Regna: tum pingui Baſanæa glebâ
Fertilis tellus. Iter hac peractum
Strage; fumantique ſolo ruinas
Vrbium, Chami genus, amnis ultra
Audiit ripas, populante ſilvas

Aeriis

Acriùs flammâ ſubeuntis. Eheu!
Quantus horrendæ miſeris procellæ
Immineat turbo! Chananæa quanto
Diffluet tellus hominum cruore!
Arma nequidquam, nitidoque contrà
Ære florentes acuis catervas.
Vaſta nil moles juvat: aut ſub auras
Mœnium eductus labor; & patentes
Ampliùs foſſæ: neque verberatum
Gurgite undanti latus ingruentes
Arceat hoſtes.
Quippe promiſſas ſimul atque ſciſſo
Amne, Iordanis tetigere ripas;
Protinùs celſas Ierichuntis arces
Arietis nullo, volucriſque ſaxi
Turbine impactas lituî canorus
Egit in terram fragor: & per orbem
Ferculo gaudens præeuntis Arcæ
Pompa ſepteno revoluta greſſu.
Hinc Palæſtinas volitans per urbes.
Fama graſſantis trepidos ruinæ
Miſcuit Reges; facileſque vinci
Stirpis Abramo genitæ cruentis
Præbuit armis.
Nec tamen pugnâ, neque militari
Magna pars ceſſit ſuperata ferro.
Quippe delectum genus ante, densâ
Nube crabronum volitavit agmen;
Quod truci ſtridore furens, acutâ
Cuſpide hoſtiles cuneos abegit.
,, Quantulo vires hominum Tonantis
,, Corruunt niſu! Quid adacta totis
Tela bellanti potuêre nervis?
Quid Polo, ac terris, pelagoque in hoſtem
Robur effuſum? Face quas ruinas
Ederet vindex trifidâ, aut hiantis
Pondere terræ?
Quondam & exertis validus lacertis
Perculit diris inimica monſtris
Caſtra. Seu ruptis jaculata grando
Nubibus fœdâ quateret procellâ,
Sive anhelantes medio quadrigas
Siſteret Titan ſpatio, diemque
Longiùs juſto traheret, potenti
Voce ſuſpenſus. Nova regna tantis
Clara portentis adiit propago.
Sed ferox ultrà retinere Princeps
Haud ſinit gentis Babali ſacratæ,

Pro

Prô nefas ! tanti modò non redemptum
Concidit latè genus. Heu ! quid iſtud
Profuit jactaſſe decus, ſupremâ
Clade ruentes ?

ACTVS SECVNDVS.

IERIEL CHANANEVS

Funeſtum belli exitum ominatur, & Siſaræ ſuadere ſtatuit, ut eidem finem imponat.

„ QVò non potentes imperî, ac decoris rapit
„ Flammatus ardor? Quot per ærumnas brevis
„ Vſura ſortis petitur ! Alterius labor
„ Gradus eſt laboris. Triſte & implicitum malum;
„ Graviuſque ſeipſo ſemper. Adverſi vices
„ Omitte fati: quæque in ambiguo ſitas
„ Fortuna opes convellit. Ad votum omnia
„ Ceſſiſſe fac, facileſque pugnanti tibi
„ Favere Superos. Nulla non partis tamen
„ Sunt imperiis, leviora, per facinus, mala.
„ Sed quod paratis, quamlibet culpâ vacent,
„ Vmquam fruendis tempus, aut requies datur ?
„ Secura lux eſt nulla, ſeu belli metus,
„ Seu bella crucient. Aliud ex alio ſubit
„ Majus periclum. Sæva Lernæi lacus
„ Rediiſſe dicas monſtra. Quàm brevior via eſt
„ Aut cupere nihil, aut noſſe cupiendi modum.
Quid ante domitos aliud Iſacidas Iabin,
Quàm ut liber eſſet, petiit ? Hoc votis datum eſt.
Tributa deſiit ferre; dominantem excutit
Chananæus. Hinc ſpes major: ipſum liberi
Aggredimur hoſtem: Vincimus; turpem vicem
Referimus. Auxit gente bis ſenâ ſuos
Siſaras triumphos. Sed neque hoc Regi ſat eſt.
Inferre geſtit arma: vicinas quatit
Violentus urbes. Summa tum voti Moab,
Ammonque viſus, Moabum, & Ammonem adjicit.
Neque hoc quidem contentus; ecce aliud parat;
Nova regna ferro quærit. Accedit ferax
Votis Idume. Pòſt Philiſthæum oppidis
Malè quinque tectum invadit. Hâc ſaltem tenus

Inviſa

Inviſa ſiſtant bella. Sed gravior redit
Iudæus iterum ; quæque perpeſſus diu eſt,
Imperia ſubitò renuit. Ah ! metuo miſer
Quò fata vergant ; dubia quò ſeſe explicet
Fortuna. Nec quod opibus, aut numero minor
In nos rebellat, hoc minus ſecùm trahit
,, Sors hæc timoris. Martis anceps alea eſt.
,, Nec ſemper iiſdem infeſtus, aut iiſdem favens,
,, Alterna reddit damna. Vicêre anteà :
Poſthac ſubacti. Bella nunc reparant ſtatu
Claudenda forſan priſtino : aut quidnam rear
Quod tam ſecundis rebus audacem Iſraël
Laceſſit hoſtem, quamque noſtro tempore,
Tam non ſuo, quod antè ſuſtinuit, jugum
Abjicere properat ? Non tot inſignem ducem
Timuiſſe ſpoliis ? Cauſſa tentandi ſubeſt :
Eſt aliquid. Haud ſe hic protulit temerè furor.
Nimis illa vereor Numina, Ægyptus prior
Quæ tremuit, & quæ ſenſit ; ac noſmet diu
Pertulimus ipſi. Bella tractari vetem ?
Hoc æquus ille capiat ? Hoc miles novi
,, Cruoris avidus ? Quippe diſtrictus ſemel
,, Vix premitur enſis ; fors ubi inceptis favet
,, Operæq; pretium eſt. Hoccine ut Princeps ferat?
Nil in rebelles ſtatuat ? At lentâ poteſt
Regnare dextrâ : Mitiùs gentem premat :
Parebit, & ſe ſponte dominanti dabit.
Nunc ira, & hoſtis inſolens victoria,
Triſtiſque egeſtas ; quæque & imbelles ciet
Feras, abactæ prolis irritat dolor.
Sed temperanda hæc odia. Nunc Regem aggredi
Decrevit animus ; noſtra dum in tuto manent.
,, Nec me latet quàm tumidus, & ſceptris ferox
,, Difficilè Princeps ſana conſilia audiat :
,, Quàm audita renuat. Ira ubi adverſùm trahit.
,, Mentem, aut cupidò : quiſquis ad nutum loqui
,, Didicit, ſecundis auribus tutò ingerit.
Sed me ſalutis cura, & obſequii fides :
Vel ſi monentem pervicax famulum haud probet ;
Conſulere patriæ cogit : At ſævus gradum
Rebuſque geſtis alacer adproperat Siſar
Heberis hoſpes : quem Palæſtinis gravem
Revocans triumphis, ſenior Iſaciis Iabin
Objicere ducibus caſtra properantem jubet.

Siſaras rerum ſucceſſu tumidus delere parat Iſraelem. Ieriel fruſtra eum deterret.

SISARAS. IERIEL.

SIS. AStris propinquum gradior attollens caput
Toto ille notus orbe ; par Superis Siſar ;
Bello tremendus ductor, & quæ pars meos
Haud minima titulos ornat, invictæ arbiter
Domitorque gentis, quam nec acer contudit
Pharao, nec hoſtes mille ; non populis frequens
Amalec ; potènſve Moabus, aut pingues arans
Baſanæus agros : non Amorrhæi advenam
Fregere bella. Quin & oppreſſus Seon,
Ogusque, & Enaci mole terrificum genus
Hebræa ſenſit arma. Perrupta eſt freti
Aduſque magni littus, & Syriæ plagas
Promiſſa regio. Nube ceu ruptâ emicans
Pervadit ignis. Qualis aut fracto rapax
Per plana torrens obice præcipitans ruit.
Nunc ille Regum victor, & rerum potens
Mea jura populus, Marte perdomitus, tremit.
Mihi victus uni eſt ; biſque jam capitis decem
Impoſita pendit pretia. Nec ſolâ fuit
Cum gente bellum : victus & gentis Deus.
Cui ſciſſa jactat maria ; quo terras duce
Penetraſſe ad iſtas fertur ; hic noſtris tamen
Impar trophæis ceſſit : & potior Baal
Captiva ſubigit Numinis colla advenæ.
Hoc hoc peregi, nulla quod longo dies
Extinguat ævo ; nulla cui ſeſe hactenus
Æquare Divûm facta, nulla hominum queant.
Phlegræa quamvis bella, & excuſſos face
Trifidâ Gigantes memoret æthereæ potens
Dominator arcis : colle cum aggeſto ſtetit
Animoſa pubes, tela centenâ manu
Iaculata totidem. Pars quota eſt noſtri Mimas,
Acerque Rhœtus decoris, aut Siculo ſpecu
Clauſus Typhœus ? Nempe mortales Deo
Viciſſe facile eſt ; vicimus Superos genus
Mortale. Nec te Nebride accinctum latus,
Implicita molli jaculâ tractantem manu,
Imbelle Numen conferam : extremâ licet
Tellure victor regna ſubdideris novo
Sub ſole poſita ; decolor fulvum bibit

Quà populus amnem. Quidquid opponas, parum eſt
Victo Iſraëli. Nunc quòd in dominum ferunt
Neſcio quid auſos ſtruere, nec dociles regi,
Abſente Siſarâ ; ſummus anteactis labor
Iungatur. Huc me Marte diſtractum extero
Transferre Princeps arma quamprimùm jubet.
Maliſque fractos premere ; quò vetera excidant,
Animoſque præſens rapiat in ſeſe dolor.
Proin de rebelli gente, dum ferrum calet,
Properanda pœna eſt. Miles ad nutum ſubit,
Mecum arma capere ſuetus, imperium ſequi,
Tot vincere annos ; victus aut numquam, aut duce
Devictus alio. Signa vel contra Deos,
Ductore Siſarâ, juſſus extemplò feret.
Nunc ille prædâ onuſtus hoſtiles greges
Poſt me catenâ victor impoſitâ rapit.
Populoſque jactans viribus fractos ſuis,
Quos dives Arabum collis oppoſitos tegit,
Graditur triumphi more. Condixi locum
Valle in propinquâ, quâ rapax currit Ciſon.
Nihil moræ eſſe credo ; nec quemquam fore
Siſaræ ut reſiſtat : cujus exanimis metu
Nec ſtricta fixis tela luminibus feret ;
Contra feroces pavidus, in pavidos ferox.
Semel aggredi armis, vincere eſt. Sed quid ſtruat
Hebræa ſoboles, fare : cur tanto fuit
Revocandus opere miles ? IER. Imperium palàm
Et pacta capitis pretia non ultra ferunt.
SIS. Quæ ſpes novis oblata conſiliis movet ?
IER. Nihil malis jam deeſſe, quod gravius luant.
SIS. Quid levius antè fuerat ? IER. His ſaltē modū
Sperare fatis : longa quod minuit dies.
SIS. Miléſne ad arma ſcriptus ? an nondum coiit ?
IER. Et caſtra vallo cominùs iacto inſidet :
Quà celſum in auras culmen attollit Thabor.
Lectum omne gentis robur hac fortis tenet
Statione Debora. SIS. Digna degeneri Duce
Plebs ſervituti nata. Vecordes Tribus
Vilis coërcet mulier. En qui ſe maris
Frænaſſe jactant ſpatia : qui mundi jubar,
Ipſumque medio ſiſtere in curſu diem
Vulgò feruntur : rore deciduo ferax,
Quos nimbus aluit, noſtra qui regna occupant.
Quorum arma utrique proximus ſenſit freto,
Hos ſaga nutu femina imbelli regit,
Et jura populis reddit. En laudum ſeges
Immenſa Siſaræ : mole vincendum arduâ
Muliebre regnum reſtat. Ergo hoſtis pudet ;

Quo

Quo turpe vinci eſt : vincere, aut nullum decus,
Aut Rege minus eſt. Vna victorem juvet
Diræ ruina gentis. IER. Haud culpes ducem,
Si certa noris : major humanâ indoles,
Cœloque propior. Qualis aut Cynthi jugis,
Gelidique ripas propter Eurotæ ſoror
Phœbea graditur. Illa ſublatis gravem
Humeris pharetram geſtat, & totâ Deas
Cervice ſupra eſt ; gente ſic illa eminet
Potens in omni mulier. SIS. In promptu eſt fides.
„ Præſtare quantus inter ignavos labor ?
IER. Haud iſta tales regna ſenſere advenas.
SIS. Hoc hoſte metuã? IER. Docuit Ægyptus tamẽ
Quàm ſit timendus. SIS. Bis decem intereà mihi
Famulatur annos. IER. Pluribus Pharao premens
Obtinuit. Hinc Chuſanus, & Moabi recens
Regnator Eglon. SIS. Fortis ex illo ſciet
„ Quid inerte domino diſtet. I. Alieno ſapit
„ Quiſquis periclo, ne ſuo ſapiat cavet.
SIS. Parum hinc pericli eſt : Bella fac auſos, diu
Qui, aut unde tolerent? Rara populatas colit
Vrbes juventus : reliqua pars vacuis latet
Diſperſa campis : ſaxaque, & ſylvas laris
Inops, cibique complet : exuſta eſt ſeges,
Et aduſta flagrant arva. IER. Quin vires dedit
Ipſum hoc ; dabitque ; quòd nihil genti eſt ſuper,
Cui metuat, aut cui parcat. SIS. At nondũ periit.
„ Et hoc furori reſtat. IER. In miſeros nimis.
„ Qui ſævit, armat. SIS. Ne quid exinde ingruat,
Obſtare facile eſt. Vaſta diſjectis dabo
Mœnibus, & antè quidquid intactum, eruam.
IER. Sic nulla per tot præmia ærumnas petis?
SIS. Servire diſcent. IER. Nempe quos nullos jubes
Eſſe, ut tui ſint. SIS. Vacua, ſublato advenâ,
Regna obtinebit, dives exercens ſolum
Noſtras colonus. IER. Nílne te gentis movet
Terribile numen ? SIS. Cujus infregi minas,
Roburque domui ? IER. Cujus infrænis manum
Niliaca monſtris horruit tellus decem.
Cùm juſſa liquidis turpis emerſit vadis,
Campoſque texit rana : cùm infeſtus cynips,
Et avidus iſto pulvere exſiliit culex.
Cùm ſtrage fudit pecora, & infuſus cinis
Horrenda ſparſit ulcera : excepit vorax
Locuſta. Quid vel ſtagna ſanguineâ loquar
Infecta tabe ? quaſque vel poſſes manu
Palpare tenebras ? Prole quid tandem domos
Seniore vacuas? Ille diductis fretum

Patefecit undis : ille merſas fluctibus
Involvit acies, terga dum incautus premit
Pharao. Propinquos adſpice : hîc veteris, Siſar,
Monimenta cernes cladis : hîc quantas furens
Exercet iras diſce, quâ pugnat manu.
SIS. Inanis iſte terror : hunc vecors ſibi
Aſcivit animus. Turpe dùm vinci æſtimat,
Deum eſſe in hoſte finxit. Et, verum ut putes,
Ceſſiſſe quantum eſt viribus Numen meis ?
IER. Ne crede victum : Cedere ad tempus ſolet
Quo graviùs olim infeſtet. SIS. Vlciſci genus
Rebelle timeam ? Sceleris ut nullas ſui
Pœnas Hebræus referat ? Hoc quidnam amplius
Si victus eſſem paterer ? IER. Id ne ſis vide.

Barac victori Siſaræ ſit ſupplex, à quo tamen cum inſigni faſtu rejicitur.

BARACVS. SISARAS.

BAR. MAgnanime Princeps, regna quem latè tremunt
Chananæa ; miſſi huc ſtirpis Iſaciæ duces
Non bella ut antè ; jura vel victis truces
Metuenda ferimus. Priſtinum invidit decus
Fortuna : quidquid reſtat ex illâ, unicum
Miſeris levamen, vota portamus tibi,
Gemituſque. SIS. Sic vos Regis imperium movet ?
,, BAR. Quod facere nequeas qui imperat, fieri ve-
Ferri jubes tributa. Iuſſis obſequor. (tat.
Cedo unde jubeas ? Quâ peti parte imperas
Quod detur ? Oppidíſne ? quæ veſtris ruunt
Aduſta flammis. Avidus exhaurit domos
Populator : & quod inde ſubtractum eſt, ſibi
Periiſſe reputat. Nec ſatis properè genus
Concidere noſtrum queritur. An frugum ſatu
Vitiſque ? queis non ſæva prædonum manus
Abſtinuit. Ardent culta. Vix natas cremat
Virente culmo torridus ſegetes vapor.
Succiſa paſſim vitis, evulſæ arbores,
Suiſque tellus ſtrata ſeminibus vacat.
Vt abacta ſileam pecora, deque ipſo boves
Demptos aratro : magna pars cæſo jacet
Cultore ſterilis. Irritus quoſdam labor
Deterret, hoſti ſerere dum ſoli piget.
His capitis addas pretia ? Si vitam exigis,
Præſtare poſſum : quidquid hanc præter fuit,

Pridem

Pridem abſtuliſti. Poſce quod nondum tuum eſt.
Quid ſponte miſeros ludis? SIS. Haud quidquã libet
Mutare. Fas ſit, an nefas fieri volo. (gent.
„ BAR. Violenta numquam Imperia perpetuò vi-
SIS. Sint vera ſaltem, donec etiamnum vigent.
„ BAR. Iniqua ſævus juſſa qui cogit ſequi,
„ Sæpe æqua victus patitur. SIS. Abſcede ociùs:
Frænoſque recipe. Iuſſa ni peragis, feram
Haud verba contra. Perdam & æquabo ſolo
Veſtri reliquias generis. BAR. Haud deerit ſuis
Regum ille domitor; cujus expavit manus
Ægyptus, undis merſa diductis videns
Infeſta profugis agmina; hoc freti auſpice
Perſtitimus. At te numinis tanti metus
„ Subeat. Inultum nullus hunc contra tulit
„ Facinus. SIS. Nihil me vana perterret Dei
Imbellis ira; cujus infractum meâ
Virtute robur cecidit. Hinc porrò exigam
Tellure ademptâ: quique jam veſtris Baal
Propè unus aris colitur, in reliquum genus
Imperia penitus ſparget. BAR. Averſo priùs
Iordanis amne referet in geminos pedem
Fontes relapſus. Antè conceptos ſinu
Fovebit ignes Tethys; infandum ſcelus
Quàm mente capiam. Iura quàm cultu impio
Sacrata violem. Pro quibus patriam velim
Natos, parentes, conjugem, vitam dare.
SIS. At pars tuorum major, hunc templis Deum
Aſcripſit, hac tu ſolus è turbâ ſapis?
„ BAR. Veſana plebes quolibet præceps ruit,
„ Faciliſque flecti eſt, quam metus, ſpes, aut furor,
„ Aut imperantis nutus in partem rapit.
„ His me remittam? ſtulta ſervilis ſequar
Arbitria vulgi? ſtabo vel totâ unicus
De gente: vitam rapere ab invito potes,
Auferre mentem non potes. Mecum adjice
Sentire quidquid Iſaci è ſtirpe inclytum,
Supraque dubiæ ſortis erectum vices
Pari ruinas pectore ingentes capit.
SIS. Tantóſne victum ſpiritus numen facit?
BAR. Haud victus ille eſt, ſponte qui vinci ſuos
Patitur. SIS. Quid illum gentis eductæ piget?
„ BAR. Præſtanda fuerant ſcelera. SIS. Cur hoſte
utitur?
„ BAR. Vt perdat hoſtem. SIS. Nemo quem per-
dit, beat.
„ BAR. Vt graviùs olim caderet ex alto, extulit.
„ SIS. Tot perdit annos? BAR. Serus ulciſci ſolet,

„ Sed ira tempus penſat. SIS. Hunc quiſquã colat
Hoſti faventem, quò ſuum perimat genus?
„ BAR. Tunc eſt timendus, cùm favet ſonti Deus.
SIS. Me potiùs, ut ſic libeat ulciſci, oderit.
„ BAR. Exigua quantis lucra penſantur malis?
SIS. Si quem ille veſtris poſſet ærumnis modum,
„ Pridem attuliſſet. BAR. Gratior miſeris ſalus
„ Ægrè impetrata. SIS. Triſtior votis diu
„ Fruſtra expetita. BAR. Poſt tot adventu, Ducum
Superata noſtro bella; poſt ſciſſum mare,
Poſt regna tot perfracta, promiſsâ genus
In ſede poſitum, caſſa præſidia objicis?
SIS. Temerè iſta vobis rumor affinxit vetus.
BAR. Nondum liquet de auctore? Chuſanũ aſpice:
Et amne duplici nobilem Syriæ ſinum.
Vbi fortis Eglon? vel Philiſtæus gravi
Mactatus Anathi vomere. SIS. Addidimus ſatis
Aures loquenti: deſine. Experiar Deus
Quid veſter ille poſſit. BAR. Haud fruſtrà ſcies.
SIS. At te, ſuperbo noſtra qui faſtu minax
Vltrò laceſſis odia, plebejum genus;
Dominumque terres, nullus exitio Deus
Locúſve rapiet. Tecta cultori ſuo
Injecta mox communis abſumet rogus.
„ BAR. Audere prõptũ eſt magna, difficile exequi.

Siſaram extrema Hebræis minitantem ambiguo Iovis oraculo terret Madian.

SISARAS. MADIAN.

SIS. VT quiſque domitis parcit, & juſto modum
Ponit furori lentus, & decori timens,
Hoc ſua periclo ſceptra graviore implicat,
Perdenda prorſus dubia. Quod regno expedit,
Fas imperanti eſt. Iura privatum caput
Legeſque metuat. Lex ſibi, & recti arbiter (cet.
Dominantis animus: quidquid huic placitũ eſt, li-
Hinc Diva ſolium, fama ſi vera eſt, Iovis
Aſtræa, & illinc cana circumſtat Themis:
Vt juſſa quò ſe cumque Rectoris dabunt,
Æquum hoc putetur. Fracta cùm primùm jugum
Hebræa noſtro Marte progenies tulit;
Perire decuit penitùs. Hinc nil jam ſibi
Victor timeret. Sed neci oppreſſos dare
Tot immerentes piguit. Hoc illi, puto

Timuere facinus. Regna cùm ſciſſo fugax
Aliena pelago turba, perque Arabum plagas,
Et inhoſpitalis ſpatia tranſmittit ſoli ;
Cui tum pepercit ? cujus abſtinuit manus
Dirus cruore prædo ? cui vitam dedit
Cum ſervitute. Strage populatim domus
Arſere eâdem. Periit ætatis quoque
Diſcrimen his, ſexuſque : ſeu ſparſa oppidis
Involvit omnes flamma : ſeu captas volat
Strictus per ædes enſis, & teneram fodit
Cum matre ſobolem. Nec ſat exhauſtum mali eſt.
Obarata circum mœnia, & jactu ſalis,
Moriente glebâ, marcet infelix ager.
Quæ tam ferarum dira barbaries, priùs
Cultore cæſo, bella caſſoſque impetus
Tellurem in ipſam vertit ? Hoc gentis fuit
Iter ; hæc ſecundis rebus in ſeſe dedit
Exempla. Cur non victa, quo vicit, modo
Rurſum opprimatur? Cur quod huic in me datũ eſt,
Mihi in hanc negetur ? jura, quæ docuit, ferat.
Servire contra placuit. Eſto agedum, Duces
Saltem occidiſſent. Cetera, ut quondam, gravi
Diſtenta plebes opere ſervitium gemens
Perenne traheret : ne quid in dominos vacet
Moliri, opeſque recipere antiquas paret.
Hos lenta moles teneat : hi ſtrato aggere
Vaſtam imminenti flumini objiciant moram :
Aut dura fodiant marmora, aut terrâ eruant
Opes repoſtas. Mœnium hos ingens labor
Sparſos per urbes dividat. Tutum nefas,
Hoc ſi nefas eſt, exequi ex uſu imperî eſt
Nam quis per omne tempus obſequia integræ
,, Præſtare gentis poſſit ? Invitos diu
,, Vnde audeant ſi ſubſit, haud facilè premas.
Ergo hæc rebelles pervicax motus ciens
Servitia renuit. Nec ſuum in tempus ferox
Differtur animus : præcocem in nos impetum
Iamjam minax intentat. Et cœptum quidem
Porrò auſu facinus pergat. Hoc voti caput,
Extrema Regis odia ut in ſeſe trahat :
Dare cuncta peſſum ut jubeat. MAD. Hæc rurſum affero
Quod parte metuas. SIS. Quid ? MAD. Quod incertâ Deus
Ambage nectit. Quippe faſidicis Iovis
Vt juſſus adytis ſupplicem admovi pedem,
Manifeſta ſortis ſigna venturæ petens :
Vnà & Sacerdos aderat : extemplò cavis

Vox illa latebris missa; meminisse horreo.
Bella acri Chananæe paras cum gente. Cavẽda est,
Sic jubeo, jam passa jugum, fortisque juvenca.
Altera sed metuenda magis; quæ priva pererrans
Pascua, ab armento sese cum compare dudum
Segregat: has si tu vitaveris, auspice vinces
Hebræos Baale, & regnis potiêre peritis.
SIS. Quænam illa pestis gemina? Ni fallor, liquet
Ambigua quidnam fata venturum tegant.
SIS. Ecquid? MAD. Cavere comparẽ jussit bovem,
Quæ priva oberrans pascua, armento fugit
Passim relicto. SIS. Quas mihi insidias canis?
MAD. Heberis uxor nota Cinæi Iahel.
SIS. Quid deinde? MAD. Fortis mulier, & quidvis manu
Audere prompta, compari dudum comes,
Secreta gente, proximâ nobis lares
Statione posuit. SIS. Quid meam in noxam parit?
MAD. Ab hac timendum fata nescio quid monent.
Lapidothis alia est. SIS Convenit sexus quidem,
Numerusque. Sed quod altera exitium dabit?
Ego inde quidquam verear? Est illâ mihi
,, Cũ stirpe fœdus. MAD. Hoc mage insidiis locus,
,, Quo non timetur hostis. Ergo ullum putas
Cum gente fidei pignus, inimicâ, efferâ
Stabile esse Regi? Flamma se nivibus priùs
Sociabit: ortus merget, occasus diem
Cœlo reponet. Antè Iordani Tagus
Miscebit undas; pace quàm fidâ exteris
Iungatur audax populus. In præsens timor
Simulare, & opibus colere potiorem jubet.
Mox tempus ubi se dederit, & sceleri locus:
Concepta promet odia. Nil præ se Deos
Hominesque pensi (si palàm tutum est) habet.
Animo vetusta repete: quot Reges neci,
Quot regna flammis dederit. Arsere oppida
Cum cive pariter. Iunctus ætatis cruor
Vndavit omnis: donec exhaustas fugax
Populator urbes stirpe complevit vagâ.
Hæc pacis olim fœdera, has noster vices
Chananæus habuit. Disce quàm servent fidem:
Et quàm merentur. SIS. Hactenus culpâ caret
Cinæus. I. At non, fors modò ad votum accidat,
,, Semper carebit. Prosperis rebus fides
,, Vtcumque perstat. S. Paululùm eventum juvat
,, Pugnæ opperiri. I. Quidquid extemplò potest
,, Impunè parari, sæpe dilatum obfuit.

CHO-

CHORVS

Monet Chananæos bellis, victoriisq; modum ut ponant.

„ HEu! quàm difficile eſt poſſe ſuis modum
„ Votis ponere, nec plus licitis ſequi,
„ Nec Divis nimiùm credere proſperis:
„ Dum curvat tumidos aura favens ſinus!
„ Tunc quacumque datum eſt, mobilis immemor
„ Fati, nec dubias mente agitans vices,
„ Expers conſilii præcipitat furor.
„ Donec clàm tacitis greſſibus inſequens
„ Injectâ Nemeſis peſſum adigat manu.
Dum ventis pelagi ſtrata ſilentibus
Rident marmora; ſeu molliter adſtrepens
Criſpatur placidis unda Favoniis:
Vidit ſepoſiti littoribus procul
Cultor jugeris, & perpetuam ratus
Tranquillæ faciem Tethyos, impigrè
Mutavit patrios navigio lares,
Ignotoque caput credidit æquori.
Verùm bis Superis terque faventibus,
Neptuni relegens terga liquentia,
Poſtquàm impunè ratem portubus appulit;
Mutati furias ſenſit inops maris,
Et longi pretium temporis abſtulit:
Seu merſus mediis fluctibus occidit;
Seu rem naufragio perdidit & fidem.
„ Sic quos continuis invidioſior
„ Ad ſummum gradibus provehit, & pares
„ Fortunæ omnipotens Cœlitibus facit;
„ Cùm ſemper ſimilem, ſemper amabilem
„ Sperant, ulteriùs tendere fervidi,
„ Alto præcipites culmine corruunt.
Duros Iſacidas Cœlicolum genus.
Per tot ſæva Ducum funera, ſedibus
Eductum Phariis, tot freta naufragis
Quondam ſparſa, tuo ſat Chanaan fuit,
Spem votumque ſupra, ſervitio premi.
His majora ſequi mitte. Quid obrutos
Rurſum Marte quatis? Perdere quid paras?
Auſuroſque cies? Numinis advenæ
Nondum experta tibi dextera: quàm gravi
Hoſtes concutiat mole, tegat ſuos?
Hoc freti profugos auſpicio, lares

His fixêre locis. Nil validus Seon ;
Nil priſca Aramidum ſtirpe ſatus Balac,
Hos contra potuit tendere : nil Baſan ?
Nec vaſto Enacides terribilis ſtatu ;
Biſſena hinc Populi per totidem Tribus
Partita eſt regio ; finitimæ latus
Prætentum ad Syriæ : quaque fretum urbibus
Clarum quinque manet ; quas Superûm furor
Flammis, & pluvio ſulphure perdidit.
Hac cum gente moves prælia, quæ polo
Quæſque undis poſuit jura furentibus ?
Abſiſte. Heu ! quid agis ? Nullus in hos Ducum
Impunè arma tulit. Spontè necem oppetis :
Rebuſque properas exitium tuis.

ACTVS TERTIVS.

Debora Baracum Deo fretum iubet obviàm procedere Siſaræ, victoriamq; Iahelis manu reportandam prædicit.

DEBORA. BARAC.

DEB. VOs imperata facite, & ignavos metus
,, Excutite : nihil auctore trepidandum Deo eſt.
Ille aderit ; & pro gente dilectâ, memor
,, Pugnabit ultrò. Bella quis pro ſe Deo
,, Pugnante metuat ? Pignus haud dubiæ dabit
Salutis illa tot Ducum ſpoliis ovans
Fatalis Arca ; quæſque percuſſo leves
Expreſſit undas ſilice, demerſo potens
Pharaone virga. Pars erit laudum minor
Sublata generis ultima hæc noſtri lues.
Licet arma Siſaras contrà, & innumeras agat
In nos cohortes ; quot ſub Autumnum cadunt
Excuſſa ſilvis folia, vel denſo fugam
Trans æquora urgent agmine alituum greges,
Vbi prima gelidis incubat terris hiems.
Hoc nempe victos gravius exitium premet :
Majorque ſeſe Numinis prodet favor ;
Cui dubia parent fata, qui belli regit
Faciles habenas. Ille confiſos ſibi
Eripiet. Agedum ſegnis abſcedat timor.
BAR. Abeſt, nec ulloſte duce horreſcam exitus.

DEB.

„ DEB. Sed vetera cedant probra. Quæ ſcelere eſt
„ Contracta pœna, ſcelere depoſito cadet. (priùs
„ Facilis precanti venia ; cui veniâ eſt opus,
„ Id ſi amputetur. Aſpice infenſus ſuis
Quoties pepercit. Stricta cùm quateret manu
Vibrante tela, ſupplici evictus prece eſt.
„ Hâc ille vinci gaudet. In pœnam ruit
„ Invitus, ultrò parcit. Irato Phinees
Extorſit arma. Vindicem gladium movens
Vnus furori reſtitit. Quid cum igneâ
Fornace vitulus fuſili in turpem Deum
Conflatus auro eſt, ſeque veſanas ciens
Choreas nefandam populus in cladem induit ?
Quàm facilè precibus ceſſit ! An turbæ loquar
Sitientis aliàs murmur ; aut volucres novo
Quæſtu expetitas ? Vna vox genti fuit
Quoties ſaluti ? Nunc quoque, ut deſit nefas,
Fuerit, ſupremi pacta ſi Regis valent.
Quacumque ritu dirus inceſto Baal
Colitur ; per omnes fana ſubvertant Tribus.
Ferro recidant nemora. Nunc gentis jube
De more pavidum cedere ex acie genus.
Quicumque tectis nuper extructis venit,
Procul faceſſat. Vite ſi quiſquam ſatâ,
Claudit recentem, nec meti in vulgus ſinit.
Quicumque thalamis miles uxorem novis
Deſpondit ; abeat ; ne quis extincto, faces
Prior jugales tollat. Attonito metu
Ignavus hoſtem ſi quis armatum pavet,
Abſiſtat illinc citiùs, & bello vacet.
Properate. Matrum turba me ſupplex manet.
Hac comite Superûm vota concipiam Patri,
Affuſa Templo. BAR. Teſtis ille hominum ſator :
Me nulla niſi te bella ſociatâ manent.
Si pergis unà ; rapior. Abſcedis ; ſequor
Belli, fugæque ſocius. DEB. Hoc precibus Barac
Tuis remitto. Nec tamen victoriâ
Potiêre ſolus. Laudis hunc titulum minor
Præripiet hoſtis : quamque vix credas, dabit
Finem huic labori mulier. Hâc profugus Siſar
Dextrâ peribit. Video trajectum caput,
Humique fixum. Tudite ferrato procul
Per utraque clavus tempora impactus ſonat.
Exanime corpus cerno. Iam totos cruor
Inundat artus. Macte. Sic Superis proba
Populoque dextram. Pudeat exempli viros :
Alacresque pugnam inite. BAR. Prægeſtit manus.

DE-

DEBORA SOLA

Deum precatur ut Chananæos opprimat.

TV nunc ſecundo placidus hæc nutu rege
Pro te tuiſque bella ; quem colimus pii,
Cui ſacra ſoli ferimus. Excutere imperas
Servitia ? juſſa facimus. Ad bellum vocas ?
Paremus. Adſis unica oppreſſi ſalus
Populi, ac levamen. Quanta circumſtent vides
Nos undique arma : quâ tuos acie petat
Chananæus. Illos laxa vix tellus capit :
Anguſtus omnis campus. Hîc rigidâ citas
Armat quadrigas falce ; præpetibus rotis
Equiſque fretus. Ille Ithureum minax
Intendit arcum. Sævit hic jaculo : teres
Huic funda : gladium pars, vel æratam quatit
Dextrâ bipennim. Noſtra te ſolum aſpicit
Spes, ſancte genitor. Gente pro carâ exere
Dignum Tonante robur. Hoc Pharium Ducem
Habes in hoſte. Nil tibi fiſſo eſt opus
Pelago : minori ſtabit exemptus jugo
Populus : furori parce ; nec totâ arripe
Virtute bellum. Stridulus denſo culex
Tibi militabit agmine, aut turpi loquax
Educta limo rana. Quid tela explices ?
Ceſſent licet : ſtrepentis ad ſonitum tubæ
Concuſſa ſpontè mœnia in ſeſe ruent.
His efferatam barbari in famulos Ducis
Compeſce rabiem. Cauſſa nobiſcum tibi
Communis illa eſt. Muneris vindex ades
Tui ipſe. Regnis pellimur per te datis,
Per te occupatis. Pateris ? & victor Baal,
Victum feretur Iſaci numen ? Sines
Inultus iſta ? Surge. Nunc toto Deus
Clareſcat orbe. Clade condiſcant ſua
Quantum Iſraëlis Baale ſit potior Deus.

Debora Iaheli divina oracula exponit ; eamq; ad reportandam victoriam deſignari edocet.

IAHEL. DEBORA.

IAH. SAcrata Divis mulier, interpres poli
Fatique vates conſcia ; ecquam perditis
Portas ſalutem ? Votáne aſpexit Deus ?

An temerè in auras ſparſa præcipites eunt?
DEB. Reſpexit: & vos, certa ſi Superis fides,
Regno impotenti ſolvet. In curſu eſt ſalus.
Fatale tempus inſtat. Hæc nobis dies
Chananæa rumpet vincla. Delectas Tribus
Per me ſecundo Numine excitus Barac
Ad bella cogit: quæque Nephtalios arat
Cognata campos, quæque Zabulonem colit.
Bis quina ſecum millia huc tacitus rapit:
Quâ culta tereti plana deſpectat jugo
Galilæus illinc collis, hinc rapido cadens
Abrupta curſu ſaxa devolvit Ciſon.
Sed antè Siſaræ miſſus Orator prece
Tentavit animum: jura famulatus gravis
Et acerba gentis fata captivæ querens.
At ille, cautes qualis in medio riget
Immota pelago, pulſa vel quercus leves
Perfringit auras, robore immenſo tumens,
Nihil remittit; bella quin ipſum ferox
Contra Tonantem, tumidus imperio, gerit.
Veſana rabie corda, ſic vindex Deus
Duravit idem, cæca qui Pharii priùs
Armavit odia Regis, & flecti dedit
Indocile pectus. IAH. Perge non æquum tuo
Placare populo numen. DEB. Haud vanus labor,
,, Si patria repetat jura. Mutatis dabit
,, Meliora, qui nunc opprimit ſontes Deus.
Nec tarda voti ſpatia. Proſtratum dies
Hæc ipſa Siſaram debet, ac letho datum.
Nos bella & hoſtis; te decus belli manet. (fides?
IAH. Egóne hoc capeſſam? DEB. Dubia cur titubat
Nondum Tonanti creditur? IAH. Poſſe hunc puto.
DEB. Ne velle dubita. IAH. Petere ſi fas eſt piis;
Reſponſa, Vates, pande quæ memoret Deus.
DEB. Hinc procul referat pedem quiſquis profanus, & impio
Execranda ſacra cultu colit, & infames Deos
Vos, quibus dixiſſe fas eſt juſſa ſummi Numinis,
Mentibus reponite imis: magna res agitur mihi.
Vt ſacrato limini ardens ſupplicem greſſum intuli,
Vota peragens gentis, & opē cœlitū ritè advocans:
Ter ſolo profuſa mœſtū deprimo ante aras caput,
Flebili voce ingemens. pactique nobiſcum fidem
Fœderis teſtor. Repentè concita intremuit domus.
Horrido concuſſa tellus ter fragore perſtrepit.
Frigidus per ima currens oſſa pervaſit tremor.
Tum ſacris mugitus ex adytis truci ſonitu emicat.
Ante me ſubinde ſuperâ ſede lapſus Aliger

Aureas

Aureas quatiens volatu præpeti alas constitit,
Ore purpureo nitens : qualis coruscâ flammeus
Nube tractus dissilit, celeriqúe percurrit face.
Major exin homine mox aures meas pepulit sonus.
Pone modum precibus, raptasque ad bella cohortes
Instrue ; sic Deus ipse jubet. Tibi muneris hujus
Mox cape Nephtaliâ comitem de stirpe Baracum.
Ille aderit, qui me cœli submisit ab axe
Omnipotens genitor, Chananæaque vincla resolvet.
Ille acies contra, atque hostilia castra suorum
Pugnabit pro gente, animum, viresque ministrans;
Falcatosque ruet currus ; dux femina tantis
Rebus erit, cœptisque dabit tamen altera finem.
Hæc ille : placidis inde subvectus polo
Diffugit alis, ocior ventis, levi
Somnoque similis. Dux ego his cœptis minor :
Tibi summa rerum parta. Quod Superi probant
Invade mulier. Plura scrutari nefas.
Et ipsa, qua tu parte desperes, iter
Fata explicabunt. IAH. Cõmodo obsequiis manus:
Vitamque, & ipsa si quid est vitâ amplius.
Præi : capessam reliqua, & auctorem sequar.

CHORVS

Docet miseriarum omnium caussam esse idolorum cultum, monet proinde Hebræos ut iis spretis verum Deum colant.

HOminúmne fata volvi
Nutu rear Tonantis ?
An cæca vis rotatum,
Moderante fræna nullo,
Sus deque versat orbem ?
Hic ille mentis æstus
Animis frequens recursat :
Dum te pio dolemus
Gens Israële creta,
Opis auxilîque egentem
Tot jam opprimi per annos,
Tot cladibusque frangi :
Frustrà Deum videntes
Proavos, Deique amicos
Præ te Duces ferentem.
Vbi pacta tot stupendis
Olim probata monstris
Vbi cœlitum potenti

Cum

Cum Rege fœdus ictum ?
Promissa quid secundis
Iuvat attigisse regna
Superis ? Quid execrandæ,
Passim vagante ferro,
Viduasse gentis urbes ;
Si sic trahenda præceps
Stirps Abramæa quondam
Fueras, jugoque victi
Victrix premenda Regis ?
Laribus procul paternis
Proles abacta mœret :
Ipsaque dirus unà
Vacuat domos satelles.
Squallet relicta tellus ;
Cererisque fruge nusquam,
Nusquam satu Lyæi
Inopes alit colonos.
Quacumque culta agrestis
Pubes opima vertit :
Mox falce crebrâ adultas
Segetes metunt quadrigæ.
Aut sparsus undique ignis
Rapidis adhuc virentes
Flammis perurit herbas.
Sterilesque nudat agros.
Has inter occidentis
Populi graves ruinas,
Ecquem suos amare ;
Quod providere Numen
Rebus putes caducis ?
„ Imò hæc acerba fatu
„ Mala, præsidemque terris,
„ Memoremque adesse pacti
„ Summum probant Parentem.
„ Qui non inulta caræ
„ Delicta gentis æquus
„ Patitur, levique fontes
„ Proprios, parentis instar,
„ Monet increpans flagello.
„ Mox deprecante pœnam
„ Culpæ reo, ferire
„ Lentas manus coërcet.
„ At quos severus odit ;
„ Hos pertinacis iræ
„ Laxis ruens habenis
„ Violentus haurit ardor.
„ Proin quidquid acta retrò ;

,, Ventura quidquid ætas
,, Tulit aſperum, feretque ;
,, Non tu Deo, maliſve
,, Potes imputare fatis.
,, Sceleri hæc ſtatuta merces.
Huc huc ſatus nefandi
Seges excitata crevit.
Dum cœlitum profanos
Templis greges adoptas.
Et mille fœda monſtris
Simulacra, ceu propinquæ
Contacta labis hauſtu,
Spreto colis Tonante.
Agedum tuis, quod inſtat,
Pœnis Hebræa proles,
Docili jugum ſubire
Collo ſubacta diſce.
,, Tunc eſſe qui fluentis
,, Mundi leves habenas
,, Nutu arbitrante torquet ;
,, Meritiſque digna, lance
,, Neutram in partem reclivi,
,, Serò licet, rependit ;
,, Documenta quæ relapſis
,, In pejus antè rebus,
,, Dederas, dabis ſecundis.

ACTVS QVARTVS.

Heber ſuorum miſerias deplorat, ſibiq; etiam timet: animat eum uxor, & meliora ſperare iubet.

HEBER CINÆVS. IAHEL VXOR.

HEB. SI tempus umquam triſte, luctificũ, aſperũ,
Noſtraque dignum gente, dignũ odio fuit
Læſi Tonantis : ſi qua pertæſum dies
Vitæ priùs conſpexit, & cupidum mori ;
Hæc ipſa demum illuxit. O Divum potens
Hominumq; ! quid nunc lentus, & noſtri immemor
Barbarica pateris ſceptra captivas Tribus,
Atroxque domini ferre peregrini jugum ?
Meruimus iſta ; fateor : haud temerè tuus
In nos furor deſævit, & noxæ pares
Pœnas repoſcit. Sed quid hoc ipſo Deus

Ab hoſte meruit ? Quælibet per te exige
Supplicia ? cur te hic ſpernat, & vinci exprobret,
Tumidaque inanes voce commendet Deos ?
Hoc ſcelere noſtro levius ? Huc jacula : huc minas
Converte potiùs, quà tuum nullus vocat
Celebratque nomen. Pereat infelix Baal,
Baaliſque cultor ; gente dilectâ abſtine.
Te per Taræi nomen obteſtor patris ;
Charoſque manes Iſaci, & prole inclytum
Pulcrâ Iſraëlem, perque legiferum Ducem,
Pacti memento veteris. En lectâ ſatus
De ſtirpe populus, gemina, quod dictu eſt nefas,
Bis luſtra ſervit. Vndique infeſtus ſolum
Populatur hoſtis : Aret incultus fiti,
Heu ! lacte quondam & melle diſtillans ager :
Sterileſque campos nulla conveſtit ſeges.
Nec læta fructus arbor, aut viridi fovet
Aprica colle vitis. Hic oleas metit
Adhuc virentes. Ille crudas amputans
Deſtringit uvas : quæque prædantes piget
Avehere, latè ſquallidus torret vapor.
Opima ſoli terra cultori vacat.
Quid quod Parentum rapta complexu, ac ſima
Captiva proles trahitur, & Regis domum
Famularis implet turba ? Quàm numquam fuit
Peperiſſe melius ! Gentis oppreſſæ Parens ;
Nobis verendum Numen, ignotum exteris ;
Si ſpes relicta eſt nulla ; nec rebus datur
Miſeris recurſus, pereat extinctum ſemel
Quodcumque ſupereſt. Vindice flammâ intona.
Imo adice ſi quid cladibus tantis potes.
Nam quid potes ? Mortémne? Quis mortem abnuat,
,, Si ſic trahenda eſt vita. Degeneres viros
,, Servire pretio lucis indultæ juvet.
,, Mihi turpe luce eſt gravius ereptâ jugum.
IAH. Vnanime conjux : deſine imbelli Deum
,, Onerare luctu. Preſſiùs fortes decet
,, Obniti, & undæ ferre violentæ impetum.
,, Adverſa virtus robore indomito capit.
,, Haud eſt virile, dura ſi tollas, gradu
,, Perſtare firmo. Placida cùm nulli freta
,, Venti laceſſunt ; nullus ex imo minax
,, Permiſcet æſtus ; puppe quid portum integrâ
,, Tenuiſſe mirum eſt ? Artis hoc ſpecimen, graves
,, Superare fluctus poſſe ; nec vinci malis.
HEB. Haud iſta pro me bella metuentem dolor
Privatus angit. Cernere incolumi licet
Patriam cadentem, Fœdere hoc mecum manus

Chananæa junxit; noſtra ut in tuto domus,
Et ſortis extra damna communis foret.
Te magne teſtor generis Hebræi parens;
Non me ulla populi fata, non ſævas vices
Fugiſſe patriæ. Nullus ignavum timor
Ad hæc ſubegit jura: ſed gentis ſalus
Pietaſque, durâ ſorte perculſis opem
Clam Rege volui ferre. Nec me conſilî
Hucuſque pigitum eſt. Supplices quoties lare
Protegere fido licuit; inſontes Iabin
Quoſcumque ſævus preſſit? Innumeris fugam
Vox hæc, necemque repulit. Haud aliter ſuis
Præmiſſus iſtinc Iſaci Pharium nepos
Flexit Tyrannum: ſede cum patriâ movens,
Niliaca regna plebe natorum parens
Comitante petiit. Sed mali expertem licèt
Aliena tangunt damna. Me ſummi fides
Numinis, & Arcæ cura captivæ movet.
Illam profanis barbarus miles trahens
Luſtrabit oculis? clara tot ſignis ovans
Monimenta pictis lætus appendet tholis?
Et hoc tueri cogar? Hanc oculis feram
Speciem? Quid ultrà ſpiritum infelix traho?
Ad quæ reſervor tempora? Hoc ipſum, pius
Quòd eſſe videor, fœdere ex illo, perit.
Iam nil meis prodeſſe, nec triſtes queam
Levare caſus. Funditùs cuncta obruet:
Vt me ſuperſtes nullus excepto, piâ
De gente maneat. Me quid exceptum loquor?
Eadem ſubibo fata: poſt alios cadam:
Hoc gravius aliis, clade quòd tantum hi ſuâ,
Ego omnium unus concidam. Hoc ſolùm nece
Servare poſſet qualibet gravius, nefas;
Si patria Baalis ſacra poſthabeam focis.
Huc me Iabinus ſæpè nequidquam prece,
Pretioque trahere nixus. Eluſi preces;
Oblata ſprevi dona. Nunc coget palàm,
Vimque admovebit. IAH. O mihi luce hac magis
„ Dilecte conjux: pectore invicto pati
„ Quidvis priùs conſueſce, quàm Regi obſequens
„ In patria pecces jura: ſeu mortem inferat,
„ Obeunda mors eſt: ſeu fugam intentet, fuge
„ Ad uſque pelagi extrema. Tecum adeò comes
Aut moriar, aut extorris hinc quòvis ferar.
„ HEB. O caſta thalami ſocia! Macte animo: decet
„ Sic ire fata contra, & intrepidum malis
„ Firmare pectus. Mitte quam pro me geris
Sollicita curam. Noſtra, quemcumque exitum

Fortuna

Fortuna dederit, ſtabilis, & nullo fides
Lapſura caſu, rumpet obſtantes minas.
Facilis mei jactura; nec tanti eſt ſeni
Patriæ ruinas inter, & ſtragem inclytæ
Reptare gentis. IAH. Sic decet fortes loqui.
HEB. Sic facere. IAH. Nunc te conjugem agnoſco meum.
HEB. Quidvis eruentus ſtatuat; excipiam metu
,, Vacuus. IAH. Breve eſt certamen: æternũ decus
,, Cœlo repoſtum. HEB. Sive per latera exigit
Ferrum Tyrannus: ſive per partes rapi
Membra, aut cremari jubeat, æquo animo feram.
IAH. Hæc quamquam habere ſic decet: prona eſt tamen
In melius, & ſecura neſcio quid ſpei
Mens agitat. HEB. Vtinam fallat hic qui animum timor
Sperare populi funus extremum jubet.
,, IAH. Quod quiſque metuit, poſſe vix tolli putat.
,, HEB. Imò hoc futurũ, quod cupit, nimiũ putat.
Qua ſpe ſalutem præcipis? IAH. Quam tum Iſraël
Habuit, per undas calle cum ſicco pedes
Trajecit: aut cum ſquallidas Arabum plagas
Permenſus iſta ſerus in regna appulit.
HEB. An tum pepercit? pars quota incolumis fuit?
IAH. Nec penitus iræ indulſit; & quantum ſat eſt
,, Demum reliquit? Premere quos odit ſolet
,, Penitus, fuiſque parcere. HEB. Ignoſcat precor;
Sceleriſque tandem faciat, & pœnis modum.

IAHEL SOLA

Felicem belli exitum ſperat, ſeſeq́ ad omnia offert.

FAciet. Superbo Rege defunctos brevi,
Vt ſera, ſic non dubia reſpiciet ſalus.
,, Pius ille, vel dum ſævit, & memores ſui
,, Exercet iras. Culpa ſanctorum graves
,, Dedit aliqua pœnas, nulla perpetuas dedit.
Sic denſa poſtquàm nubila effuſo diu
Arcturus imbre ſolvit, aut ponto jubar
Merſura Plejas; fœderis vindex polum
Serenat arcus. Sic ubi hibernis furens
Incubuit undis Auſter, & vaſtos tulit
Ad attra fluctus, ſideris gemini face
Compreſſa ponunt maria. Sic gelidas tepor
,, Vernus pruinas claudit. Hac vitæ Deus

„ Arbitria lege ſancit. In partem nihil
„ Vtramque ſtabile eſt. Abiit. Haud equidem tibi
Porrò indicavi cetera. In dubio eſt fides,
Quò fata vergant. Magna molitur Deus.
Vel quanta nobis ore non falſo canit,
Monſtrante cœlo, Debora! Quæ per nos brevi
Præſtanda memorat! Majus eſt victo tamen
Siſara. Quid hoſte majus eſt victo? Piget
Quod illa in aures tacita commiſit loqui,
Quod quærere ultrà vetuit. At ſi quid meâ
Habes in arte præſidî, hæc quiſquis regis
Ventura Superûm: te duce en caſus adeſt
Parata in omnes famula. Quem noſtris fore
Hæc inter armis exitum, ac votis putem?
Commiſſa dudum prælia, & toto reor
Fervere campo: geſtit eventum impotens
Prævertere animus. Quis per æthereas modò
Violentus auras turbo correptam vehat?
Aut quis citatis præpetem pennis rápi
In media dederit caſtra? Pars utinam feror
Vt eſſe decoris aliqua; ſic Martis forem!

CHORVS

Deo rebelles tandem pœnas dare edocet, idemq; Chananæis eventurum prædicit.

„ COntra Superos impia quiſquis
„ Audax animis bella capeſſit;
„ Tandem eſſe Deum ſentit, & acri
„ Congeſta luit crimina pœnâ.
Rupit tumidi clauſtra profundi,
Rapidaſque ſolo miſcuit undas
Iuſſa rebelles latè effuſo
Vaſtare freto cærula Thetys.
Tunc ſepoſiti fœdera Mun-
Confuſa ruunt. Altior hau-
Montana rapax culmina po..us;
Summoque ferit ſidera fluctu.
Subjecta graves ſilva carinas
Lentis tenuit preſſa flagellis.
Stringit rigidas palmula quercus;
Roſtriſque ſecant nubila puppes.
Quid cum ætheriâ mole ſub auras
Educta Babel ſtetit, aſtrifero
Propiora polo culmina tollens?

Malè

Malè concordi fœdere junctos
Mista artifices lingua repressit.
Hinc fulmineâ face, crebroque
Disjecta ruit flamine turris.
Quid Niliaci castra Tyranni
Rubro memorem subversa freto?
Parúmne dedit specimen fortis
,, Lux illa Dei? quantóve premat
,, Tumidos hominum robore fastus?
Heu! quot populi cladibus illinc
Extorta fuga est! Quot monstra tulit
Gens Isiaco sacra juvenco!
Mox ubi densâ nube profusus
Leviora culex bella peregit.
Aut ubi ranas, lætisque graves
Extulit arvis virga locustas.
Cùm nec medio nox spissa die;
Nec sanguineâ tabe fluentes,
Et mortiferi piscibus amnes:
Nec quæ tenues fusus in auras
Horrenda cinis vulnera sparsit,
Rigidum possent flectere pectus.
Tunc laxatus graviora furor
Impulit arma.
Dirâ Pharias strage per ædes
Bacchata trucis manus Aligeri,
Quæ prima patres fecerat ætas,
Stricto hanc penitùs messuit ense.
His tu, Pharao, perfide pœnis
Saperes tandem, contraque Deum
Tendere iniquo Marte timeres!
Furit ille, furit; rapidisque minax
Fugitiva rotis terga fatigat.
Sed dum insolito tramite præceps
Divisa ruit per freta; dumque
Pelago fruitur non sibi aperto;
Rubris periit mersus in undis.
His te simili, Chananæa furens,
Contracta manent præmia noxâ.
Licet obliquâ cuspide adunci
Volitent currus: nec terra tuos
Equitum capiat, peditumque globos:
Licet Abramidum sacra propago
Iam bis denos serviat annos.
Intacta licet gaza innumeras
Abscondat opes: sub signa licet
Tua conductus militet orbis.
Tandem ultricis violenta feres

Pondera dextræ.
Lux una mali prodiga tantas
Evertet opes ; regnaque multis
Fundata, brevi subruet, annis.
Nondum hibernis imbribus auctus,
Nivibusque alto colle solutis,
Aggere parvo clauditur amnis.
Sed collectis tumefactus aquis
Objecta ruit claustra, superque
Fuso campos gurgite mergit.
,, Sic sic scelerum compressa diu
,, Pœna nocentes acrior urget.

ACTVS QVINTVS.

Nuncius Iaheli narrat superatos esse à Baraco Chananæos, fugatumq; Sisaram.

NVNCIVS. IAHEL.

NVNC. MAjora votis affero. Oppressus Sisar :
Castris potitur noster, & toto fugax
Campo vagatur hostis. Insequitur (furens,
Fœdaque victor strage desævit Barac.
Pro se ille vindex generis Hebræi adfuit,
Egitque pavidos fulmine horrifico minax.
IAH. Quis ede Sisaram casus in præceps dedit?
NVNC. Vt utrimque castris gemina collatis stetit
Acies, & omnem milite implevit locum ;
Falcata primùm plaustra Chananæus locat
In fronte Sisara : gravior in mediâ pedes
Instructus acie : terga veteranus premit.
Hinc bina & inde cornua equitatus tenet.
At noster illinc rarius laxis agit
Ordinibus agmen, per quod effusa impetu
Innocua ruerent plaustra : firmatur levi
Latus equite utrumque : dextra Nephtalius Barac,
Media coërcet Debora. Sic toto ruit
Campo juventus : undique arrectis seges
Horrescit hastis, æraque adverso micant
Percussa sole : mixtus exoritur fragor.
Ceu nube densâ gurgite ex alto strepunt
Raucæ volucres. Inde ubi pugnæ dedit
Inflata signum buccina, hostilem Sisar
Ferrea frontem plaustra præcipitans quatit.

Fervet

Fervet citatus axis, & geminum metens
Vtrimque falce carpit obliquâ latus;
Aperitque vastum limitem. Huc illuc fuga
Præceps Hebræus ruere, turbatis eques
Instare Sisaræ. Iamque nudatus pedes.
Iam terga dederat ala. Cùm tristes manus
Ad astra tollens Debora, gentilem Deum
Inclamat; &, quò fugitis imbelles? ait:
Quâ spe latebras petitis? Obversi acriùs
Martem lacessunt. Ipsa per medios volans
Furibunda cuneos urget, hortatur, salit
Audax virago: moxque præferri imperat
Fatale gentis ferculum, rauco tubas
Perstrepere cantu. Constitit visâ procul
Chananæus Arcâ, seque lymphato induit
In amica cursu tela. Pars verso suos
Mucrone feriens cæde cognatâ furit.
Hic missa ab hoste spicula expirans trahit,
Iugulòque socio condit. Hic ferrum exigens
Alterius ense fixus à tergo ruit.
Super hæc fragore piceus horrendo tonat,
Ruptisque crebro facibus ardescit polus.
Quas densa grando sequitur, haud qualis solo
Illisa vulgo crepitat: excussos putes
Volitare silices, funda quos torto rotat
Ibera fune. Strage quadrupedes jacent
Equitesque eâdem. Tot simul domitos malis
Nephtalius urget ductor; & latè efferâ
Bacchatur ardens cæde. Dat terga ilicet
Sisara, levique fervidus saltu rotis
Excutitur. Ego vix, nuncium hunc vobis ferens,
Per strata celerem corpora explicui gradum.

Iahel somnium suum exponit, in quo sibi visa erat Sisaram ad se fugientem obtruncare.

IAHEL.

AT at. Timoris magna pars nostri excidit.
Confecta demùm bella, devictum ferunt
Dare terga Sisaram. Vicimus: tandem Deum
Chananæus esse didicit. Haud cuncta Israël
Mentitur. Agedum utrimque divulsum mare,
Alimenta cœlo sparsa, fatalis neget
Prodigia virgæ. Nunc suos jactet Deos.
Habet. Tonantis ira quid possit, sacri
Quid cura populi sensit. At nondum reor

Perfunctus illis gravius ærumnis luet.
Nondum omnis abiit pœna : deeſt aliquid malis,
Quod eſſe noſtrum fata teſtantur decus.
Niſi falſa memorat Debora. Sed pars hactenus
Probata veri ; victus eſt bello Siſar :
Addenda porro reliqua. Præſagit mihi
Neſcio quid animus grande : nec quid ſit ſcio ;
Niſi quod peractis majus eſſe aliquid ſcio.
Vidi egomet atrâ nocte, cùm lentus graves
Preſſiſſet oculos ſomnus, attonitum Ducem
Trepidumque ad iſtos fugere ſemermem lares,
Opemque fruſtra petere : quem ſtricto aggredi
Mihi viſa ferro. Moxque correptum caput
Hâc abſcidiſſe dexterâ. Hunc credam exitum
Servaſſe Superos, perque tot ſigna eloqui ?
An ille qua non pudeat oppetiit manu ?
An victus acie fugit ? At fugiat. Cedo.
Quid tum ? Necare hunc poteris ? huic dextram inferas ?
Suſpenſus hæret animus, & geſtit tamen.
Et facinus ingens pectore incenſo capit.
Perii : quis iſte concito huc curſu volat ?
Siſaráſne ? Is ipſe eſt : tecta properatò petam.

Iahel Siſaram fugientem excipit.

SISARAS. IAHEL.

SIS. MEn' ſequitur aliquis ? Occidi : hîc quiſnam venit ?
Nemo eſt. Quis aures hinc meas pepulit ſonus ?
An potiùs illinc ? Quò ferar ? quânam accubem
In parte feſſus ? Tutáne hæc ſperem mihi
Perfugia ? Certè hîc fœdere obſtrictus manet
Cinæus Heber. Fracta tantiſper juvat
Levare membra. Numquis hinc prodit foras ?
Quis æde in iſtâ eſt ? IAH. Quis meas pulſat fores ?
Hem ! túne Princeps ? SIS. Ægra præcipiti labant
Defeſſa curſu genua. Sed ſi quid domi eſt
Laticis, propina. Torret exhauſto ſitis
Humore pectus, ora nec voci patent :
Mihi lympha nectar fuerit : hanc per te dari
Animam fatebor. IAH. Tecta vix tantum licet
Anguſta capiant hoſpitem ; hîc laſſus tamen
Paulum acquieſce. SIS. Grande fors pretium moræ eſt.
Hoc inſidebo limen, & partes feram
Oculos in omnes, ne quis inopinum premat.
Tu perge. IAH. Propero. SIS. Quidnam opus facto rear ?

Tectíſne

Tectísne maneam ? Forsan insidias struat :
Introque Hebræos revocet. Excurram via
Quod restat ? Ægrè languidos gressus traho,
Belli viæque fessus. Insolitus labor,
Et Cereris urget avida jejunum fames.
IAH. Sinum recentis interim hunc lactis cape,
Agreste munus. SIS. Suavior nullus sitim
Restinxit umquam potus. Vtcumque aureis
Odora pateris vina, vel gemmis puer
Blandus ministrat ; fructus in luxu est minor.
Sed si quis inter pascua aut stabulis equus,
Insterne. IAH. Quò tam subitus? I nostris age
Succede tectis. SIS. Victor huc hostis brevi
Aderit. IAH. Pavere absiste : præstabo tibi
Quidquid pericli est. Nullus invitâ lares
Nostros adibit : ne quis incautâ, vigil
His excubabo foribus. SIS. Evincis. Sequor.
Quid hocce ? gressus hæret : incessu labat
Pes dubius : omen vereor. IAH. Insuetum gravant
Decursa pedibus spatia. Tantillum afferet
Vires quietis. Sedulò interea fores
Servate famuli. SIS. Muneris tute id cape
Siseramque si quis quærat, hâc passis modò
Fugisse manibus finge. IAH. Securum dabo.

Iahel Siseram occidere statuit.

IAHEL. CHORVS.

IAH. SI quæris animè facere quid rerum addecet;
Obsequere Superis ! Ecquid in medios ferâ
Dedisse laqueos cernis ? En tantis datus,
Tantis petitus precibus advenit dies.
Patiere segnem ? Non tuam patriæ dabis
Superisque dextram ? Fatáne incassum excident ?
Mendax feretur Numen ? Aude aliquid Deo
Auctore dignum, nulla quod sileat dies :
Sexumque supera. Quid ? nece infandâ hospitis
Sacrata violes jura ? rescindas prior
Cum Rege pactum fœdus ? Ah ! facinus preme.
Ergo ille abibit vivus ? hanc manibus sinam
Effugere prædam ? gentis hic nostræ lues,
Et hostium ingens columen, & belli caput,
Impune nostros dederit in casses pedem ?
Sed ultum abundè Numen : est pœnæ satis
Fugisse Siseram : fractus, afflictus, pavens,
Supplexque nostris credidit tectis caput.
Hic cujus armis inclytum cessit genus.

Quaque adita Tribubus terra bis ſenis patet
Cis fluvium & ultra · Marte prô Superi ! jacet
Perculſus uno. Parta jam patriæ ultio eſt.
Concede vitam. Cur malis prohibes frui :
Adimiſque morte, mille cur mortes velit ?
Sed bella vereor. Regeret acceptam illico
Cladem, & furori fræna laxabit dolor ;
Pudorque ſtimulos addet. Vt rigidos aper
Trajectus armos frendet, & pavidum truci
Per tela præceps dente venantem petit.
Accingere animo : forſan hoc magno velis
Olim redemptum. Quid quod hoc ipſum ſat eſt
Vnde ille pœnam expendat, & ferrum imbuat,
Quod fecit, & quod voluit ? An, ſi fors daret
Illi, occidiſſem ? nuſquam ego infelix forem :
Nuſquam Iſraëlis nomen ? huic, quoniam licet,
Non patria referam ? non meos, non me impetu
Vlciſcar uno ? Cætera ut ceſſent, age,
Linques inultum Numen ? Ille, ille imperat,
Hoc qui futurum cecinit. An non hoc rear
Ceciniſſe ? Quid nunc majus extincto potes
Aſtruere Siſara ? Funus extremum impius
Per me hoſtis habeat : ſæva prærepto cadent
Duce bella. Eatur. Fata decretum eſt ſequi.
Quanam exequemur ? Quod genus lethi placet ?
Virúſne dapibus miſceam ? an laqueo premam ?
Invade facinus ſola. Femineos Siſar
Iterum triumphos decoret. Inveni viam.
Proviſo rerum quid agat, & teli genus
Scrutabor omne. CHO. Video quò vergat furor.
Mactare Siſaram ſtatuit. Atque utinam Barac
Fortíſve adeſſet Debora ! Tam læta edere
Indicia geſtit animus. O quantum ferat
Vox illa pretii ! Sed gradu attonito redit ;
Ceu cùm furentem pectore excepit Deum,
Inſana rapitur Mænas. Hic quorſum tudes,
Clavuſque ? quid molitur ?

Siſaram clavo per tempora adacto obtruncat

IAHEL.

Excuſſi omnia :
Nihil repertum eſt, præſtet hic teli vicem,
Capitique adactus, quâ necis præſens via eſt,
Et mollis aditus, tempus affigat ſolo
Vtrumque : captu facilis, atque arcto jacet
Somno ſepultus. Aperit inſidiis viam

Fortuna.

Fortuna. Iamjam invade. Proflantem audio
Toto ſoporem pectore. Extremum miſer
Cum morte ſomnum jungat. Expavi, horrui.
Quò feror? Adire timeo: cor pavidum labat.
Rurſum ardet ira: fortis incœptum manus
Aggredere. Rapido huc agmen accelerat gradu.
Præverte facinus: decoris hunc titulum rapi
Patiere? Belli ſola quod ſupereſt cape.
Nunc morere, & umbras cumula. In exitium pari
Letho feratur, quiſquis in Superos movet
Nefandus arma. Tempora hac fixus manu
Humum momordit ore ſanguineo Siſar:
Domus cruore ſparſa ſcelerato madet,
Largoque corpus flumine exanimum natat.
Hâc ille ſpecie jaceat, ut lethi modum
Subjiciat oculis Debora. Quin veſtem aggere.
Feſſum accubare dicam, & illuſos agam.

Barac quem inſequitur Siſaram à Iahele obtruncatum reperit.

BARAC. IAHEL.

BAR. Quis nunc locus? quæ latebra fugitivum tegit
Siſaram? Quis illum nemore ſecreto avius
Eripuit oculis callis? An fruſtrà ſequor?
Effare mulier. IAH. Laſſus, & ſomno gravis
Domi eſt relictus. Commodùm occurri tibi,
Dum caſtra peterem. Fuſus hîc molli toro
Vtramq; in aurem dormit. BAR. Huic ceſſo manus
Injicere. IAH. Propiùs gradere. Sopitum vides?
BAR. O Cœlum & orbis ſpatia! quod monſtrum intuor?
Clavo foratus tempora exſanguis Siſar
Iacet cruore ſparſus. O felix Iahel!
Heberque felix; conjuge hic: conjux Deo
Tantum imperante facinus. Eſt certè Deus.
Nunc domitus hoſtis: nunc ferox cecidit Iabin,
Cadente Siſarâ. Solus è tantâ fuit
Metuendus acie: ſolus ut credam facit
Viciſſe me peremptus. Haud, memini, ſemel
Fata hæc canebat Debora; femineâ Ducem
Dextrâ opprimendum. Macte longò animo viros
Prægreſſa mulier! IAH. Méne ego ut tali rear
Honore dignam? Tantulum enixa eſt Deo
Adigente dextra. Solus hunc titulum ferat;
Per hunc ſubactus hoſtis: hoc potui nihil
Abſente:

Abſente : ſine me potuit. BAR: Exanimum caput
Ferro amputetur : Parta muliebri manu
Præferre celebri fercula hæc pompæ juvat.

Lætantur occiſo Siſarâ Deoq; laudes perſolvunt

DEBORA, IAHEL.

DEB. QVem ſæpè dubii Martis eventum Deo
Correpta cecini, peperit hæc populo dies.
Siſaras tenetur. Pandite has læti fores,
Prodite, Iuvenes ! Hanc date amplectar ducem
Noſtrum & parentem. Lilia aſpergam date,
Violaſque plenis manibus : accumulem roſis
Illuſtre ſexus ſpecimen. O noſtræ artifex
Salutis ! Habeo quod mihi Superûm ſator ;
Tibi ego futurum prodidi. O ! quàm te Iahel
Memorem ? Triumphos quâ tuos voce exequar
Felix propago ? IAH. Cuncta deberi tibi
Accepta fateor. Sola diſperſas Tribus
Ad bella revocas. Marte Chananæas quatis
Acies ſecundo. Quid quod in partes trahis
Sublime cœlum ? Claſſico excitus tuo
Conjurat æther. Prima tu Divûm ſagax
Arcana retegis. Voce cunctantem cies,
Animoſque ſubicis. Iuſſa nil præter meum eſt
Impleſſe ; facti gloria auctorem manet.
DEB. Quò rapior ? ubi ſum ? Percitum ſacro furit
Ardore pectus. Viſcera infuſum altiùs
Concuſſa ſpirant Numen. Impatiens Dei
Agor. Hinc profanus ſi quis eſt, cedat procul.

CANTICVM DEBORÆ.

Ex Iud. cap. 5.

VOs qui ſponte caput duri ad diſcrimina belli
Objicitis, magnum læti celebrate Tonantem.
Imperio quiſquis populos nutuque coërcet,
Audiat hæc, memorique animo mea dicta reponat.
Iſacidûm decus, & Divûm cantare potentem
Fert animus. Tu ſumme Parens cum celſa, Seïris
Culmina deſereres, opulenta feracis Idumes
Arva petens ; tremuit tellus concuſſa, graveſque
Effudere imbrem nimbi ; liquefactaque circum
Decurrere juga in præceps ; fluxitque ſoluto
Colle Sina. Ex quo ſe ſoboles Anathæa, Iahelque

Extulit

Extulit ; haud quiſquam veſtigia certa tetendit
Conſuetum per iter ; lateque ſilentibus arvis,
Per calles tentata via eſt, & inhoſpita teſqua.
Hinc compreſſa virûm virtus, animuſque reſedit
Iſacidûm ; excita eſt donec Lapidothis. Ab illo
Omnipotens nova bella ciet, Martemque laceſſit ;
Oppida ſubvertens latè, portaſque refringens.
At priùs, ecquis erat de tot qui millibus haſtam
Spargeret; aut clypeũ adverſos præferret in hoſtes ?
Macti animo Hebræi proceres ! Vos pectore toto
Complector. Vos qui ſpõtè hæc diſcrimina adiſtis,
Vos celebrate Deum. Qui terga nitentis aſelli
Scanditis, & leges populis deſcribitis æquas.
Quoſq; juvant partæ peregrina per oppida merces;
Nec tectis reſidêre licet ; laudate Tonantem.
Hîc ubi confracti currus, vaſtaque perempti
Cæde jacent hoſtes, Domini ſincera canatur
Iuſtitia ; inque ſuam facilis clementia gentem.
Per quam iterum leges, redivivaq; jura frequentes,
Ceu quondã, ad portas videt, imperioque potitur.
Surge agedum , Debora , & dulci modulare triumphos
Carmine. Tuque ô Nephtaliâ de ſtirpe Barace.
Surge agedũ ; captiva trahens tecum agmina longo
Ordine. Relliquias populi regnator Olympi
Eruit, & ſævos bellando contudit hoſtes.
Dirus Ephratæos Amalec, Ieminæaque ſenſit
Arma : Machiræi robur junxere potentes.
Quique Zabulonis fraternâ ab ſtirpe creati ;
Iſſachariſque genus, Deboram, Baracumque ſecuti.
At reliquæ ceſſere tribus. Diviſa Rubenus
Arva colens, quidnam inter oves, caulaſque reſedit
Securus ? Placidi intereà trans alta quievit
Flumina Iordanis Galaad. Dan navibus hæſit
Affixus. Portuque aut litore tutus aperto
Stabat Afer. Soli patria pro gente Zabulon,
Nephtalidæque acies in aperta pericula Martis
Objecêre animas ; tereti quâ culmine in auras
Arduus aſſurgit Thabor. Vbi caſtra profecti
Contulerant Chanaane Duces: Tanachiq; per agros
Fuſa, Mageddoniſque humentia culta tenebant :
Parcere non ulli dociles, pretiúmve paciſci.
Hos contra micuêre polo delapſa ſub auras
Fulgura ; diſpoſitæque ſuâ ſtatione coruſcis
Ignibus in Siſaram venêre ad prælia ſtellæ.
Multa Ciſon volvit tumidis correpra ſub undis
Corpora, ſemineceſque viros, largóque cruore
Tinctus iit. Sed nos rapidum trajecimus amnem

Innocui,

Innocui. Fugientis equi prolapsa resedit
Vngula, & excussi terram petiêre magistri.
Dira Meroz terra ! (Aligerum sic incipit unus.)
Dira Meroz ! Téne auxilio, cùm staret in armis,
Non venisse Dei populo ; nec castra secutam
Fortia ; delectumque locis ex omnibus agmen ?
O felix una ante alias fortissima conjux
Heberis generosa Iahel ! Tu fonte petenti
Exhaustos latices, rorantia lacte dedisti
Pocula. Tu dextrâ tuditem, clavumque sinistrâ
Arripis, & valido tempus cum robore utrumque
Trajicis. Ille solo afflictus, largâque tepescens
Cæde jacet, densæque oculos clausere tenebræ.
Intereà miseranda parens ululatibus ædes
Complebat ; Natique moram incusabat : &, ille
Quònam abiit ? dixit ; cur Matris gaudia differt ?
Quadrijugo cur non patrias sublimis ad arces
Invehitur curru ? Luctum excepere Parentis
Vxorum pia turba. Harum sapientior una :
Pone metum ; dixit. Spoliis nunc fortè potitus
Dividit hostilem prædam. Pulcerrima sorti
Eximitur virgo. Vario saturata colore
Texta legit ; teretique aptanda monilia collo.
Sic pereat ; qui tete odiis exercet iniquis
Omnipotens Genitor. Sic qui te diligit, ortu
Qualis in Eoo rutilat Phœbeja lampas,
Splendeat, atque ævo æternùm meliore fruatur.
Ba. Adeste Comites ! sacra reddantur Poli
Votiva Domino. Rapite captivos greges.
Victorque pompam miles ante aras ferat.

CHORVS

Canit partam de Sisarâ victoriam.

CAnite ô Iuvenum turba triumphos.
Canite invicti bella Tonantis
Cingat viridis tempora laurus,
P. Palmáque dextras victrix decoret.
Tumidi rabies sæva Tyranni
Fracta est pariter, fessáque longo
Hebræa jugo colla, repentè
Lux una gravi pondere solvit.
Valido fusas Marte cohortes
Vidit ab alto vertice Thabor :
Vastáque trahens cæde cruorem
Atro tumuit gurgite Cisson.

Dux

Dux illa Ducum nobilis ausa est
Admista viris arma virago
Non femineâ tractare manu :
Trepidósque fugam vertit in hostes
Te quoque canimus, decus Isacidum,
Et Nephthaliæ gloria stirpis ;
Sisaræ domitor : cujus Hebræus
Ductu Allophylum castra cecîdit.
At te decoris pars magna, Iahel,
Laudísque manet. Reddita per te
Pax certa tuis. Duce sublato
Tandem Abramidum pestis adempta est.
Agedum patrio, sacra Tonantî,
Cultu memores reddite, & aras
Onerent nivei terga juvenci :
Gratóque Arabum ture calescant.

FINIS.

ERRATA.

EX SVEVIA.

Fol. 46.	℣. 298.	*telani*	corr. *tela ni*
Fol. 53.	℣. 138.	*cæſari &*	corr. *cæſari ac*
Fol. 66.	℣. 646.	*belluanti*	corr. *helluanti*

EX FLAVIA.

Fol. 218.	℣. 10.	*noti*	corr. *notæ*
Fol. 236.	℣. 13.	*remus*	corr. *Remus*
Fol. 237.	℣. 23.	*Cœlitis*	corr. *Coelitis*
Fol. 244.	℣. 228.	*Lycæi*	corr. *Lycei*
Fol. 244.	℣. 261.	*ſortem*	corr. *fortem*
Fol. 249.	℣. 291.	*Hæbrum*	corr. *Hebrum*
Fol. 250.	℣. 531.	*tumet*	corr. *timet*
Fol. 255.	℣. 739.	*ſedentibus*	cor. *cedentibus*
Fol. 274.	℣. 701.	*per*	corr. *par.*

INDEX

INDEX RERVM.

A


Ciei descriptio fol.100. ℣.494. fol.358. ℣.11.
Adspirantis ad cœlum, fol.75. ℣.75.
Adversa fortiter ferenda fol.353. ℣.48.
Affectus paterni fol.141. ℣.376.
Affectus deliberantis f.263.℣.203.
Affectus iræ fol.179.℣.87.
Ægyptiacæ plagæ fol.339.℣.201.
Agrorum vastatio fol.340.℣.242. fol.343.℣.350. fol.351.℣.206.
Amantis f.109.℣.119. f.110.℣.168.
Ambitio insatiabilis fol.335.℣.18.
Ambitionis fol.60.℣.385.
Amoris insani fol.157.℣.450.
Amor in odium facilè vertitur fol. 158.℣.490.
Angeli descriptio fol.349.℣.151.
Animantis ad bellum f.14.℣.126.

Animi tranquillitas quomodò comparanda fol.200.ℵ.305.
Antuerpienſis Obſidio ſub Alexandro Farneſio fol.247.ℵ.372.
Arma deponentis fol.138.ℵ.248. fol.139.ℵ.293.
Arma ſuadentis fol.138.ℵ.262. *& ſeqq.*
Avaritia fol.195.ℵ.45. item 197. ℵ.226.
Aula fol.197.ℵ.161.
Auri vis fol.51.ℵ.25.

B

BElli exitus incertus f.336.ℵ.34.
Belli incommoda fol.335.ℵ.1.
Bellum Gigantum fol.337.ℵ.104.

C

CAdaver luridum fol.78.ℵ.430.
Cædem vaticinantis fol.315. ℵ.42.
Cædes pueri fol.13.ℵ.81.
Captivitatem deplorantis fol.314. ℵ.1.
Caſtrorum fol.98.ℵ.436.

Chriſti

Christi & D. Virginis laus fol. 220. ℣. 1188.
Christiani sacerdotis vestes sacræ, fol. 206. ℣. 529.
Cœlum fol. 11. ℣. 7.
Conclavis regii fol. 108. ℣. 85.
Conscientia scelerum fol. 89. ℣. 1. & seqq. fol. 125. ℣. 287.

D

DEhortantis à bello fol. 124. ℣. 244.
Dei fol. 143. ℣. 472.
Dei filii generatio f. 217. ℣. 1040.
Dei providentiâ nõ fortuitò humana regi f. 306. ℣. 53. f. 351. ℣. 223.
Deliberans de facinore fol. 263. ℣. 200.
Deplorantis captivitatem fol. 314. ℣. 1.
Deplorantium mortem Regis fol. 81. ℣. 526.
Deponentis arma fol. 138. ℣. 248. & seqq.
Deprecantis mortem filiorum fol. 309. ℣. 182.

Deprecantis pro reo fol.77.℣.372.
Desperabundi & timentis omnia, fol.83.℣.597.
Detestantis scelus fol.119.℣.5.
Deum pro peccatis orantis fol.75.℣.267.
Deum pro victoriâ orantis fol. 348.℣.69.
Deum vindicem invocantis fol. 159.℣.535.
Deus ob scelera sacra profanari sinit fol.301.℣.191.
Deus precibus movetur fol.347.℣.25.
Discordiæ mala fol.67.℣.876.
Dolentis fol.133.℣.28.
Domitiani Iunioris Martyrium, fol.280.℣.961.
Domitianus divinitatis affectator, fol.212.℣.804.
Ducis adhortantis ad pugnam fol. 101.℣.574.
Ducis gloriantis de hoste victo, fol.17.℣.271. f.337.℣.76.
Ducis ordinantis exercitum fol. 20.℣.397.

Ducis ſtrenui fol.15.16.℣.200.
Duelli fol.102. & 103. ℣.634. & ſeqq.

E

ELoquentis fol.100.℣.502.
Ephebi Æthiopes f.185.℣.552.
Exercitus fol.137.℣.217.
Exercitus ingentis fol.100.℣.525.
Exercitus magni deſcrip. fol.346. ℣.11.fol.348.℣.76.

F

FOeminæ ingenium fol.107. ℣.45.
Fœminæ vituperatio f.122.℣.134.
Fallacis & inſidioſi fol.28.℣.35. fol.49.℣.206.
Fama creſcit eundo f.131.℣.529.
Famæ fol.130.℣.504.
Fortitudo Imperatori neceſſaria, fol.224.℣.105.
Fortuna inconſtans fol.106.℣.1. fol.345.℣.454.

Fronti non fidendum fol.136. ℣.160.
Fraudis fol.60.℣.389.
Fugam damnantis fol.291.℣.1.
Furentis f.110.℣.163.f.122.℣.149.
Furentis & ejulantis ob necem alterius fol.82.℣.561.
Furentium fol.99.℣.448.
Furoris fol.60.℣.405.

G

GAudentis fol.24.℣.535.
Gigantum bellū f.337.℣.103.
Gratulantis sibi post vincula soluta, fol.174.℣.54.

H

HVmana Dei providentiâ non sorte regi fol.306.℣.52. fol.351.℣.223.

I

IActantis potentiam f.303.℣.391.
Imperantis quod lubet, licet fol. 342.℣.323.
Imperatori fortitudo necessaria fol. 224.℣.105.& Scientia *ibid.*℣.77.

Impe-

Imperatoris virtutes fol.97.98. ℣.391.
Impius fol.219.℣.1147.
Incitantis ad scelera fol.90.&91. 92.℣.45.
Incitantis alios in suam necem fol. 291.℣.28.
Incitantis in scelus fol.120.℣.65.
Incitantis milites ad ludum triumphalem fol.39.℣.32.
Incitantis se ad iram fol.34.℣.308.
Incitantis se ad vindictam fol.361. ℣.143.
Infelicitatis fol.60.℣.380.
Infidi & pacem rumpentis fol. 344.℣.420.
Ingratitudinem exprobrantis fol. 331.℣.54.
Insultantis capto fol.300.℣.130.
Insultantis victo fol.324.℣.1.
Invidentis fol.94.℣.245.fol.95. ℣.273.
Invocantis Deum ut mala imminẽtia avertat fol.59.℣.340.
Invocatio umbrarum f.33.℣.233.
Iræ affectus fol.179.℣ 87.

Iræ dilatæ vis fol.99.℣.470.
Iratus fol.177.℣.165.item 179.℣.287.
Iſrael Deo vindice periculis ereptus fol.332.℣.121.
Iudicis munus fol.147.℣.1.
Iuno fol.250.℣.333.
Iuſtitia fol.12.℣.31.
Iuſtus adverſarios non curat. fol.296.℣.235.

L

LÆtantis de vindictâ ſumptâ, fol.128.℣.382.
Laudantis militum obedientiam, fol.299.℣.108.
Laudes Chriſti & B.Virginis fol.220.℣.1188.
Laus juvenis regii fol.96.℣.355. fol.108.℣.62.
Laus pacis fol.29.℣.83.
Loci ſalubris fol.98.℣.423.
Lugentium fol.81.℣.520.
Lugentium mortem puerorum, fol.320.℣.306.

M

MAcilentus fol.175.¥.82.
Magia fol.179.¥.259.
Magica inſtrumenta fol.181. ¥.380. &c.
Magicum incantamentum fol.182. ¥.430.
Mane fol.99.¥.481.f.173.¥.1.
Martyrium Veſpaſiani & Domitiani juniorum fol.280.¥.961.
Matris filium occidentis fol.293. ¥.113.
Miles ad pugnam inſtructus fol. 20.¥.375.
Milites ad ludum triumphalem incitantur fol.39.¥.32.
Militum obedientia laudatur fol. 299.¥.108.
Mira fol.177.¥.195.
Mors non timenda fol.154.¥.323.
Mors puerorū lugetur f.320.¥.306
Mortem æquo animo ſubeuntis, fol.151.¥.190. fol.154.¥.314. fol.160.¥.622. ad Mortem abeuntis fol.154.¥.335.

N

NEminem repentè fieri peſſimum fol.145.¥.570.
Nero Incendiarius f.205.¥.488.
Novercæ ingenium fol.107.¥.27. fol.140.¥.363.
Numquam fol.117.¥.457.fol.176. ¥.110. fol. 341. ¥.272. fol. 344. ¥.408.

O

OEdientiam militum laudantis fol.299.¥.108.
Obſidio Antuerpienſis ſub Alexandro Farneſio fol.247.¥.372.
Offerentis ſe ad omnia fol.115. ¥.382.fol.117.¥.452.
Omnia mundana pereunt fol.80. ¥.486.
Optantis mori pro altero fol.78. ¥.399.
Orantis Deum pro peccatis fol.75. ¥.267.
Orantis pro victoriâ Deum fol. 348.¥.69.

P

PAcem rumpentis & infidi fol. 343. ℣. 420.
Pacis fol. 27. ℣. 655. fol. 29. ℣. 84.
Palatium fol. 196. ℣. 73.
Pallas fol. 251. ℣. 549. item 252. ℣. 600.
Paterni affectus fol. 141. ℣. 376.
Patris dolentis mortem filii fol. 161. 162. 163.
Patris reducem filium amplectentis fol. 116. ℣. 417.
Patris simulque judicis dubii circa reum filium fol. 134. 135. 152. 153.
Periculi imminentis fol. 142. ℣. 445.
Periculis ereptus Deo vindice populus Israeliticus f. 332. ℣. 121.
Pharao mari rubro mersus fol. 339. ℣. 211.
Plagæ Ægyptiacæ fol. 339. ℣. 202.
Plaudentium fol. 114. ℣. 350.
Plausus fol. 103.
Plebis inconstantia fol. 341. ℣. 281.

Pœna sequitur scelus f.295.℣.199.
Potentiam jactantis f.303.℣.391.
Precantis formulæ fol.135.℣.37.
Privatæ vitæ laus fol.146.℣.622.
Prosperis non fidendum fol.345.
℣.430.
Providentiâ Dei, non sorte humana regi fol.306.℣.52.f.351.℣.223.
Pudor fol.227.℣.241.&c.
Puerorum mortem lugentium fol.
320.℣.306.
Pugnæ f.101.℣.580.f.358.℣.23.
Pugnantium in acie fol.102.103.

R

REi apud Iudicem causam dicentis fol.149.℣.96.
Regnum instabile fol.146.℣.634.
Regnum non metu sed fide tuendum fol.124.℣.226.
Regnum parandum quolibet modo, fol.124.℣.207.
Resistentis ne capiatur fol.298.
℣.72.
Romæ laus fol.113.℣.280.

Sacer-

S

SAcerdotis Christiani sacræ vestes fol.206.¥.529.
Sacra profanari ob scelera f.301. ¥.191.
Sacrificium Missæ fol.206.¥.540.
Sacrificium profanum fol.251.&c. ¥.572.
Serenitatis descriptio f.345.¥.439.
Servitus fol.343.¥.360.
Simulatoris fol.127.¥.357.
Status fol.108.¥.94.
Sterilitas fol.353.¥.25.
Strages fol.359.¥.42.
Strages magna fol.343.¥.345. fol.344.¥.417.fol.351.¥.202.
Superbia Regum carpitur fol.311. ¥.279.

T

TEmpestatis fol.142.¥.452. fol.359.¥.46.
Timor Domini fol.227.¥.245.
Tranquillitas vera, nihil sperare, nihil timere fol.200.¥.305.

Vati-

V

VAticinantis cædem f.315.v.42.
Vatis fol.339.v.168.
Victoriæ fol.113.114.115.
Victori applaudentis f.116.v.436.
Victorias enumerantis fol.96.97.v.330.
Vindictam spirantis fol.123.v.174. fol.126.v.296.fol.311.v.252.
B.Virginis invocatio f.115.v.398.
Virtus adversis non frangitur fol.105.v.736.
Virtus interrita fol.155.v.362.
Virtus nullo honore egens seipsâ splendet fol.105.v.740.
Virtus opprimi non potest fol.128.v.400.
Virtute suâ non majorum niti fol.127.v.345.
Vita privata fol.229.v.338.
Vmbrarum invocatio f.33.v.233.
Vrbis intereeptæ fol.297.v.26.
Vultus varii fol.111.v.214.

FINIS.

APPROBATIO.

TRagœdiæ hæ per RR. PP. Societatis IESV *compositæ, utiliter in gratiam Iuventutis studiosæ imprimentur. Actum Antuerpiæ 27. Iunii 1634.*

Gaspar Estricx Plebanus
Antuerp. Librorum
Censor.

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI
Societati IESV *conceßi.*

CVm ex mandato S. Cæſareæ Majeſtatis, omnibus Typographis, Bibliopolis atque aliis quibuſcumque librariam negotiationem exercentibus, ſeriò ſtrictéque inhibeatur, nequis libros ullos à Societatis noſtræ Patribus editos, aut in poſterum edendos, intra S. Romani Imperii, regnorumq́; & Dominiorum S. Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum fines, ſimili alióve charactere aut formâ, ſive in toto, ſive in partę, excudere, vel recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos invehere, vendere aut diſtrahere, clàm ſeu palàm, citra ſupradictorum Patrum conſenſum & teſtimonium, audeat vel præſumat: Ego Guilielmus de Wael Societatis IESV per Provinciam Flandro-Belgicam Præpoſitus Provincialis, concedo *Ioanni Cnobbaro* Typographo Antuerpienſi facultatem excudendi *Selectas PP. Societatis* IESV *Tragœdias*. In cuius rei fidem literas manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo officii mei munitas dedi, Antuerp. 20. Iun. 1634.

Guilielmus de VVael.

Ex libris
Joannis Haepsaet
Hedenardensis
anno 1764